B

IN DUODECIM LIBROS

METAPHYSICÆ ARISTOTELIS,

Secundum intentionem Subtilissimi Doctoris Joannis Duns Scoti.
Conclusiones explicationis Textus, & Quæstiones utilissimæ probantur.

AUCTORE

R. P. BONAVENTURA DE CANCELLARIA,
Strictioris Observantiæ Reformatorum Sancti Francisci Provinciæ Basilicatæ Lectore Emerito.

SUB AUSPICIIS

Illustrissimi, & Reverendissimi Domini


D. ANTONII MARIÆ BRANCATII

Archi-Episcopi Matherani, & Acheruntini, præstantissimi, æquè, ac vigilantissimi.



Neapoli, Typis Hæredum Monaco. MDCCXIII.

Superiorum Permissu.



ILLUSTRISSIME, AC REVERENDISSIME

DOMINE.

Vod olim priſcis temporibus, Illuſtriſſime, ac Reverendiſſime Præſul, & noſtro etiam Ævo apud Sagaces Nautas in uſum eſt, idipſum ſequi decrevi: Siquidem

ipsi maritimo discrimini nova navigia udituri, earum puppibus sculpta, vel picta numina locant, sub quorum tutela securiori itinere itura per vastissima pelagi spatia, redituraque tutiùs ad portum, statuunt sibi, ac promittunt: Non dissimili ratione mihi visum est, Antistes præstantissime, Te præsidem præscribere operis hujus, quod, dum profundissimum Metaphysicæ sapientiæ salum, difficultatum undique scopulis, syrtibusque confertum, & arduis disputationum procellis agitatum, ingreditur, consentaneum putavi tutelari aliquo Numine muniri, à quo securitatem hauriret, sibique foret Cynosura tutissima, quæ nitoribus suis felicissimum lumen usque ad portum inferret. Quærebam mente, animoque voluebam, quodnam Numen eligerem, & Tu mihi occurristi, aut me rapuit potiùs virtus tua Vigilantissime Præsul,

qui

qui dignitate non minus, quam meritis tuis Matheranæ Ecclesiæ pręemines, clarissima emittens virtutum lumina, radiosque Nobilitatis, & sicut Ecclesiæ tuæ, ejusque regiminini amantissime vigilas, sic etiam Te mihi, & operi meo vigilem semper imploro. En igitur nomini tuo opusculum meum inscribo, sed melius opusculo meo splendidissimum nomen tuum præmitto, à quo tutissimum patrocinium, omnemque securitatem contrà omnes Zoilorum ictus, & mihi, & operi spondeo, & jam ab omni invidorum procella quasi in portu respiro; Nunquam erit in culpà delectio, quippe, quod in Te uno, cuncta, quæ in unoquoque desiderantur obtineo, genus scilicèt, religio, comitas, omniaque virtutum genera cum animi constantia, & generositate pari gradu renident. Genus sanè præclarissimum genus tuum, quod ubique terrarum à Par-

thenope effusum, bello, & pace, fæcundum, armis, litterisque gloriosum; orbis universus miratur. Historicorum plena volumina, Italia tota, imò tota Europa, spirant adhuc Brancatiæ familiæ decorem. Familiares Purpuras, Duces invictos, numerosissimos Præsules, Dynastas magnificos, tanquàm suos jactant suprà Parthenopem, Germania Lelios, Busillos Gallia, Raynaldos cæterosque Roma, omnes pios, omnes fortes, omnes maximos. Adeat, qui velit peculiaria quæque de tàm insigni, & illustri familia dignoscere, Elium Marchesium, Borrellum, Campanilium, aliosque Historicos, qui scaturiginem primam Brancatiorum Heroum felici indagine sunt scrutati, ramosque diversos ab uno stipite deduxerunt, ubique floridos, ubique fœcundos, ubique magnos, cum meum non sit in tàm brevi circulo tantam genealogiam intexere. Religionem,

cum

cum pietate conjunctam in medium proferunt, Senior, ac Iunior, Candida, Baculus, Cæsar, Sanctorum fastis adscripti, quorum prima ab Apostolorum Principe, fidei princeps Neapoli reddita, prior omnium Christianæ militiæ nomen dedit; altera prioris virtutis secuta, ideo secunda, quia tempore posterior, non virtutibus, nec meritis dispar. Surrentina Ecclesia Baculum Pastorem suum, adhuc veneratur in Patrem. Cęsar sanguine effuso gloriosior, quàm gentilitio emicat Martyr à Cruce capitis sui Christi Æmulator dignissimus, ità ut Catholicæ Religioni in hoc Brancatiæ familiæ feracissimo agro, nec rosæ, nec lilia desint, unde sibi colligat Brancatiæ Nobilitas speciosioris adoreas, suprà pietatis monumenta, quibus vigent Ecclesiæ Xenodochia, Bibliothecæ in commune bonum. Quid tandem de Comitate proferam? Vastissimum ma-

re mihi proponitur transfretandum, & latius, quam illud in quod opusculum meum induxi sub auspiciis tuis ANTONI MARIA, qui cum mare in nomine, immò MARIA geras, sine Te, me tutum reddere nequeo, unde, & procellas timeo, & syrtis evitare diffido. Hoc ipsum erit argumentum Comitatis tuæ, quod me benignus amplecteris, quod opus meum fovendum, tuendumque non despicis, & cum tibi maxima debeantur, minima non dedigneris. Hucusque evexit me timor procellarum, & amor meritorum tuorum. Hic vero timori quidem, non tamen amori metam præscribo. Te præside non formido; Te numine nil paveo; Ad splendorem nominis tui, quòd præsefert opusculum meum, pavebunt, & formidabunt virtutis Antagonistæ. Si spernent Auctorem, materiam, & opus, adorabunt Tutorem, Numen venerabuntur. Hoc erit

ma-

maximum præmium laborum meorum, hoc unum cupio, ideò Te præsidem præsignavi, Te ideò delegi, in quo nihil illustriùs desiderandum, nihil quærendum, cui gloriosissimum est Brancatiæ sobolis germen esse, quem mirabili inter se æmulatione, contectuque mirabiliori comitantur virtutes omnes, quæ nobilitati tuæ, tuæq; magnitudini famulari non dedignantes. Eja igitur amantissime Præsul me, æquè, ac opus meum excipe benignitate tua, ut dum tam parvula munera non reiicis, quàmvis magnitudini tuæ minimè paria, palàm fiant in Genere tuo animi magnitudo, & Nobilitas. In Religione amor, & pietas, in Comitate humanitas, & dulcedo, quibus optimè polles, quod si non pro dignitate tua libellus hic speciosus, nec benè elucet, nec dignè, pro tua tamen, qua nites humanitate, obsequiosum Authoris

ani-

animum amplexare, & tuæ, tuorumque dignitatis studiosum semper fove. Vale. Neapoli die 22. Augusti 1713.

Dominat. Tuę Illust., ac Rev.

Humillimus, Addictissimus, & Obsequentissimus Famulus
Fr. Bonaventura à Cancellaria Reformationis Basilicatæ Sacræ Theologiæ Lector Emeritus.

AD

AD LECTOREM.

PRæsens opuſculum ne deſpicias benevole Lector, ni acutiſſimas in ipſo quæſtiones in diſputationem ſuper Ariſtotelica Metaphyſica advocari cernas, cum eas multis Cathedris complures per annos legerim, atque diſcuſſerim ſaltim primarias; tantùm concluſiones, & quæſtiones ultima in hac laborum meorum periodo, multorum precibus devictus, veluti in Epilogo probare intendo, quæ quidem in duodecim libris dictorum Metaphyſicorum continentur ad ſubtiliſſimi Doctoris, ac Magiſtri Scoti doctrinam complacendi iis gratia, qui ſcholaſticis oppoſitionibus, vel examini ſe ſe ad fortuitam textus explanationem exponunt; ut indè Lectores evadant, juxta Generales conſtitutiones; Suo tempore alias declaraturus in Phyſica, & Porphirii libris ſpero. Et quia bonum quolibet tempore ſemper minus fuit; ità hoc tempore exiguum ſemper optimum dicere erit; Concludens, quòd à non multa, de perampla ſcientia, dicturo, amantiſsimus Anagnoſtes de quopiam benè loqui contentus erit. Vale.

Fa-

Facultas Reverendissimi Patris Vice-Commissarii Generalis.

FR. DEODATVS A' ROMA

Strictioris observantiæ S. Francisci Prædicator Clarissimus, Lector Emeritus, ex Provinciali, ac in tota Cismontana Familia Vice-Commissarius Generalis.

Delecto Nobis in Christo R. P. Bonaventuræ à Cancellaria nostræ Reformatæ Provinciæ Basilicatæ Concionatori, Lectori Emerito. Salutem.

Cum juxta Apostolicas, nostrique Ordinis Constitutiones revisum, & approbatum fuerit quoddam opus à te collectum, & compilatum, cujus titulus: In duodecim libros Metaphysicæ Aristotelis secundum mentem Doctoris subtilissimi Joannis Duns Scoti, tenore præsentium cum salutaris obedientiæ merito tibi facultatem impertimur, quatenus servatis servandis typis illud mandare possis, & valeas. Datum Romæ in Conventu S. Francisci ad Ripam, die 25. Martii 1713.

Fr. Deodatus à Roma Vice-Com. Gen.

Reg. tit. Prov.
Adest Sigillum.

Emi-

Eminentissimo Signore.

GL'heredi di Michele Monaco supplicando espongono à V. E., come desiderano dare alle stampe un libro intitolato, In duodecim libros Metaphysicæ Aristotelis, secundum intentionem subtilissimi Doctoris Jo: Duns Scoti, conclusiones explicationis textus, & quæstiones utilissimæ probantur, del R.P.L. Bonaventura di Cancellara de' Reformati: Per tanto suppli cano l' E.V. di commettere la revisione à chi li parerà, e l'haverà à gratia, quam Deus.

Adm. Rev. Pat. Mag. Farina revideat, & referat, die 15. Maii 1713.

SEPTIMIUS PALUTIUS Vic. Gen.

Jan. Majellus pro Domino Can. Dep.

Eminentissime Domine.

UT mandatis Eminentiæ Vestræ obtemperem magna animi jucunditate pervolui opus A.R.P. Lectoris Fratris Bonaventuræ à Cancellaria Reformati, cui titulus: In duodecim libros Metaphysicæ Aristotelis secundum intentionem subtilissimi Doctoris Joannis Duns Scoti, conclusiones explicationis textus, & Quæstiones utilissimæ probantur

& in

& in eo nihil inveni contrà nostram Sanctam Fidem Catholicam, neque contrà morum sinceritatem; qua de causa censeo illud dignum, ut typis mandetur, si ità Eminentiæ Vestræ videbitur. Datum in Regali Conventu Sancti Petri Martyris die 30. Julii 1713.

Eminentiæ Vestræ

Humillimus, & Addictissimus Servus
F. Thomas Maria Farina Ordinis Prędicatorum S. Theologię Magister, Prior Sancti Petri Martyris, & Curiæ Archiepiscopalis Examinator.

Attenta supradicta relatione. Imprimatur
Neap. 2. Augusti 1713.

SEPTIMIUS PALUTIUS Vic. Gen.

D. Petrus Marcus Gyptius Can. Dep.

Ec-

Eccellentissimo Signore.

L'Heredi del quondam Michele Monaco supplicando, espongono à V. E., come desiderano stampare un libro intitolato, In duodecim libros Metaphysicæ Aristotelis, secundùm intentionem subtilissimi Doctoris Joannis Duns Scoti Conclusiones explicationis Textus, & quæstiones utilissimæ probantur, del Reverendo Padre Lettore Bonaventura di Cancellara de Reformati; Supplicano intanto V.E. di concederli detta licenza con rimettere la revisione di esso à chi parerà l' E.S., ut Deus.

Reverendissimus Canonicus D. Antonius Cangiano videat, & in scriptis referat.

GVERRERO Reg. GAETA Reg.

ARGENTO Reg. MAZZACCARA Reg.

Provisum per S.E. Neap. 16. Maii 1713.

Ill. Marchio Acerni non int.

Mastellonus.

Ex-

Excellentissime Princeps.

JUssu Excellentiæ Vestræ perlegi librum à P. Lectore Bonaventura à Cancellaria à Fratribus Reformatis exaratum, cujus titulus; In duodecim libros Metaphysicæ Aristotelis secundum intentionem subtilissimi Doctoris Joannis Duns Scoti, Conclusiones explicationis textus; Opus valde utile ad studiosorum commodum; nil in eo, quod Regiæ Jurisdictioni obstet; qua de re pro publica utilitate typis mandari arbitror, si ita Excellentiæ Vestræ videbitur. Neap. die 16. Junii 1713.

Excellentiæ Vestræ

Humillimus Servus
Can. Antonius Cangianus.

Visa relatione imprimatur, & in publicatione servetur Regia Pragmatica.

GASCON Reg. GVERRERO Reg.

GAETA Reg. ARGENTO Reg.

MAZZACCARA Reg.

Provisum per S. E. Neap. 1. Augusti 1713.

Mastellonus.

IN-

INDEX

Disputatationum, & Quæstionum Operis.

DISPUTATIO I. de natura metaphysicæ.

Quæstio 1. An metaphysica sit sapientia.

Quæstio 2. An metaphysica sit scientia.

Quæstio 3. An metaphysica sit scientia practica, vel speculativa.

Quæstio 4. An metaphysica sibi subalternet physicam, & mathematicam.

Quæstio 5. An ens abstractissimum, complectens ens reale, & rationis sit objectum metaphysicæ.

Quæstio 6. An ens reale commune entibus per se, & per accidens sit objectum metaphysicæ.

Quæstio 7. An objectum metaphysicæ sit genus substantiarum abstractarum.

Quæstio 8. An ens reale commune Deo, & Creaturis, substantiæ, & accidenti sit objectum adæquatum metaphysicæ.

Quæstio 9. An metaphysica versetur circa rerum omnium quidditates in particulari, vel in universali.

Quæstio 10. An metaphysica possit probare dari substantias abstractas.

DISPUTATIO II. de natura entis.

Quæstio 1. Quænam sit prima divisio entis.
Quæstio 2. An ens ut sic ante divisionem dicat conceptū univocū enti reali, & rationis.
Quæstio 3. An ens reale sit univocum omnibus entibus, tàm positivis, quàm negatis.
Quæstio 4. An ens reale sit univocum substantiæ, & accidenti.
Quæstio 5. An ens sit univocū Deo, & Creaturis.
Quæstio 6. An ens habeat conceptum formalem unum præcisum à suis inferioribus.
Quæstio 7. An ens habeat unum conceptum objectivum præcisum à suis inferioribus.
Quæstio 8. An ens perfectè præscindat à suis inferioribus.
Quæstio 9. An ens perfectè prescindat ab ente reali, & rationis.
Quæstio 10. An ens perfectè prescindat ab ente negativo, & positivo.

DISPUTATIO III. de realitate entis.

Quæstio 1. An ens dicat realitatem à parte rei communem suis inferioribus, an solum conceptum.
Quæstio 2. Quid, & an dentur modi tàm intrinseci, quàm extrinseci.
Quæstio 3. Quomodo distinguatur modus intrin-

trinsecus à quidditate cujus dicitur modus.

Quæstio 4. An modi intrinseci sint formaliter entia, ita ut ens includatur in conceptu quidditativo,& formali ipsorum.

Quæstio 5. An ens descendat ad Deum , & Creaturas per modos intrinsecos an per differẽtias.

Quæstio 6. An ens formaliter includatur in ultimis differentiis.

Quæstio 7. An ens formaliter includatur in suis passionibus conjunctis.

Quæstio 8. An ens,inquantum ens reduplicativè habeat principia.

Quæstio 9. Quodnàm sit principium complexum omnium principiorum ipsius entis.

Quæstio 10. An prima principia complexa sint nobis naturaliter nota.

DISPUTATIO IV. de Deo.

Quæstio 1. An detur Deus.

Quæstio 2. An Deus secundùm mentem Aristotelis sit infiniti vigoris.

DISPUTATIO V. de essentia,& existentia entis realis.

Quæstio 1. An essentiæ Creaturarum sint æternæ.

Quæstio 2. An Creaturæ pro ut sunt fundamentum relationis æternæ ad Deum, ut cogno-

scentem habeant verum essentiæ ex hoc, quòd sint sub tali respectu.
Quæstio 3. Unde provenit possibilitas,& non repugnantia,sivè impossibilitas, & repugnantia rerum.
Quæstio 4. An Creaturæ habuerunt esse diminutum à seipsis,vel ab intellectu divino.
Quæstio 5. An hoc esse diminutum sit ens reale, vel rationis,vel potius medium.
Quæstio 6. An existentia entis distinguatur ab essentia entis.
Quæstio 7. An res possint existere per alienam existentiam.
Quæstio 8. An existentia sit de quidditate Dei.
Quæstio 9. An ex essentia, & existentia fiat compositio.
Quæstio 10. Quibus rebus competat propria existentia.
Quæstio 11. An subsistentia sit quid positivum, an pura negatio.

DISPUTATIO VI. de passionibus entis.

QUæstio 1. An ens habeat reales,veras, & positivas passiones.
Quæstio 2. Quæ,quot,& quomodo sint passiones demonstrabiles de ente.
Quæstio 3. An inter passiones entis detur ordo.
Quæstio 4. An unitas sit vera, & adæquata passio entis.

Quæ-

Quæstio 6. An unitas superaddat enti solùm negationem, vel potius quid positivum aliquo pacto ab ipso distinctum.

Quæstio 6. An hoc positivum, quòd dicit unum supra ens sit ex natura rei superadditum, vel per intellectum.

Quæstio 7. An veritas dicat quid positivum formaliter ab ente distinctum.

Quæstio 8. An bonitas dicat quid positivum formaliter ab ente distinctum.

INDEX

RERUM NOTABILIUM.

A

AD absolutum in causa, sine quocunque respectu rei, & rationis, sequitur absolutum in effectu; vide expositionem, quam edidi supra 2. metaph. 19. conclusio.

Accidens non constituitur per inhærentiam actualem, neque aptitudinalem; supra septimum metaphysicæ conclusio 10., & 11. Accidens pendet ultimatè ad suppositum substantiæ; quomodo intelligitur, disput. 5. quæst. 11. Actus intellectus idem numero, potest constituere habitum sapientiæ, & habitum scientiæ, quomodo intelligitur, disput. 1. quæst. 2.

Abstractum potest probare abstractum, sine petitione principii, disp. 1. quæst. 10. Abstrahitur ratio communis, & objectiva animalis ab homine, & equo, quare, disp. 2. quæst. 7.

Ad prolationem hujus vocis, animal intellectus unitur; ad prolationem hujus vocis canis, è contra intellectus non unitur, disp. 2. quæst. 6.

Aliquod esse idem formaliter stat dupliciter respectu alterius; vel positivè, vel negativè, disp. 3. quæst.

3. quæst. 3. Aliquod distingui formaliter potest intelligi dupliciter, positivè, & negativè, ibid. Aliquod esse ens dupppliciter contingere potest, scilicèt esse ens, & esse ensale, disput. 3. quæst. 4. Aliud est, esse, quòd res accipit in anima, ut cognoscitur, & aliud est esse, quòd per cognitionem attingitur, tamquàm rei cognitæ non repugnans, disp. 5. quæst. 3., & quid sint, & quodnam horum est ens reale, & quodnam ens rationis, ibidem. Aliqua sunt contenta in aliquo unitivè, quasi posteriora, quasi passiones continentis, nec sunt res ab ipso continente, sic ens continet passiones formaliter distinctæ, alias metaphysica non esset scientia, disput. 6. quæst. 1, & 4. metaphysicæ, conc. 7., 11. & 12.

Anima ex Aristotele ab æterno productionis est tamquàm tabula rasa, disput. 3. quæst. 10. Angelus, sivè bonus, sivè malus, virtute naturali intuitivè potest videre humanitatem Christi, disput. 5. quęst. 7.

Argumentum Aversę, contra pręscindentiam entis ab inferioribus retunditur, disp. 2. quæst. 8. usque ad finem. Argumenta Thomistarum, contra univocationem entis nullius valoris, dispur 2. quęst. 7. Argumenta contra rationem objectivam entis à determinatis rationibus, scilicèt ab absoluto, & respectivo solvuntur, ibidem. Argumenta Mastrii probantia, absolutum, & respectivum contradictoriè opponi in ratione entis, ut sic, solvuntur, disput. 2.

quæst. 10. per totam. Argumenta, Javelli, & aliorum Thomistarum contra realos passiones entis diliguntur, disput. 6. quæst. 1. Argumenta recentioris Thomistę contra identitatem realem essentię, & existentię facilè solvuntur, disp. 5. quęst. 6. Argumenta Trombettę, quòd inter essentiam, & existentiam non sit distinctio ex natura rei, non sunt ad intelligentiam quęstionis, disp. 5. quæst. 6. Argumentum Aureoli, contra entitatem positivam unitatis, solvitur, disput. 6. quæst. 5. Aristoteles comparat rerum essentias numeris propter indivisibilitatem, disput. 2. quæst. 4. Artifex ille dicitur, qui ponit differentiam inter substantiam corpoream, & incorpoream, dispnt. 1. quæst. 9., & primo metaphysicæ 3. conclusio; Appetibile formaliter non est aliquod absolutum, sed respectivum, essentialiter enim includit respectum ad appetentem, sine quo tantum fundamentaliter res dicitur appetibilis, disput. 6. quæst. 8.

Avicenda voluit, quòd equinitas nec est per se una, nec plures, disput. 2. quæst. prima, audito hoc nomine entis, intellectus non distrahitur, disput. 2. quæst. 6. Aurum non adæquat virtutem solis, ideo est effectus æquivocus, quomodo intelligitur, disput. 2. quæst. 5. Ab æterno valebat dicere, quòd homo erat animal rationale, quomodo intelligitur, disput. 5. quæst. 1.

B

BOnitas convertitur cum ente quanto cognito ab Aristotele, disput. 2. quæst. 1. Bonitas quomodo potest dici respectiva, & quomodo absoluta, disput. 5. quæst. 3. Bonitas potest sumi tripliciter, pro bonitate universali, morali, & tertio pro comparatione ultimi finis supernaturalis, bonum est illud, quod omnia appetunt, bonitas universalis duplex, una primaria, & altera secundaria, bonitas primaria solet appellari essentialis, scilicèt bonum essentiale, bonitas secundaria appellatur bonitas accidentalis, bonitas secundaria potest considerari tripliciter, disp. 6. quæst. 8. Bonum, quia delectabile; assignat Scotus ordinem in appetibilibus in genere entis ad quòd deveniendum est necessariò ad unum appetibile infinitum, ibidem. Bonitas trascendentalis, & convertibilis cum ente importat quandam formalitatem positivam non absolutam, sed respectivam appetibilitatis, vel per se, vel per aliud, ex natura rei formaliter distinctam ab ipso ente, disput. 6. quæst. 8. idem est bonum, perfectum, ac integrum, quomodo intelligitur, disput. 6. quæst 8. Bonitas trascendentalis dicit respectum realem, quamvis aptitudinalem, quia verè numeratur inter passiones entis, ibidem. Bonitas transcendentalis potest sumi dupplicìter, scilicèt

cèt identicè, & dicit bonitatem primariam, & formaliter, & dicit bonitatem secundariam, disput.6. quæst.8.in fine.

C

CApacitas objectiva, & logica, quænam sint; disp.5.quæst. 3. Capacitas objectiva rerum est ad omnipotentiam Dei,ibidem.

Conditiones sapientiæ, & sapientis; disput. 1. quæst.1. Conditiones verè passionis, disput.6. quæst.1.

Cognitio perfecta, secundùm proportionem,duobus modis contingit, uno modo, secundum proportionem rei motivam, & terminativam; alio modo, secundùm proportionem rei ad potentiam tendentem in ipsam rem, vide in 2. metaphysicæ,conclusio 3.

Cognitio nostra pro statu isto non potest esse de substantia, sub proprio, & particulari conceptu, disput. 1 quæst. 10. Cognitio substantiæ est à posteriori ab effectibus, seù accidentibus, ibidem. Cognitio primorum principiorum, alia, secundùm Platonem, alia secundùm Aristotelem,disput.3. quæst. 10. Cognitio nostra intellectiva ortum habet à sensibus, ibidem. Cognitio singularium est tantum occasio cognitionis principiorum, disput.3.quæst.9.

Composita physicè, vel metaphysicè resolvuntur in purum actum,& puram potentiam,quomodo

do intelligitur, disput. 3. quæst. 6. ad compositionem sufficit quòd ambo extrema sint finita, vel unum finitum, & alterum, nec finitum, nec infinitum disp. 3. quæst. 1. Compositio in Deo non datur, & qua ratione, ibidem. Compositio multiplex propria, & impropria, & quæ sint disput. 5. quæst. 9. Compositio ex essentia pro ut est in potentia objectiva, & existentia metaphysicè, nulla est, ibidem.

Conceptus entis non potest præscindere ab hoc, quòd sit dependēs, & ab hoc quod sit independēs ab intellectu, disp. 2. q. 2. Cōceptus ęquivocus nō potest assumi pro medio syllogistico, sine fallacia ęquivocationis, dis. 2. q. 4 Cōceptus entis realis est unus unitate trāscendētali, univocus analogus Deo, & Creaturę, univocatione metaphysica, non physica, non in quarto gradu, sed in primo gradu, vide expositionem in 4. metaphysicæ, conc. 3. Conceptus formalis, & objectivus quid sit, disp. 2. quæst. 6., disput. 2. quæst. 7. Conceptui formali correspondet conceptus objectivus, præcisus à suis inferioribus, disput. 2. quæst. 7. Conceptus formalis semper est res positiva, imò semper est singularis, objectivus non semper est positivus, & est universalis confusus ibidem. Conceptus per se unus, & perfectè pręcisus à suis inferioribus, disp. 2. quæst. 8. per totam. Conceptus relationis haberi non potest ultimatè, nisi sit, vel dependens, vel independens ab intellectu, disp. 2.

quæst.

quæſt. 9. in fine. Conceptus entis, ſine modo contrahente eſt conceptus inadęquatus, quomodo intelligitur, diſp. 2. quęſt. 8. in fine. Conceptus entis an fundetur in aliqua realitate, ſivè natura communi à parte rei, an verò abſtrahatur immediatè ab intellectu à propriis realitatibus Dei, & Creaturę, problema ponitur apud Scotiſtas, diſput. 3. quęſt. 1. per totam.
Conſiderans doctrinam aliquorum extremorum debet conſiderare illas partes, quomodo intelligitur, diſp. 1. quęſt. 9.
Confuſum, & diſtinctum, quomodo ſunt oppoſita; & metaphyſicę competit per ſe cognitio diſtincta, diſp. 1. quęſt. 9., & lii per ſe quid determinat, ibidem. Convenientia inter Deum, & Creaturam, qualis ſit, diſp. 2. quęſt. 8. Continentia in Deo, quę ſit, diſp. 5. quęſt. 1.
Creatum, & increatum diſtant in infinitum, quomodo intelligitur, diſp. 3. quęſt. 6., eſſe Creatum tripliciter diſtingui poteſt, ſcilicèt virtuale, cognitum, & reale, ſivè actuale, diſput. 5. quęſt. 1. Creatum quomodo continetur in Deo, diſp. 5. quęſt. 1.
Creaturę, ſecundùm eſſe reale non ſunt ęternę, diſp. 5. quęſt. 1. Creaturę antequam intelligerentur, & producerentur à Deo, quomodo erant intelligibiles, & poſſibiles, diſp. 5. quęſt. 1. Creaturę pro ut ſunt fundamentum relationis ęternę ad Deum, ut cognoſcentem non habent verum eſſe eſſentię, diſ. 5. quęſt. 2. Creaturę erant

in Dei scientia, & non erant in sui natura, explicatur hoc dictum D. Augustini, ibidem. Creaturę in memoria, ut prędedunt, quasi ejus intelligentiam, non habent esse formaliter intelligibiles, disp.5.quęst.2. Creaturę dependent principiativè ab intellectu divino, & quomodo producuntur, disput. 5. quæst. 3. Creaturæ sunt possibiles, vel impossibiles, logicè formaliter, non habent ab omnipotentia Dei, sed seipsis sunt possibiles, vel impossibiles, disput.5. quæst. 3. in fine. Creaturæ ab æterno non habent, quòd ex seipsis sint formaliter intelligibiles, sed sic producuntur per intellectum divinum, disput. 5. quæst. 4. per totam. Creaturæ antecedenter ad cognitionem divinam, nec sunt positivè possibiles, nec positivè impossibiles, ibidem. Creaturę ab ęterno, quomodo possunt dici entia rationis, & entia realia cognitę à Deo, disp.5. quęst. 5. Creaturę, secundùm esse cognitum dicuntur non entia, veluti sunt Chymerę, quomodo intelligitur, disp.5. quęst. 5. Creatura specificativè, & redupplicativè accepta quid est, ibidem. Creatura nulla est simpliciter simplex, & quomodo, disput.5. quęst. 9. Chymera, quare fieri non potest; & quomodo impossibile simpliciter includit incompossibilia, disp.5.quæst.3.

Cuicunque competit unum oppositorum per se, reliquum oppositum ei non competit, neque per se, neque per accidens, quomodo intelligitur, disput.1.quæst.9.

Cui-

Cuilibet potentię passivę correspondet sua potentia activa, de qua potentia intelligitur, disp. 5, quæst. 3. Causę non sunt ad se invicem causæ, quomodo est verum 5. metaphysicę, conc. 7. Corruptibile, & incorruptibile, differunt genere physico, & quomodo 10. metaphysicæ, concl. 7.

D

DAto uno oppositorum, debet dari, & reliquum, disp. 1. quæst. 9.
Demonstratio dupplex à priori, & deducens ad impossibile, quid, disput. 3. quęst. 9. Demonstratio, quomodo debet esse ex notioribus disp. 6. quæst. 2. Demonstratio debet esse ex propriis, quomodo debet intelligi, ibidem.
Definitio est medium demonstrandi passiones de subjecto, disp. 3. quęst. 8.
Differentia inter univocè prędicari, & univocum prędicatum, quę sit, disp. 2. quęst. 5. Differentia inter propositionem identicam, & formalem, quæ sit, disput. 2. quęst. 8. Differentia, & modus intrinsecus, quomodo se habent in ordine ad genus, & ad ens, disp. 3. quęst. 5. Differentia essentialis, quomodo non variat rationem generis, & variat rationem speciei, disput. 3. quęst. 2. Differentię rerum in esse quidditativo se habent sicut numeri, disput. 3. quęst. 2. Differentia respectu generis, & modus respectu entis, val-

valdè differunt, disput. 3. quæst. 2. Differentiæ substantię non dicuntur substantiæ, nec quidditativè entia, sed aliquitates entis, sivè ensales, disput. 3. quæst. 4. Differentia inter rationes ultimò determinabiles, & non ultimò determinabiles, & inter rationes ultimò determinativas, & non ultimò determinativas; disp. 3. q. 6. Differentię alię sunt ultimę, & alię non ultimę, & quid sint, disp. 3. quęst. 6 Differentiæ ultimę rerum non includunt formaliter ens, disput. 3. quęst. 6. per totam; à differentiis individualibus confusè cognitis potest abstrahi una ratio communis differentiæ ultimę, quomodo intelligitur, disp. 3. quęst. 6. Differentię ultimę, quomodo sunt substantia, & quæ convenientia habent inter se, ibidem per totam. Differentia ultima, quomodo est aliquid, & quomodo dicitur constitutivum entis realis, ibidem. Differentia ultima est una, vera, & bona, ibidem; quomodo intelligitur.

Difficultas maxima, an sufficiat sola simplicium terminorum appræhensio ad acquirendam complexam principiorum notitiam, disput. 3. quęst. 9.

Decem suprema genera sunt primo diversa in in realitate subjectiva, non objectiva, quia conveniunt in ente finito, disput. 3. quęst. 6.

Distinctio in se, est quando unum non est aliud, & est duplex, alia ex natura rei, & alia rationis, disp. 6. quęst. 8. exempla ibidem. Distinctio ex

na-

natura rei est duplex, alia realis, alia formalis, realis admittit tria signa, scilicèt, quòd est actu separatum ab alio, vel potest separari, vel est proportionabiliter separabile, ibidem. Distinctio inter Petrum, & Paulum, quare dicitur realis, sicut inter animam, & corpus, inter totum, & partes unitas. Distinctio formalis est illa, quæ cadit inter plures formalitates, & quid sit formalitas, & quid res, ibidem. Distinctio formalis duplex positiva, & negativa, disput. 3. quęst. 3.

Diffidium inter Platonem, & Aristotelem circa prima principia, disput. 3. quęst. 10.

Divisio entis per quantum, & non quantum vera, & adæquata entis divisio, communis Deo, & Creaturis, disput. 2. quæst. 1. & 4. metaphysicæ concl. 1. Distantia Dei à Creatura, etiam supræma, est infinita, quomodo intelligitur, disp. 2. quæst. 2.

Deus, & Creatura, an conveniant communitate reali, vel rationis, ponitur problema, disput. 3. quæst. 1. Deus, quomodo possit dici objectum scientiæ metaphysicæ, disput. 1. quæst. 7. Deus non potest esse objectum adequatum metaphysicæ ibidem, Deus, & Creatura se totis distinguntur, & quomodo, disp. 1. quæst. 8., & disp. 3. quæst. 5. in fine, Deus probatur naturaliter, & rationes sunt evidentes, disput. 4. quæst. 1. & 12. metaphysicæ, conclu. 8. 9. 10. & 13. Tripliciter possumus devenire naturaliter in cognitionem

Dei, disp. 4. quæst. 1. Deus est infiniti vigoris, secundùm Aristotelem, disp. 4. quæst. 2. Deus est infinitus, quia habet essentiam infinitam, ibidem, Deus est infinitus, quia independens, dicens plenitudinem omnis perfectionis, est infinitus in duratione, ibidem, Deus, & Creatura sunt primo diversa, & quomodo, disp. 3. quæst. 1. & quæst. 2. In Deo quid quid est, singulare est, & quomodo ibidem, Deus ab æterno cognovit omnes Creaturas, non solum, secundùm esse Creatum, ut sic; sed secundùm rationes particulares earum; dispu. 5. quæst. 1. Deitas ex se est perfecta, disp. 3. quæst. 3. Deus sua quidditate est, quo formaliter melius excogitari non potest, quomodo intelligitur, ibidem, Deus non minus cognoscit ab æterno rerum essentias, quàm rerum existentias, disp. 5. quæst. 1. Deus non aliter novit facta, quàm facienda, disp. 5. quæst. 2. Deus non potest facere universum melius essentialiter, disp. 5. quæst. 3. Deus ab æterno non cognovit aliquod positivum in homine, ratione cujus dicatur homo possibilis positivè, aut positivè impossibilis, sed solum aliquod negativum, disp. 5. quæst. 2. Deus in eodem instanti in quo intelligit Creaturas producit, & in eodem instanti in quo illas producit, secundum esse diminutum illas intelligit, & quomodo nobis persuadendum sit, vide disp. 5. quæst. 4. in fine, Deus est possibilis logicè, non possibilis objectivè, disp. 5. quæst. 6. Deus est, quare est pro-

positio per se nota, non simpliciter, disput. 5. quęst. 8. Deus est ens per essentiam, quomodo explicatur ibidem in fine. Deus assumpsit in homine totum, quod plantaverat, quomodo intelligitur Damascenus, disp.5.quæst.11. Deus non assumpsit personalitatem creatam, ibidem. Deus dicitur absolutè bonus formaliter bonitate primaria, & etiam dicitur bonus bonitate ista secundaria, sed non per respectum ad Creaturas, vel ad extra, disp.6.quæst. 8. Deus est bonus ab æterno bonitate trascendenti, quomodo intelligitur, ibidem in fine.

E

ENs secundum etymologiam, quid sit, sumi potest quinque modis, dispu.2.quæst. 1. Ens abstractissimè sumptum complectens reale, & ens rationis, non est objectum metaphysicæ, disp.1.quæst.5. Ens per accidens nec est objectum metaphysicæ, nec de ipso datur scientia metaphysica, disp.1. quæst. 6. Ens rationis non potest esse objectum partiale in metaphysica, nec de ipso datur scientia in metaphysica, disp. 1. quæst. 5. Ens reale, & ens rationis non conveniunt in unitate reali, sed tantum nominis, & vocis, disp.1.quæst.5. Ens rationis non reducitur ad ens reale, ut pars, aut ut principium; sed ut aliquod consequens, & per accidens, sic etiã privationes, & negationes, & quomodo ens ratio-

tionis participat passiones entis, disp. 1. quæst. 1. Ens in quantum ens est objectum adæquatũ metaphysicæ, disp. 1. quæst. 8. Ens habet principia complexa, non verò incomplexa, seù essendi, alias daretur processus in infinitum in caussis, & causatis, disp. 1. quæst. 8.

Ens, quòd reperitur in Creatura non solum habet principia cognoscendi, sed etiam essendi, quomodo intelligitur, disput. 1. quæst. 8. Ens in illo sensu debet habere principia essendi, in quo statuitur objectum metaphysicæ, ibidem. Ens ut sic primo dividitur in ens reale, & ens rationis, & quid sit ens reale, & quid sit ens rationis, disp. 2. quæst. 1. Ens reale non dividitur in unum, & multa, neque in ens per se, & in ens per accidens, neque per finitum, & infinitum, sed per quantum, & non quantum, disp. 2. quæst. 1. Ens quantum duplex, ibidem, ens non quantum quid sit, ibidem. Ens non quantum nullam dicit perfectionem, disput. 2. quæst. 1. Ens non potest dari, quòd non sit bonum, & consequenter, quòd non dicat perfectionem, quomodo intelligitur, ibidem. Ens ut sic non est univocum enti reali, & rationis, quia repugnat, quare, disp. 2. quæst. 2., & 4. metaphysicæ conclu. 2. Ens reale est commune univocum omnibus entibus, tàm positivis, quàm privativis, & negativis, disput. 2. quæst. 3. Ens reale aliquando solet dici nominaliter, & aliquando verbaliter, ibidem, & disp. 5. quæst. 2. Ens est univocum sub-

stantiæ,& accidenti,& quomodo,disp. 2. quæst. 4. per totam ; est commune univocum Deo , & Creaturæ, univocatione imperfecta cum anologia disp.2. quæst.5. per totam. Ens creatum est posterius formaliter ente increato , quomodo intelligitur,disput. 2.quæst.5.Esse entis est esse repræsentabile , ut indifferens , & quomodo, disp. 2. quæst. 7. Ens perfectè præscindit à suis inferioribus,disp. 2.quæst.8.per totam;Ens non importat disjunctivè sua inferiora , disput. 2. quæst.8.Ens rationis non est medium inter duo contradictoria,disp.2.quæst.9.in fine. Ens reale potest sumi dupliciter, ibidem. Ens in suo conceptu formali præcisivo non includit positivũ, & ideo perfectè præscindit ab esse positivo , & privativo,disp.2.quæst.10.per totam.Ens an dicat realitatem à parte rei communem suis inferioribus, problematicè proceditur, disput. 3. quæst.1.per totam. Ens non includitur formaliter in ultimis rerum differentiis,disp.3.quæst. 6.per totam.Ens ponitur in definitione passionis,tamquàm additum,disp.3. quæst.7. Ens respectu Dei,& Creaturæ, substantiæ, & accidentis,decem generum, specierum, differentiarum, & passionum est univocum prædicatum , disp. 3. quæst. 7. in fine. Ens in quantum ens reduplicativè non habet principia essendi, licet ens, ut ens habeat principia cognoscendi, disput.3. quæst.8.& 4.metaphysicæ concl.5.& 6. Ens fit, & incipit, & est ex essentia , & existentia , quo-

mo-

modo intelligitur, disp.3. quæst. 8. Ens dividitur in ens in anima, & in ens extra animam, & hoc in ens reale actuale, & in ens reale possibile, disput.5. quæst.5. Esse ens, & esse ensale, quomodo differunt; disp.3. quæst.4. Ens non includitur formaliter in conceptu formali, & quidditativo modorum, disp.3. quæst. 4. Ens non potest esse genus, alias nulla differentia esset quidditativè ens, cum ens prædicetur quidditativè de differentia non ultima, disp.3. quæst. 5. & 12. metaphysicæ concl.3. Ens contrahitur ad Deum, & Creaturam &c. Per modos, non per differentias, ens verò finitum ad substantiā, & accidens descendit per differentias, disput.3. quæst.5. Ens reale habet veras, reales, & positivas passiones, disp.6. quæst.1. Argumenta Thomistarum facile solvuntur, ibidem. Ens in quātum ens abstrahit à ratione, causæ, & causati, ab essentia substantiali, & accidentali, simplici, & composita, actuali, & potentiali, perfecta, & imperfecta, perficienti, & perfectibili, quomodo est verum, disp.6. quæst.1. in fine. Ens sicuti se habet ad veritatem, ita se habet ad bonitatem transcendentalem, disp. 6. quæst. 8. Ex duobus entibus in actu, quare non fit unum per se, disp. 5. quæst. 10.

Existentia, quæ est actus universalissimus totius entis habet, quòd, limitetur à Deo, à quo dependet efficienter, limitatur tamen à se ipsa in genere causæ formalis, disp.5. quæst.6. Essentia

in esse objectivo, seù potentiali, & existentia realis, licèt non distinguuntur positivè, distinguntur tamen negativè, & quomodo, disp. 5. quæst. 6. Essentia realis, & existentia realis non distinguntur per intellectum, sed ex natura rei formaliter, disp. 5. quæst. 6. Ex essentia, prout est in potentia objectiva, & ex existentia nulla fit compositio metaphysica, disp. 5. quæst. 9. Ex essentia, & ejus existentia fit aliqua compositio modalis, ibidem, ex essentia, & existentia in Deo, quare nulla fit compositio, disp. 5. quæst. 9. in fine.

Essentia sumitur multipliciter, propriè tamen illa dicitur, cui non repugnat existentia realis, disp. 5. quæst. 1. Essentia realis, seù ens reale, est quòd existit, aut existere potest, ibidem. Essentiæ Creaturarum ab æterno dicunt posse existere, quia possibiles, quomodo intelligitur, ibidem, in fine. Essentia divina est exemplar rerum omnium, quomodo intelligitur, disput. 5. quæst. 2. Esse diminutum, idem est, ac esse cognitum, sivè esse secundùm quid, quòd Creaturæ habuerunt non à seipsis, sed ab intellectu divino, quia cognitum à cognitione derivat; disp. 5. quæst. 4. Essentia divina est ita primùm ens divini intellectus, ut etiam respectu illius sit primum intelligibile, disp. 3. quæst. 4. Esse intelligibile, quomodo præcedit esse intellectum, ibidem. Esse cognitum, quòd Creaturæ habent ab æterno in mente divina, non est quid medium inter ens

reale,& rationis, neque per indifferentiam, neque per extremorum participationem, disp. 5. quæst. 5. Esse cognitum Creaturarum est ejusdem rationis, cum esse exemplato, & repræsentato, disput. 5. quæst. 5. Essentia,ut communis Deo, & Creaturis,quomodo exprimi debet, disput.5.quæst.*6.* Existentia aliud non dicit, nisi extra sistentiam, & est illa, ratione cujus res constituitur extra nihil,disp.5.quęst.*6.*Essentia, & existentia possunt ad invicem quatuor modis comparari, ibidem. Essentia realis, & existentia realis, non distinguntur realiter, & argumenta recentioris Thomistæ facilè solvuntur,dispur.5. quæst. 6. Existentia cujuslibet rei quænam sit,disp. 5. quæst.7. Existentia non est de quidditate Dei,sed modus intrinsecus, ratio à priori id probans; Scoti authoritates facilè explicantur,*disp.5.quæst.8.per totam.* Existentia Dei immediatissimè competit essentiæ Dei, & propositio in qua prædicatur esse de Deo non est secundi modi, & ad ipsam resolvuntur cęterę propositiones de Deo, quomodo intelligitur,ibidem.Equinitas, nec est per se una, nec plures, ex Avicenda,quomodo est verum disp. 2. quęst. 1. Equivoca possunt distingui in gradu dupplici,disput.2.quęst.4.Equivocatio nominis, sæpe intellectum decipit,disp,2. quęst.*9.*
Ægidii Romani, & Mirandulani rationes, quod metaphysica considerat quidditates in universali, & in particulari, improbantur, disp. 1. quęst.*9.*

 Fi-

F

Finis est per se causa,& includit partem materialem,& formalem,genus,& differentiam;5. metaphysicæ conc. 1. Finis est causa causalitatis efficientis, ibidem, conc.2. Finis quidam est finis gratia cujus, & quidam est finis, quo; ibidem conc.4., quomodo appellatur à Scotistis, ibidem conc. 5., & sequent. Finis est nobilissima omnium causarum causa. 5. metaphysicæ conc.9., & sequent.

Forma substantialis potest accipi,vel ut est in fieri, vel ut in esse , primo modo est simul natura cum ipsa generatione; secundo modo est prior natura,quam sit ipsa generatio,& quomodo est verum, 2.metaphysicæ conc.18. Forma si comparetur ad materiam in diversis numero suppositis ejusdem speciei, tunc forma erit prior materia,& origine, & perfectione, & causalitate, ponitur exemplum; 7.metaphysicæ conclu. 17. Forma eadem numero, non intenditur, neque remittitur, & quomodo intelligitur 8. metaphysicæ conc. 5.in forma substantiali dantur gradus,& quomodo 8.metaphysicæ, conclu.6. Forma comparata ad materiam in eodem composito numero, licèt sit prior prioritate perfectionis,quàm materia,non tamē est prior natura,vel origine,imò posterior 7.metaphysicæ conc. 16.,& quomodo forma sit magis ens,

quàm

quàm compositum, ibidem.

Formale constitutivum essentiæ in esse reali est existentia, ideo repugnat essentiam separari ab existentia, disp. 5. quæst. 7. Forma substantialis, cum sit prius, quolibet accidente natura, potest esse producta prius, quam sit ejus productio, & in aliquo instanti naturæ erit substantia accipiens esse, in quo non est productio 2. metaphysicæ conc. 19. Forma animastica, & forma corporeitatis, quæ verè dantur in vivente, & præter has sunt aliæ formæ partiales specie distinctæ, tot, quot organa distincta. 12. metaphysicæ concl. 2.

Formalitates quænam sunt, & quid propriè intelligitur per formalitatem, disput. 6. quæst. 8. Formalitates, quando sunt diversæ naturæ, vel rerum diversarum intercedit distinctio realis, ibidem. Formalis distinctio quid sit, ibidem.

Fieri potest, quòd varietur unitas, invariata entitate, talis entitas non esset una, quomodo intelligitur; disp. 6. quæst. 4.

G

GEnus semper est positivè limitatum, disp. 3. quæst. 5. omne genus est potentiale, & perfectibile per differentiam, ibidem. Genus substantiarum abstractarum, seù substantia immaterialis, communis Deo, & Angelis, non est objectum metaphysicè, disp. 1. quæst. 7. Gradus

in

in ęquivocis duo distingui possunt, disput. 2. quęst. 4. Gradus univocationis sunt quatuor, ibidem., & 4. metaphysicæ conc. 4. Gradus primus, secundus, & tertius perseitatis quid sint, & quomodo distinguntur inter se, disp. 3. quæst. 3. Gradus determinabilis, & gradus determinativus in composito metaphysico, horum graduum determinabilium, & determinativorū, alii sunt ultimò determinabiles, & ultimò determinativi, alii nō ultimò determinabiles, nec ultimò determinativi, dis. 3. q. 6. differētia inter istos gradus, disp. 3. q. 6. Gradus metaphysici, qui nam sunt, & quomodo distinguntur, disput. 6. quęst. 8.

Genus demonstrationis duplex à priori, & deducens ad impossibile, disp. 3. quęst. 9. Gratis conceditur, quòd ratio entis abstracti, petit prius contrahi per rationem independentię ad ens increatum, & posterius per rationem dependentiæ ad ens creatum, disp. 2. quęst. 5. Geometria magis convenit cum mathematica 11. metaphysicæ conc. 3. Gregorii Ariminensis opinio confutatur, disp. 4. quæst. 2. Gregorii Arimensis ratio, quòd Deus secundùm mentem Aristotelis non est infiniti vigoris, faciliter solvitur, ibidem.

H

Habitus intellectuales, qui sunt quinque, distinguntur ad invicem pænes objectum, & tres

tres pertinent ad intellectum speculativum, & duo ad intellectum practicum, disput. 1. quæst. 2. Habitus est ratio cognoscendi in universali, non verò in particulari, ad differentiam potentiæ intellectivæ, quæ est ratio cognoscendi in universali, & particulari, disp. 1. quæst. 9.

Hæ duæ propositiones de rebus ab æterno cognitis à Deo possunt fieri, scilicèt Creaturæ cognitæ à Deo ab æterno ratione ejus essentiæ, quò formaliter sunt in seipsis appellantur entia rationis; Creaturæ verò cognitæ ab æterno, ratione ejus, quòd attingitur à scientia Dei, & cognoscitur eis non repugnare sunt entia realia potentialia, disp. 5. quæst. 5.

Heraclitus quid affirmabat de primo principio, disput. 3. quęst. 9.

Homo si lumine naturali assentitur veritati primorum principiorum, omnes homines assentirent, disput. 3. quęst. 10.

Humanitas in sua ultima abstractione est perfectior asinitate, & imperfectior Deitate, disp. 2. quæst. 1. Humanitas Christi existit existentia propria, & non existentia Verbi, disputat. 5. quæst. 7.

I

INtellectus est universalium, sensus verò singularium, quomodo intelligitur, disp. 1. quæst. 1.

Inhærens, & inhærentia non sunt idem, & quomo-

modo differunt, disput. 1. quæst. 9. Ista particula per se, aliquando determinat inhærentiam, scilicèt copulam, aliquando prędicatum, disp. 1. quęst. 9. Intellectio fit mediantibus sensibus, disput. 1. quęst. 10. Intellectus certus de uno, & dubius de duobus, habet conceptũ unum, &c. quomodo intelligitur, disp. 2. quęst. 1., & disp. 2. quęst. 6. Intellectus ad prolationem vocis, ens, non distrahitur, sed unitur, disput. 2. quęst. 6. per totam. Intellectus habet virtutem pręcisivam, disput. 2. quęst. 6. In causis essentialiter subordinatis deveniendum est ad unam primam causam, quę non dependeat, disput. 4. quęst. 1., & 12. metaphysicę concl. 8. Infinitas virtutis, seù perfectionis quid sit, disp. 4. quęst. 2. Infinitas triplex excogitari potest in Deo, ibidem. Infinitum est ignotum, quomodo intelligitur, ibidem. Infinitas non est de quidditate Dei, nec pertinet ad primum gradum, & & primum modum dicendi per se, disput. 3. quęst. 3.

Intellectus divinus in primo instanti naturæ intelligit essentiam divinam, sub ratione summi boni, & in secundo intelligit Creaturas possibiles, non intelligendo earum repugnantiam, & sic dicuntur Creaturę productæ in esse intelligibili, & in tertio instanti Creaturę sic intellectæ dicuntur logicè possibiles, vel impossibiles, disp. 5. quæst. 3. Ideo aliquod est à Deo factibile, quia habet capacitatem, ut fieri possit, & non,

& non, quia ideo possibile, quia in Deo datur capacitas, disputat. 5. quæst. 3. Implicat dari aliquod ens, quòd formaliter habeat aliquod reale, & aliquod rationis, vel indifferentiam inter ens reale, & rationis, disp. 5. quæst. 5. Inhęrentia actualis, nec aptitudinalis sunt de essentia accidentis 7. metaphysicæ concl. 19., & 11. Illud, quòd melius est semper arbitramur in natura, disp 1, quæst. 10.

In quolibet composito metaphysico duo reperiuntur gradus, quorum unus est determinabilis, & alter determinativus, disp. 3. quæst. 6. In conceptibus, ultima resolutio fit in conceptum entis, sic etiam in principiis, ultima resolutio fit in principium, disp. 3. quæst. 9. Inter absolutum, & respectivum datur ordo, & quomodo, disp. 6. quæst. 3. In causis precisis, ubi affirmatio est causa affirmationis, ibi negatio est causa negationis, disp. 5. quęst. 3. In Christo sunt plures existentiæ, sicut plures essentię, disp. 5. quęst. 6. In divinis non tantum dantur relationes originis reales, sed etiam relationes actuales, communes tribus personis, disp. 6. quęst. 8. In divinis dantur relationes reales identitatis, similitudinis, & ęqualitatis, ibidem. Inter mathematicam, & physicam dantur scientię medię, & quęnam sint. 11. metaphysicę conc. 3. Infinitum non est separabile à sensibus, quomodo est verum 11. metaphysicę, conc. 4. Illud, quòd melius est semper arbitramur in natura, disp. 1. quęst. 10.

Lo-

L

Logica, quomodo agit de syllogismo vero, & falso, disp. 1. quæst. 5. Logica potest confirmare omnes suas conclusiones per impossibilem demonstrationem; nam de quolibet est affirmatio, vel negatio, disput. 3. quæst. 9. Logica est modus sciendi, & est addiscenda ante metaphysicam 2. metaphysicæ, concl. 11.

Linea, quæ est species quantitatis continuæ, distincta à corpore, & superficie, quomodo consideratur à metaphysico, disput. 1. quæst. 9.

M

Materia signata non est prioncipium individuationis, 5. metaphysicæ, conc. 21. Materia, forma, privatio, generatio, corruptio considerantur à metaphysico, vide supra primum, & secundum metaphysicæ, ubi sunt probatæ conclusiones, & 12. metaphysicæ, concl. 7.

Magis distant Creaturæ à Deo, quam ens rationis ab ente reali, quomodo intelligitur disput. 2. quæst. 2. Maximè simplex dicit plura per modum actus, & non per modum actus, & potentiæ disput. 6. quæst. 7. Mathematica, quomodo distinguitur à metaphysica, & physica, disp. 1. quæst. 9.

Membra, quæ dividunt ens reale, sunt quantum, & non

& non quantum disp. 2. quęst. 1. Medium, sivè principium demonstrandi passiones de subjecto est definitio, quomodo verum, disput. 3. quęst. 8. Medium ad probandum abstractum potest esse abstractum, disp. 1. quęst. 10.

Metaphysicus multò perfectius, sed non multò efficacius ostendit primam causam esse, 12. metaphysicæ concl. 9. Metaphysica dicitur scientia post naturalis, & etiam transcendentalis, imò dicitur Theologia, disput. 1. in prohæmio. Metaphysica dicitur sapientia, secundùm omnes conditiones sapientiæ, disput. 1. quęst. 1. per totam. Metaphysica considerat omnia entia, etiam motum generationis, & corruptionis non in particulari, sed in universali, sic etiam omnia entia, sivè mobilia, sivè immobilia, ibidem. Metaphysica est scientia speculativa, quomodocumque sumatur, sivè actualiter, sivè habitualiter, sivè partialiter, sivè totaliter, disp. 1. quęst. 3. Metaphysica non sibi subalternat physicam, & mathematicam, disputat. 1. quęst. 4. Metaphysica quomodo est circa prima principia, & primas causas, disp. 1. quęst. 7. Metaphysica quomodo versetur circa nobilissimum objectum, ibidem. dicitur Theologia, ibidem. Metaphysica, quomodo distinguitur à physica, & mathematica, disput. 1. quęst. 9. Metaphysica considerat quidditates rerum in universali, quomodo verum, similiter, & in particulari, disput. 1. quæst. 9. Metaphysica considerat

derat illud genus, ad quòd pertinet linea quomodo intelligitur, ibidem. Metaphysica considerat doctrinam substantiæ corporeæ, & incorporeæ, quomodo intelligitur, ibidem. Metaphysica considerat substantias separatas immateriales, scilicèt, & Angelos, non solum in universali, sed etiam in particulari, non tamen, quò ad conceptus proprios, & indivisibiles, disp. 1. quæst. 9. Metaphysica potest probare substantias abstractas à posteriori, disput. 1. quęst. 10. per totam. Metaphysica solum considerat quodquid est, disput. 1. quęst. 9. Metaphysicus potest abstrahere à positivis, privativis, & negativis unam rationem realem communem illis, disput. 2. quæst. 3.

Modi intrinseci, & extrinseci dantur, & ratio est à priori, & à posteriori, & quomodo definiuntur, disput. 3. quæst. 2. per totam; discrimen inter modum intrinsecum, & extrinsecum, ibid. concl. 2. Modi non distinguntur formaliter positivè à quidditate, cujus sunt modi, disput. 3. quæst. 3. Modi intrinseci non sunt conceptibiles absque quidditate cujus sunt modi, nec sunt de essentia suarum quidditatum, disp. 3. quæst. 3. Modi intrinseci pro ut distinguntur à passionibus, quæ pertinent ad secundum modum possunt dici pertinere ad primum modum, & pro ut distinguntur à prædicatis quidditativis, non pertinent ad primum modum perseitatis, disp. 3. quæst. 3. Modi non sunt

for-

formaliter entia, disput.3. quæst.4. per totam. Modi habent entiam suas proprias existentias, disput. 5. quæst. 10. Musica magis convenit cum mathematica, quàm cum physica 11. metaphysicæ conc.3.

N

NAtura scilicèt equinitas, ut prior suo modo intrinseco, nec formaliter distinguitur, nec formaliter non distinguitur, quomodo intelligitur, disput.2.quæst.1. Natura non individuatur per materiam, 5. metaphysicæ, concl. 20. Natura humana Christi, licèt non habuit propriam subsistentiam, non propter hoc defuit ei aliqua perfectio, disput. 5. quæst. 11. Natura humana Christi, licèt habuit naturalem inclinationem ad suppositum divinum, non tamen divina personalitas fuit illi connaturalis, ibid. Natura quælibet creata primò intelligitur existens, & secundo per se existens, ibidem. Naturæ communes, tàm substantiales, quàm accidentales habent proprias existentias, disput. 5. quæst. 10.

Negatio in genere, & extra genus quid sit, & quomodo differāt, disp.2.quęst.3. Negatio secūdū, quid, & negatio simpliciter quid sint, & quomodo differunt, disp.5. quæst. 11. Negativum est constitutivum personæ creatæ, ideo benè respondetur ad rationes de positivo, disputat.5. quæst.11.

Nomen res est æquivocum, & potest sumi multipliciter, & sic nomen nihil, disp.2. quæst.9. in notabili. Nomen essentiæ sumitur multipliciter, propriè tamen, disp.5. quæst.1.

Non intelligimus, nisi per sensus, quomodo verum, disp.1. quæst.10. Nulla scientia præter metaphysicam considerat quòd quid est, quomodo verum; disp.1. quæst.9. Nullus effectus æquivocus potest fundare univocationem, quomodo intelligitur, disp.2. quæst.5. Nulla ratio inferior est absolutior ratione sui superioris, disp.2. quęst.7. in fine. Nullus ignorat locum januę in domo, quomodo intelligitur disp.3. quæst.10. Nulla Creatura fuit ab ęterno producta, disp.5. quęst.1. Nihil dicitur formaliter tale nisi per propriam formam sibi formaliter inexistentem, disput.5. quęst.3. Non aliter Deus novit facta, quàm facienda, secundùm dictum Augustini, disp.5. quæst.2.

Non sunt plures modi cognoscendi, quàm per doctrinam, vel inventionem; disp.3. quęst.10.



O

OBjectum, quo universaliùs eò imperfectiùs, quomodo verum disp.1. quæst.7. Objectum adæquatum metaphysicæ est ens commune Deo, & Creaturis, disp.1. quæst.8. Objectum, seù subjectum debet esse causa passionis, metaphysicę non physicè, ibidem. Objectum scientiæ de-

debet constare ex parte materiali, & formali, quomodo verum dispu.1. quęst.8. Objectum scientię speculative non fit per illam, sed supponitur scientię speculativę, quomodo verum, disp.5. quęst.4.

Omne cognitum per doctrinam, vel per inventionem, per aliud prius notum cognoscitur, disp.3. quęst. 10. Omne ens enti comparatum, aut est idem, aut diversum, quomodo intelligitur, disp.2. quęst.1. Omnis conceptus communis pluribus, & superior eis includitur per se in quolibet illorum, quomodo verum disput. 2, quæst. 2. in fine. Omne prædicatum, quòd est in Creatura est quid participatum, quomodo intelligitur, disp.2. quęst. 5. Omnis ratio entis, quæ est in Creatura est à Deo, quomodo verum, ibidem. Omnis nostra cognitio ortum habet à sensibus, quomodo declaratur à Scoto, disp.3. quęst.10. Omnis non repugnantia fundatur in aliquo, quòd habet non repugnantiã, quomodo verum, disp.5. quæst.2. Omne impossibile supponit sua passibilia; adducitur exemplum, disp.5. quęst.3. in fine. Omnipotentia, seù virtus infinita dupliciter consideratur in Deo Theologica, & phylosophica, & quid sint, disp. 4. quęst. 2. Omne per se agens agit propter finem. 5. metaphysicæ concl. 3. Omnibus rebus competit propria existentia, disp. 5. quæst. 10. Oppositorum eadem est disciplina, idest scientia, quomodo verum, disp. 1. quæst. 5.

Ordo inter passiones entis, an sit de mente Scoti. dissidium inter Scotistas, disp.6. quęst.3. Ordo inter aliqua duplex excogitari potest disput. 6. quęst.3. Ordo causalis, idest essentialis, vel ordo effectuum, & accidentalis, quid sit, ibidem. Ordo inter absolutum, & respectivum, ibidem. Ordo in quibus rebus potest fundari; 5. metaphysicę conc.10. Ordo triplex temporis, naturę, & originis, & quomodo diversificantur isti ordines.2. metaphysicę conc. 17.

P

Passio est extra rationem formalem subjecti, tamen ratione identitatis realis cum subjecto, dicitur intrinseca subjecto, disp. 3. quęst.2. in fine; Passiones entis, quomodo participantur ab ente rationis, disput. 1. quæst. 5. Passio non distinguitur realiter à subjecto, nec est accidens physicum, sed metaphysicum disput.1. quęst.5. Passio non est formaliter ens, licèt sit extra nihil, ibidem. Passiones entis pluribus modis explicari possunt, & in variis modis possunt ordinari, & una potest esse prior, & posterior alia, juxta diversas considerationes passionum; disp. 6. quæst. 3. Passiones entis, si considerantur, secundùm id, quòd dicunt à parte rei, inter illas non datur ordo, nec causæ, nec effectuum; sed omnes immediatè emanant ab ente, potest admitti, & variari ordo, secundùm variam nostrã

explicationem,disp.6.quæst.3. per totam; Passiones entis ad invicem se præseferunt, & quomodo,disp.6.quæst.3.in corpore quæst. Passiones entis possunt explicari per absolutum, & respectivum,ibidem,in fine; Passio propria subjecti in omni genere competit omni subjecto, soli,& semper,disp.6.quæst.4.Passio propria, & adæquata alicujus convertitur cum illo, ibidē.
Potentiæ non organicę sunt abstractissimæ, non verò habitus talium potentiarum,ideò intellectus, ut potentia inorganica, est potentia illimitata,& quasi infinita objectivè, non expectās specificari ab objecto suo,è contra verò scientia præsertim metaphysica, semper specificatur à subjecto,disp.1.quæst.5. Potentia intellectiva considerat quidditates, non solum materiales in universali, sed etiam in particulari, non sic verò habitus,seù scientia,disp.1.quæst.9.
Physica,quomodo agit per se de forma, & privatione,disput.1.quæst.5. Physica, quomodo distinguitur à metaphysica,& mathematica,disp. 1. quæst. 9., per se quot modis potest intelligi, ibidem.
Platonici negant unitatem esse veram passionem entis.disput.6. quæst. 4. Per abstractum, potest probari dari abstractum, & non est petitio principii,disp.1.quæst.10.
Perfectio in aliquo positivo consistit, & suscipit magis,& minus,disp.6. quæst.5. Positivum dicit perfectionem,non verò negativum, ibidem.

Positivum, quòd dicit unum supra ens ex natura rei est distinctum ab ente, nam passio supponit essentiam constitutam, disput.6. quæst.5. Positivum, & negativum, quomodo non sunt contradictoria, disp.2. quæst.3.

Propositiones identicæ, & formales quid sint, disput. 2. quæst. 8. Privationes non solum sunt à parte rei, sed sunt entia, disput.2. quæst.10. Per totam, positivum, & privativum non opponuntur contradictoriæ in ratione entis, ibidem. Privatio quare non dicit entitatem, ibidem. Prædicata quidditativa Dei non distinguntur, & quomodo, disp.3. quæst.1. Propositio hæc, ab æterno valebat dicere homo est animal rationale, quare æternæ veritatis disp.5. quæst. 1. In quo est fundata ejus veritas, ibidem. Prędicatum, quòd est in Creatura est effectus æquivocus respectu Dei, quomodo intelligitur, disp. 2. quęst.5. Prædicatum, quòd est in creatura est participatum, quomodo intelligitur, ibidem. Proprietates habent suas peculiares existentias disp.5. quæst.10.

Purum nihil potest sumi dupliciter, disputatione 2. quęst.9.

Q

QVantum, & non quantum sunt membra dividentia entis realis, disp.2. quęst.11 Quantitas virtutis, & perfectionis quid sit, ibidem.

Quan-

Quantitas virtutis intimior est enti, quàm unitas, & multitudo, ibidem. Quia competit in esse quidditativo ipsi, ibidem; Quando conceptus est per se unus, & perfectè pręcisus à suis inferioribus, disp. 2. quęst. 8. Quantitas ut unita, & non unita, sunt diversi modi in obliquo, quatenus importat, vel non importat actualem substantiam, disp. 3. quęst. 2. Quantitas bipalmaris dum est conjuncta est una unitate entis, disp. 6. quęst. 4. Etiam separata, ibidem. Quantitas dum dividitur non amittit aliquid entitatis transcendentis, sed solum aliquid prędicamentalis quantitativè, disp. 6. quęst. 4. in fine. Quantitas non concurrit ad individuationem 5. metaphysicę conc. 2.

Quę physicè, vel metaphysicè componunt resolvuntur ultimò in purum actum, & puram potentiam disp. 3. quest. 6. Quare cognitio simplex terminorum ortum ducit à sensibus, & non complexa propositionum, disp. 3. quæst. 10. in fine. Quæ propriè dicitur vera essentia, disp. 5. quęst. 1. Quare homo non repugnat, & chymera repugnat disp. 5. quæst. 2., & disp. 5. quæst. 3. Quandocunquæ duo in suis conceptibus simplicissimis, & abstractissimis non se formaliter includunt, in nullo uno formaliter univocantur, disp. 5. quæst. 8. Quælibet res, sivè Creata, sivè increata sua natura secluso opere intellectus comparantis, & fingentis est veritati conformativa, per manifestationem, assimila-

tionem, & identificationem intentionalem, disp.6.quæst.7.
Quomodo omnia dicunt attributionem ad subjectum scientiæ, disp.1.quæst.7. Quidquid repugnat alicui formaliter ex se repugnat ei, & quòd non repugnat formaliter ex se non repugnat, disp.5. quæst.3. Quòd habet receptum in essentia debet esse realiter distinctum ab essentia, & quomodo Creatura habet esse receptum in essentia, & quare nihil potest recipi in se ipso, disp.5. quæst. 6. Quidquid incipit per generationem, saltem productivam, potest intelligi duobus modis 2. metaphysicæ concl.20. similiter esse ab alio, ibidem.

R

Ratio entis prius contrahitur ad Deum, quàm ad Creaturam, disp.2. quæst.7., & 8. Ratio à priori, & à posteriori, cur dantur modi intrinseci, & extrinseci, licèt sint modicè entitatis, disp.3. quæst. 2. Rationes ultimò determinabiles, & non ultimò determinabiles, & ultimò determinativæ, & non ultimò determinativæ quid sint, disput.3. quæst.6. Ratio Magistri sent. non tenet absolutè, quòd universum possit fieri melius, disp.5. quæst.3.
Realitas duplex subjectiva, & objectiva, realitas entis à parte rei communis Deo, & Creaturæ, substantiæ, & accidenti, si datur problematicè di-

discutitur, disp. 3. quæst. 1. per totam. Realitas tunc est potentialis, quando est indifferens ad aliqua finita, & limitata, quę possunt habere rationem actus, & potentię physici, vel metaphysici, ibidem, in fine.

Res formaliter dicuntur possibiles, vel impossibiles suis rationibus formalibus, principiativè verò ab intellectu divino, disput. 5. quęst. 3. in fine. Res non possunt existere per alienam existentiam, sed per propriam, disp. 5. quęst. 7. per totam. Res omnes tàm absolutæ, quàm relativę, completę, & incompletę, substantiales, & accidentales, habent proprias existentias, disp. 5. quæst. 10. per totam.

Relationes in divinis formaliter non dicunt perfectionem, disp. 6. quęst. 8. in fine, & 4. metaphysicæ coucl. 1.

Relationes Creatæ sunt quantæ, non verò relationes originis, disput. 2. quæst. 1. Relationes originis non habent positivè negationem perfectionis, ibidem. Relatio, secundùm conceptum ultimatum semper est, vel realis, vel rationis, ideò non datur conceptus relationis perfectè abstractus à relatione reali, & rationis, disput. 2. quęst. 9. in fine. Relationes tàm Creatæ, quàm increatæ habent proprias existentias, distinctas ab existentiis fundamenti, & termini, ibidem. Relatio nequit habere majus esse, quàm suum fundamentum, à quo accipit suum esse, disput. 6. quęst. 5.

Res quælibet, sivè Creata, sivè increata, sua natura seclusò opere intellectus comparantis, & fingentis est conformativa enti, sivè veritati, per manifestationem, assimilationem, & identificationem intentionalem, disput. 6. quæst. 7.
Responsiones Thomistarum contra conceptum objectivum præcisivum entis ab inferioribus, confutantur, disput. 2. quæst. 8. per totam.
Reubarbarum, quare non causat notitiam hanc purgativum colleræ, disp. 3. quæst. 10. in fine.

S

Sapientia, quomodo definitur, & an metaphysica sit sapientia, disput. 1. quæst. 1., & primo metaphysicæ concl. 6.
Scientia potest accipi dupliciter, pro notitia conclusionis, & pro notitia habita ex præmissis, disput. 1. quæst. 1. Scientia, ut sit subalternans alias scientias, quas conditiones requirit, disp. 1. quæst. 4. Scientia non potest ferri ultra suum objectum adæquatum, disput. 1. quæst. 7. Scientia nobilissima debet esse de nobilissimo objecto, ibidem., in scientiis universalibus non semper pars formalis distinguitur à materiali, disput. 1. quæst. 8. Scientia Dei ab æterno de Creaturis, quomodo est realis ab objecto motivo, & quare nihil correspondet reale Creaturis, disput. 5. quæst. 1. In tali scientia, quomodo Creaturæ differunt ab entibus Chymericis, ibi-

ibidem, & seq. Quomodo philosophandum circa Creaturas ab æterno, disput. 5. quæst. 3. Scientiæ mediæ naturales dantur 11. metaphysicæ concl. 3.
Si nulla esset potentia activa, adhuc essent aliquæ res possibiles, vel impossibiles, possibilitate, vel impossibilitate logica, disput. 5. quæst. 3.
Substantia immaterialis, communis Deo, & Angelis non est objectum adæquatum metaphysicæ, disput. 1. quæst. 7. Substantiæ separatæ non sunt omninò nobis ignotæ, ibidem. Substantia aliqua datur, quæ partim est corporea, & materialis, & partim incorporea, & immaterialis, disput. 1. quæst. 10. Substantia materialis non potest cognosci pro statu isto, ibidem, maximè sub conceptu proprio, & particulari, ibidem; sed potest cognosci ab effectibus, seù accidentibus, ibidem.
Subjectum debet habere principia, partes, & passiones, & quomodo, disput. 1. quæst. 8. Subjectum debet habere principia sua, quomodo intelligitur, disput. 1, quæst. 8.
Substantia non prædicatur formaliter de suis contrahentibus, disp. 3. quæst. 4. Si ens esset univocum Deo, & Creaturis daretur aliquod reale prius Deo, quomodo est verum, disput. 2. quæst. 5. Singularia sunt tantum occasio cognitionis principiorum, disput. 3. quæst. 9. Simplicium terminorum apprahensio an sufficiat ad acquirendam notitiam complexam principiorum, disp. 3. quæst. 9.
Su-

Superius includitur formaliter in suo inferiori, quomodo est verum, disp:3.quæst.7.
Scientia, quæ est de causa finali est nobilior omnium, imò est sapientia 5.metaphysicæ, conc.9.
Subsistentia, quæ est vel personæ, vel suppositi, est motus substantialis; per quem natura est independens ab alio, tamquam à subjecto inhæsionis, disp.5.quæst.11. per totam. Subsistentia, & inhærentia possunt sumi dupliciter, ibidem. Subsistentia, est incommunicabilis ut quo, & ut quòd, & quæ sit hæc communicabilitas, & incommunicabilitas, ibidem, in notab. 4. Subsistentia propriissimè sumpta definitur; convenit substantiæ completę, dicitur personalitas, vel suppositalitas, ibidem, notabili 5. Subsistentia, an superaddat ad naturam singularem duplicem negationem, vel aliquid positivum problematicè proceditur, disp. 5. quæst. 11. per totam, Subsistentia in natura, an sit maxima perfectio ratione sui, vel fundamēti, ibidem. Subsistentia non est in potentia obedientiali ad Deum, ut possit assumi, quare ibidem. Subsistentia increata dicit triplicem negationem dependentiæ, actualis, aptitudinalis, & potentialis, & ideò dicit positivum; Subsistentia verò Creata duplicem negationem, ibidem. Subsistentia creata certè debet constitui per negativum, ideò benè respondetur ad rationes de positivo, disput. 5. quæst. 11. in fine quæst. subjectum in illo priori precedit passionem; tunc est unum, quòd non

est

est passio entis, quomodo intelligitur, dispu. 6. quæst. 4. Substantia est prior accidente tempore, definitione, & cognitione 7. metaphysicæ 13., & 14. Conclusio, Substantiæ abstractæ, ut sunt omnes intelligentiæ, non differunt numero, sed quælibet constituit speciem, secundùm Aristotelem 7. metaphysicæ 18. conclusio.

Scoti dicta Metaphysicæ.

Ens ut commune enti reali, & rationis est objectum intellectus, Scotus quomodo intelligitur, disp. 2, quęst. 2. Intellectus certus de uno conceptu, & dubius de duobus, habet conceptum de quo est certus alium de conceptibus, quibus est dubius, quomodo intelligitur Scotus disp. 2. quæst. 2. in responsione ad istantiam Bargii. Maxima distantia Dei à Creatura, etiam supræma, est infinita, quomodo intelligitur Scotus, disput. 2. quæst. 2. Quando aliqua habent aliquam convenientiam secundùm unam rationem, & discovenientiam, secundùm aliam rationem, potest intellectus considerare convenientiam, & non discovenientiam, quomodo intelligitur Scotus; dispu. 2. quæst. 8. Conceptus entis sine modo contrahente, est conceptus inadæquatus, quomodo intelligitur Doctor subtilis; disp. 2. quęst. 8. in fine. Deus, & Creatura sunt primo diversa, quomodo intelligitur Scotus, disput. 3. quæst. 1. Quidditas non potest per-

perfectè, & adæquate concipi, quin concipiatur cum suo modo, quomodo intelligitur Scotus, disput.3. quęst.2. in fine. Singularia sunt tantum occasio cognitionis principiorum, quomodo intelligitur, Doctor, disput. 3. quæst. 9. Omnis nostra cognitio ortum habet à sensibus, quomodo declaratur à Scoto, disput. 3. quæst. 10. Creaturæ in memoria, ut præcedunt, quasi ejus intelligentiam, non habent esse formaliter intelligibiles, quomodo intelligitur Scotus, disp. 5. quæst. 2. Creaturæ, quomodo producuntur ab intellectu divino, disput. 5. quęst. 3. Si per impossibile nulla esset potentia activa in rerum natura, adhuc essent aliquæ res possibliles possibilitate logica, disput. 5. quæst. 3. Intelligentia Scoti ibidem. Res sunt possibiles, vel impossibiles suis rationibus formalibus, principiativè verò ab intellectu divino, quomodo intelligitur Doctor; disp. 5. quæst. 3. in fine. Explicatur doctrina Doctoris subtilissimi ibidem. Datur scientia speculativa in intellectu divino de aliis à se, & quare intellectus divinus non supponit objectum secundarium, quomodo intelligitur Scotus, disp. 3. quæst. 4. Si per impossibile Deus careret intellectu, adhuc Creaturę essent possibiles, quomodo intelligitur Scotus, disput. 3. quæst. 4. ibidem. Ens dividitur in ens in anima, & in ens extra animam, & hoc in ens reale actuale, & in ens reale possibile, quomodo intelligitur Scotus, disput. 5. quæst. 5. Creaturę secun-

cundùm esse cognitum dicuntur non entia, veluti sunt Chymeræ, quomodo intelligitur Doctor, disput. 5. quæst. 5. Ens distinguitur in ens ratum, seù firmum quòd habet actu tale esse essentiæ, & existentiæ, & in illud, quòd distinguitur primò à figmentis, quomodo intelligitur Scotus, disp, 5. quæst. 5. in fine. Secundùm est instans naturæ in quo comparatur intellectus, & voluntas divina ad objectum secundarium, quomodo intelligitur hæc doctrina subtilissima, Doctoris, disp. 5. quæst. 4. Si homo lumine naturali assentitur veritati primorum principiorum, tunc omnes homines æqualiter assentirent, quomodo intelligitur Scotus, disput. 3. quæst. 10. Affectiones entis sunt indemonstrabiles de ipso ente, quia ens non habet definitionem, quomodo intelligitur Scotus, disput. 6. quæst. 2. in fine. Intellectus noster perfectius, secundùm proportionem cognoscit sensibilia, & materialia, quàm insensibilia, & immaterialia, ex Scoto in 1. dist. 3. quæst. 2. & ex eodem Scoto 2. metaphysicæ habetur, quòd æquè perfectè secundùm proportionem cognoscuntur ab intellectu materialia, & immaterialia; solvitur hæc contradictio 2. metaphysicæ, concl. 3. Deus est infinitæ potentiæ, secundùm Aristotelem, quomodo intelligitur Scotus in hac sententia, 12. metaphysicæ, conc. 11. & disp. 4. quæst. 2.

Theo-

T

Theologia, quomodo agit per se de vitio, quia per se agit de virtute, dispu. 1. quæst. 5. Tres, qui vocentur hoc nomine fortis inclusi in cubilo, quomodo potest intellectus ab illis abstrahere rationem communem, disp. 2. quęst. 6. per totam. Triplex infinitas excogitari potest in Deo, disp. 4. quęst. 2. Tres conditiones primi principii, disp. 3. quæst. 9. in fine, & 4. metaphysicę, concl. 15.

Terminus ad quem annihilationis est purum nihil, sic terminus à quo Creationis est purum nihil, disput. 5. quæst. 1. Triplex esse, scilicèt, esse essentiæ, esse subsistentiæ, & esse existentiæ actualis, & quænam sint, disp. 5. quæst. 7. Termini isti valdè notandi, dependentia, & communicabilitas, independentia, & incommunicabilitas, disput. 5. quæst. 11.

V

Veritas istius propositionis, homo ab æterno erat animal rationale in quo consistit, declaratur, disput. 5. quæst. 1. Veritas specialiter consideratur à metaphysica 2. metaphysicæ, conc. 6. Veritas consequitur entitatem proportionabiliter, quia sicut res se habet ad esse, ita se habet ad veritatem 2. metaphysicæ concl. 4.

Veri-

Veritas triplex in essendo, seu trascẽdentalis, in significando, & in rapresentando, disp.6.quęst. 7. Veritas transcendentalis, ut passio entis addit supra ens respectum realem, non verò rationis, dispu.6.quæst.7. Veritas consistit in hoc, quòd quælibet res sivè Creata, sivè increata sua natura secluso opere intellectus comparantis, & fingentis est illi conformativa per manifestationem, assimilationem, & identificationem intentionalem, disp 6.quæst.7. Veritas quomodo participat divinam naturam per conformitatem ad ipsum Deum, per hoc est relatio realis ibidem, in fine; satisfit argumento Molinæ, quòd non sit relatio rationis, sed realis, ibidem in fine. Vltimæ differentiæ rerum, non includunt formaliter ens, disputat. 3. quæst. 7. per totam.

Virgo gloriosa dicitur verè Mater Dei, & quomodo, disp. 5.quæst.7.

Vnivocatio metaphysica, verè datur inter substantiam, & accidens, disp.2.quæst 4. Vnivoca quænam sunt, ibidem, & 4, metaphysicæ concl. 4. Vnivoca sunt illa, quæ non habent diversitatem in quo sunt univoca, disp.2.quæst. 4. Univocè prædicari, & univocum prædicatum quid, disp.2. quæst. 5. Quòd non est univocum suis inferioribus, non potest perfectè præscindere ab illis, disp.2. quæst.9. Vnio, præsentia localis, actio, passio, quomodo possunt dici relaciones, & modi, disp.3. quęst.2. Vnitas quanti-


tativa in quo consistit disput.6. quęst.4. Vnitas est illa, quę dicit indivisionem in se, & divisionem à quocunque alio, & universaliter, quęcunque non habent divisionem, quatenus non habent, eatenus unum dicuntur, disp.6.quęst.5. Vnitas formaliter addit aliquod positivum enti, concomitanter verò negationem divisionis, ibidem. Vnitas est proxima ratio fundandi relationes reales identitatis, æqualitatis, & similitudinis, sivè sint prædicamentales, sive transcendentales, ibidem. Vnitas est principium numeri, ibidem.


Vnum, & ens dicunt eandem naturam, disput.3. quęst.7., & 4.metaphysicę conc. 11. Vnum, & ens dicunt eandem naturam convertibiliter realiter, ibidem.

Vnum quodque est ipsum, aliorum maximè, idest est maximè tale, quòd aliis inest univocatio, quomodo intelligitur hoc dictum Aristotelis 2.metaphysicę conc. 5. Vnitas si sumatur pro ut dicit indivisionem entis in se, & veritas, & bonitas, ut dicunt relationes rationis ad intellectum, & volūtatem, sic prior est unitas, quam veritas, & bonitas, disput.6.quæst.3. Si verò sumatur unitas, ut addit distinctionem entis unius ab alio, scilicèt comparativè, sic unitas non est prior veritate, & bonitate, quę explicantur per relationes uniformitatis; ibidem. Veritas quomodo potest dici respectiva, ibidem. Verum, & bonum, quomodo inter se prę-cedunt,

cedunt, ibidem. Vnitas est passio adęquata entis, contra Platonem, disp. 6. quæst. 4. per totam. Vnitas à quo intellectu percipitur per negationem indivisi à se, & divisi à quocunque alio, disp. 6. quęst. 5. Vnitas, & multitudo opponuntur privativè, & quomodo, ibidem in fine. Vnum ex eò quòd dicit quid positivum supra ens, distinguitur ex natura rei ab ente, dispu. 6. quęst. 6. Hoc positivum unitatis, quomodo convertitur cum ente conversione per accidens, & non simpliciter, est identicè ens, & non formaliter, ibidem in fine.

Universum posse fieri melius essentialiter, negatur à Scoto, disp. 5. quęst. 3. Universum non habet capacitatem, ut possit fieri melius, ibidem.





In primum librum Metaphysicę Aristotelis secundùm intentionem subtilissimi Doctoris Conclusiones utilissimę probantur.

Quia Theologus incipit, ubi Metaphysicus desinit; Qui in Metaphysica non est eruditus nunquàm verus Theologus esse potest, cum ergo intentio nostra sit tantummodo deducere, & probare ex textu Conclusiones, & quęstiones juxta subtilissimi Doctoris precepta, hoc compendium pro Studiosis trado.

PROHÆMIUM METAPHISICÆ.

Text. *Omnes homines natura scire desiderant*; Idest intendit Philosophus agere de primo, & originali principio generationis scientię, quòd est desiderium hominis.

Text. *Quoniam autem manifestum est*; Hic agit de

 con-

consideratione eorum, quę ad hanc scientiam pertinent.

Text. *Quia verò non activa*; Hic agit de qualitate, scilicèt, qualis est consideratio hujus scientię.

Text. *Quoniam autem scientiam*; Idest, quod consideratio hujus scientię versatur circa causas.

Text. *Ad actum quidem igitur*; Idest de pręeminentia artis,& experimenti.

Text. *Primum quidem igitur*; Idest de comparatione artis, activę ad speculativam.

CONCLUSIO I.



Cientia est, quę desideratur ab omnibus naturaliter, appetitu naturali, tamquàm bonum perfectivum ipsius intellectus, hinc est, quòd diligimus sensus, & si non propter aliud, saltem propter necessitatem, & utilitatem naturę, saltem propter scire,& maximè ipsum visum, qui maximè facit scire, cum plures rerum differentias, superiora, & inferiora corpora percipiat; (*omnes homines natura scire desiderant.*)

CONCLUSIO II. Habens experientiam excellit in operando habentem, sine experientia artem; cujus medium est, quia, melius operatur, qui melius novit illa circa, quæ fit operatio, sed tàm artifex, quàm expertus operatur circa singu-

gularia, expertus autem melius novit illa, quià experientia est cognitio singularium, ars verò universalium, & licèt sit etiam singularium, est tamen sub ratione universalium.

CONCLUSIO III. Artifex excedit expertum in sciendo, & hujus est triplex medium; primum est, quia artifex scit propter quid, expertus verò non, sed solum, quia; secundùm est, quia signum scientis, est posse docere, sed melius potest hoc artifex, quàm expertus, cum sciat propter quid, tertium medium; quia nulla cognitio sensitiva est scientia, vel sapientia, sed experientia est cognitio sensitiva, ergò, &c.

CONCLUSIO IV. Scientia speculatiua est nobilior, quàm practica activa, & ratio est, quià inventor istius cognitionis, scilicèt speculativę excedit ingenium aliorum, & ideò redditur admirabilior, & honorabilior, quàm inventor practicę; Tum, quia, speculativa est gratia sui, practica verò gratia usus; Tùm, quia, speculativa est certior respectu veritatis necessarię; practica enim est incertior, quòddamodo, quia ordinatur ad opus contingens voluntatis; *Scot. quæst. 4. prol. lit. CC.* Tum, quià, speculativa est inventa propter fugam ignorantię, practica verò propter necessitatem, & utilitatem vitę, &, quia sollicitudo circa necessaria, vel utilia, impedit acquisitionem scientiæ speculativæ ergo, &c.

CONCLUSIO V. De ratione sapientiæ est, considerare causas rerum; quià quantò ali-

quis considerat causam, tantò magis est sapiens, ut artifex, quàm expertus.

CONCLUSIO VI. Sex sunt conditiones sapientis, & sapientię; quarum prima est, quòd habens scientiam universalem, scit aliquo modo illa, quę continentur sub universalibus; Secunda conditio, quòd sapientis est scire maximè difficilia, ratio est, quia illa sunt difficiliora, quæ sunt à sensibus remotiora, sed hujusmodi sunt universalia ergò; Tertia cōditio, quod sapiēs habet scientiam certiorem, ratio est, quià illa est scientia certior, quæ est de simplicioribus; ista autem, quæ est de magis universalibus est hujusmodi ergo, &c. Quarta conditio, quod sapiens maximè novit causas rerum; ratio est, quià ista scientia, causas universales singulorum considerat; Quinta conditio est, quòd hęc scientia est gratia sciendi; ratio est, quià illa scientia est maximè propter scire, quę est de magis scibilibus; sed talis est ista, ergo, &c. Sexta conditio est, quià scientia universalis est principalior aliis, ex quibus dicitur, quòd scientia universalis propriè est sapientia.

CONCLUSIO VII. Hęc scientia est speculativa, ratio est, quia studet ad ignorantiam fugandam, & non propter aliquem finem exteriorem, quià inventis jam illis scientiis, quę sunt propter necessitates humanas; hęc postea inquiri cępit.

CONCLUSIO VIII. Hęc scientia est liberrima, quià non dependet ab aliqua alia, nec ad finem

finem extrinsecum ordinatur,estque non humana possessio, sed potius divina; ratio est; quia illa scientia,quę est liberrima,non potest esse possessio illius naturę, quę valdè servilis est, ut est natura humana, non in quantum intellectiva, sed propter necessitatem corporis,necessariò administrandi, retrahitur ab operibus intellectualibus; estque simul hęc scientia honorabilior,& nobilior omnibus aliis; Tum, quia maximè est divina; Tum, quia Deus maximè eam habet; Tum, quia de Deo maximè est, cum sit de primis principiis rerum; Deus autem est primum principium simpliciter,& causa omnium.

CONCLUSIO IX. Actiones sunt circa singularia, loquendo de actionibus transeuntibus,verè sunt circa singularia,subjectivè; loquendo verò de actionibus immanentibus,etiam subjectivè sunt circa singularia; objectivè verò, & circa singularia,& circa universalia.

CONCLUSIO X. Duplex est quidditas conjuncta materię,una,quæ in sua ratione formali materiam includit, altera separata; de quidditate separata potest haberi quatruplex conceptus, primus est transcendens, & est duplex, quidam quidditativus;quidam qualitativus;primus est conceptus entis, qui est quidditativus respectu substantiarum separatarum, quia prædicatur in quid; Transcendens qualitativus est includens omnes passiones entis, quę prędicantur, & per modum actus, seù determinantis. Secundus con-

ceptus, qui habetur de substātia separata, est conceptus, quasi generis generalissimi, sicut est conceptus substantię, ut substantia est; Tertius conceptus est, quasi generis subalterni, sicut est conceptus spiritus, vel substantiæ incorporeæ; Quartus conceptus, est proprius, & specificus, in quo concipiuntur quidditates separatæ, sub propria, & speciali ratione, sicut conceptus Deitatis, respectu Dei; Tres primi conceptus habentur à nobis naturaliter, quoniam isti possunt abstrahi à sensibilibus; Quartus verò non, quia à sensibilibus non potest abstrahi; ex quo sequitur, quòd de substantiis separatis natus est haberi duplex conceptus proprius, unus mixtus, & aggregatus, ut concipiendo Deū sub ratione entis infiniti, qui est conceptus agregans in se duos conceptus, & totus iste conceptus soli Deo convenit, & non aliis, vel concipiendo alias intelligentias, citra primam, sub ratione naturę intellectualis, necesse esse, actus puros, qui conceptus solis intelligentiis competunt; alius conceptus proprius de iisdem est simplex, & intuitivus, ut est conceptus specificus cujuscumque intelligentię, primus est possibilis nobis ex naturalibus, secundus verò non.

CONCLUSIO XI. Metaphysicus considerat quidditates separatas, non solum in universali, verùm etiam in particulari; prima pars conclusionis patet; nam quidditas, sivè concipiatur sub ratione transcendenti, sivè sub ratione generis generalissimi, vel quasi generis, pertinet

ad

ad Metaphyſicam, ratio eſt; quia ſubſtantiæ ſeparatæ ſub ratione entis, & ſubſtantię continentur ſub ente, quòd eſt ſubjectum in Metaphyſica; ſecunda pars patet; quia illę quidditates pertinent ad Metaphyſicum, quę concipiuntur ſub ratione entis, & ut includunt paſſiones entis, & primas partes ſubjectivas entis, ſicut ſunt iſta, neceſſitas, actualitas, ſimplicitas, independentia, infinitas, & hujuſmodi; ſed ſubſtantię ſeparatę conceptæ in conceptu particulari proprio mixto, & agregato concipiuntur ſub iſtis, ergo, &c.; ſed loquendo de conceptu particulari proprio ſimplici intuitivo, & ſpecifico, quidditates ſeparatæ non pertinent ad Metaphyſicam, pro ut traditur ab Ariſtotele, licèt circa Deum ſpectare poſſint ad Metaphyſicam in ſe, & quantùm ad Deum ſpectabit ad ipſam Theologiam, vel quantùm ad omnes ſubſtantias ſeparatas, ſed ſpectabit talis conſideratio ad Theologiam, & hoc, ſi tales conceptus haberentur virtute objecti Theologici.

CONCLUSIO XII. Ad Metaphyſicam ſpectat conſiderare omnium entium materialium quidditates in univerſali, patet, quia ſcientia comuniſſima, ut eſt Metaphyſica conſiderat unum objectum comuniſſimum, & paſſiones communiſſimas omnibus entibus, quòd eſt ens, in quantùm ens; & ſic conſiderat omnia entia, & quidditates ipſorum ſub talibus rationibus.

CONCLUSIO XIII. Ad Metaphyſicam ſpectat conſiderare quidditates rerum in parti-

culari respectivè, resolvendo tales quidditates in ens,& in principio entis;patet,quia illa quidditas pertinet ad Metaphysicam, sub ea ratione, sub qua præcisè considerata includit ens, vel identicè, vel formaliter, sed quidditas quecunque materialis,& immaterialis, pręcisè considerata, in quantum talis includit ens formaliter,vel identicè ergo,&c. Unde ista est vera,humanitas est entitas in prędicatione identica, ut vult *Scotus in primo dist.8. quæst. de attributis in fine*, & tamen non conceditur, ista apud *Scotum*, humanitas est animalitas,neque in prædicatione formali, neque identica, ut docet *in tertio Metaphysicæ quæstione unica*; ex quo sequitur, quòd cum quidditas in particulari accepta, & considerata sub ratione, qua talis sit identicè ens,una,vera,bona,& sic de aliis passionibus entis, ut sic, non subterfugit considerationem Metaphysicę, non tamen dico, quòd consideretur sub ratione particulari, sistendo in tali ratione particulari, aut in principiis; ipsius; sed solùm referendo ipsam ad ens, & ad principia entis,seù,quę sumuntur ab ente.

CONCLUSIO XIV. Aliud est considerare humanitatem, in quantùm quidditas includens materiam sensibilem, seù materiam prout est principium materiale, & mobile, habens ordinem ad formam naturalem,ut subjectum ipsius, & similiter considerare formam humanitatis, prò ut est principium operationis, & motus in ipsa, ut naturalis considerat; Aliud est conside-

rare

rare humanitatem, ut quędam entitas in se, & ut includit materiam,& formam, ut ista sunt principia essentię ipsius, circumscripta omni ratione motus,& mutationis; Unde sicut ens, quòd primo considerat Metaphysica abstrahit à motu, & quanto,& ab omni qualitate sensibili,sic,etiam quodlibet in quantùm consideratur à Metaphysico, sic abstrahit, & sic Metaphysica considerat quidditatem materialem in particulari, non absolutè, sed respectivè,idest in ordine ad ens, & ad principia entis.

CONCLUSIO XV. Metaphysica non considerat quidditates materiales in particulari, pro ut quidditas in se est particularis,& sub ratione particulari,quia hoc est munus specialiũ artiũ.

CONCLUSIO XVI. Ad Metaphysicum maximè pertinent illa, quę sunt secundùm se abstracta à materia, ut sunt intelligentię, cum modus proprius considerandi in Metaphysica,qui est abstrahere secundùm considerationem conveniat istis quidditatibus separatis, secundùm esse, & ideo maximè videntur pertinere ad Metaphysicam;Non sic quidditates materiales,quę pręcisè abstrahunt, secundùm considerationem, & non secundum esse à motu, & mobilitate, non tamen, ut sic abstractæ abstrahunt à principiis motus, & sensibilitatis, quià non abstrahunt à forma naturali,quæ est principium motus, & sensibilitatis.

CONCLUSIO XVII. Objectum se habet ad potentiam,sicut motivum ad mobile, vel sicut acti-

activum ad passivum, ex Aristotele, secundo de Anima, sed objectum se habet ad habitum, sicut causa efficiens ad effectum, & sicut mensura ad mensuratum: scibile enim causat scientiam, & mensurat ipsam, ex Aristotele, quinto Metaphysicæ, & non causat potentiam, neque mensurat, sed benè agit in ipsam, & movet; similiter, sic se habet objectum ad potentiam, quòd si aliquod objectum movet aliquam potentiam, & cognoscitur ab aliqua potentia; quodcumque in quo salvatur ratio realis objecti, est cognoscibile à tali potentia; ita, quòd, potentia recipit tale objectum, secundum omnem modum, quo includit rationem objecti primi, maximè hoc est verum de intellectu, & ejus objecto, quià intellectus intelligit, & potest intelligere, quantùm est ex natura intellectus, quodlibet ens, non solum secundùm rationes generales, & communes, verum, etiam, secundùm proprias; sed objectum respicit tantum habitum, secundùm aliquas rationes, & non secundùm omnes, quia distincti habitus, habent distincta, & determinata principia, & quia Metaphysica est habitus universalis, est tantùm ratio cognoscendi objecta in universali, & non in particulari, & licèt cognitio alicujus particularis in universali sit confusa, & imperfecta, tamen cognitio universalis in se, non est confusa, sed distincta; ex quo sequitur, quòd Metaphysica cum sit ipsorum universalium in se, quia per se primo est universalium, per accidens particularium, quantùm

tùm ad ſuum objectum, quòd reſpicit per ſe, eſt diſtincta, quantùm verò ad objectum per accidens, eſt confuſa; & ſic per ſe diſtincta, confuſa per accidens, dummodo iij per ſe determinet prædicatum, non autem compoſitionem.

CONCLUSIO XVIII. Metaphyſica eſt ſcientia perfectiſſima, quantùm ad ſubſtantias ſeparatas, quas conſiderat perfectiſſimo modo, quo poſſunt conſiderari, in aliqua ſcientia, humanitùs inventa; & etiam perfectiſſima eſt, quantùm ad tranſcendentia, quæ conſiderat, quæ ſunt certiſſima cognoſcibilia, certitudine evidentiæ, non autem perfectionis.

CONCLUSIO XIX. Non eodem modo quatuor cauſæ conſiderantur à Phyſico, & Metaphyſico, in quantùm dicitur, quælibet in ſuo genere dat eſſe, circumſcribendo rationem motus, & mutationis pertinet ad Metaphyſicam; Materia quidem, & forma, in quantùm ſunt partes eſſentiales, efficiens verò in quantùm dat eſſe, circumſcribendo motum, quò materiam tranſmutat; licèt enim non agat, niſi movendo; tamen ratio dantis eſſe; prior eſt ratione moventis; Finis verò in quantùm res cujus eſt finis, ſecundùm entitatem ſui ad iſtum ordinatur, licèt non poſſet illum attingere, niſi per motum, vel operationem, tamen prior eſt ratio ordinis ſecundùm eſſe, quàm ſecundum operationem: pertinent autem dictæ quatuor cauſæ ad Phyſicum, in quantùm dant eſſe includendo rationem motus, & mutationis.

Finis Libri Primi.

In secundum librum Metaphysicę Aristotelis secundùm intentionem subtilissimi Doctoris Conclusiones utilissimę probantur.

Text. *De veritate Theorica* ; Ideſt de conſideratione univerſalis veritatis.

Text. *Neceſſe eſt nobis, &c., ut in tertio libro;* Ideſt de conſideratione, ſeù principiis rerum, & de omnibus aliis ad quæ ſe extendit conſideratio hujus ſcientiæ. Quomodo homo ſe habeat ad conſiderationem veritatis, ad quàm ſcientiam principaliter pertinet conſideratio veritatis, & quomodo conſideratio veritatis ſit quodammodo facilis, & quodammodo difficilis.

Text. *Et manifeſtum eſt, quod, &c.* Scilicèt, quod cauſæ non procedunt in infinitum.

CON-

CONCLUSIO I.



Icèt ſcientię particulares conſiderent de veritate particulari; Metaphyſica tamen univerſalem inquirit veritatem; cujus conſideratio veritatis, eſt aliquo modo facilis, & aliquo modo difficilis; facilis eſt ratione primorum Principiorum, quæ ſunt per ſe nota, circa quæ nullus errat, ut circa iſta, non contingit, idem ſimul eſſe, & non eſſe, & omne totum eſt majus ſua parte; ita, quòd prima principia ſe habent tamquàm fores in domo, &, quia in januis domorum nullus errat, in foribus quis delinquetur? ut proverbialiter dicitur, licèt interiora domus ſint occulta; ſic homini accidit in ſcientia metaphyſica, ſcilicèt, quia principia ſunt patentia, facilis eſt talis conſideratio; difficilis verò eſt veritatis conſideratio ratione Concluſionum, quæ ex hujuſmodi principiis eliciuntur, circa quas Concluſiones contingit errare, ſicut circa interiora domus.

CONCLUSIO II. Difficultas cognoſcendi res videtur accidere, vel ex defectu rei, quę cognoſcitur, vel ex defectu intellectus, qui cognoſcit, tamen cauſa hujus difficultatis non eſt ex parte rerum; ſed ex parte noſtra; ratio eſt, quia ſicut oculi Nicticoracum ſe habent ad lucem diei,

diei, sic, & intellectus animæ nostræ ad ea, quæ sunt manifestissima in natura, & ideo signum est, quòd defectus ille cognoscendi non est ex parte rerum, cum illę res sint manifestissimę quantùm sunt de se, & ex eorum natura; sed defectus ex parte intellectus sicut defectus visionis, non est ex parte luminis diei, sed ex parte oculi Nicticoracis; Omnis ergo difficultas in cognoscendo se tenet ex parte intellectus nostri; patet, quia potentia intellectiva habet difficultatem in cognoscendo, quando est improportionata objecto cognoscibili; est autem improportionata, aut propter maximam entitatem objecti, aut propter minimam, & hoc ex defectu virtutis cognitivę, quę exceditur à cognoscibilitate objecti, quando est majus, vel non exceditur, quando est minimum, ad cujus cognitionem deberet in infinitum crescere intellectus.

CONCLUSIO III. Cognitio perfecta secundùm proportionem, duobus modis contingit; uno modo secundùm proportionem rei ad virtutem suam motivam, aut terminativam ipsius intellectus, & sic unumquodque ęquè perfectè cognoscitùr; secundùm proportionem, quia cum virtus sequatur substantiam, & essentiam rei, in quanto gradu, & in quanta proportione est entitas sua, in tanto gradu est ejus virtus motiva, secundo modo cognitio perfecta, secundùm proportionem, est secundùm proportionem rei ad potentiam tendentem in ipsam rem, &, quia intel-

tel-

tellectus noster plus tendit in sensibilia, & materialia, & hoc quia plures gradus cognoscibilitatis attingit de sensibilibus, propter ordinem intellectus intelligentis ad sensum; & ideo hoc secundo modo sensibilia perfectius cognoscuntur, quam insensibilia, & per hoc solvitur contradictio *Scoti in primo dist. 3. quæst. 2. & in 2. Metaphysicę*; Nam in primo loco, docet, quod intellectus noster perfectius, secundùm proportionem cognoscit sensibilia, & materialia, quàm insensibilia, & immaterialia, & in secundo loco, scilicèt Metaphysicę, docet, quòd ęquè perfectè, secundùm proportionem cognoscuntur ab intellectu materialia, sicut immaterialia.

CONCLUSIO IV. Sicut res se habet ad esse, ita se habet ad veritatem, ut illa, quorum esse est sempiternum, infinitum, &c., sic etiam veritas sempiterna, infinita, &c., & quorum esse non est semper &c., & quorum esse habet causam, similitèr veritas habet causam, & quorum non, non, &c.; Veritas enim consequitur entitatem proportionabiliter, &, quia veritas, etiam in intellectu oritur ex veritate rei, idcirco, sicut res habet esse, sic, etiam est apta nata verè cognosci. Tum, quia cognoscibilitas est passio rei, & perconsequens sequitur entitatem rei, quare verum est, quòd unumquodque, sicut se habet ad esse, ita ad veritatem, & cognoscibilitatem.

CONCLUSIO V. Unumquodque est ipsum, aliorum maximè, idest, est maximè tale, quòd

quòd aliis ineſt univocatio, ideſt, quòd eſt cauſa univoca aliis, ut ſint talia; ſic ignis eſt calidiſſimus, quia ignis eſt cauſa caliditatis aliis, ſcilicèt Elementis, illud ergo eſt veriſſimum, quòd eſt cauſa poſterioribus, ut ſint vera, ut eſt Deus, & intelligentię, ſecundùm mentem Ariſtotelis, & licèt cauſa ęquivoca ſit cauſa aliis, ut ſint talia, ipſa tamen nō eſt in ſe forma talis, ut ſol generans ignē, vel ranam, in ſe formaliter non eſt, nec rana, nec ignis, & ideo ſignanter dixit Philoſophus *in text.* Unumquodque eſt maximè tale, ſecundùm, quòd aliis ineſt univocatio; Sol enim, licèt ſit cauſa caliditatis in iſtis inferioribus, ipſe tamen non eſt formaliter calidus; In cauſis ergo univocis intelligendum eſt, quia hic dicitur habere veritatem.

CONCLUSIO VI. Ad Metaphyſicam ſpectat conſiderare ſimpliciter veritatem, immò ad ipſam, quàm maximè ſpectat; Ratio primi eſt, quia Metaphyſica eſt ſcientia ſpeculativa, & non practica, ergo, eſt ſcientia veritatis; Finis enim Theoricę; ideſt ſpeculativę eſt veritas, practicę autem opus, ideſt praxis, quę eſt actus voluntatis elicitus, vel imperatus, & ſi practica intendat etiam veritatem in rebus, non tamen ſecundùm ſe, ſed ad aliquid, & nunc, ideſt per illam veritatem non intendit, per ſe, ut finem, ſed ulterius ordinat illam ad dirigendam aliquam praxim, circa aliquod objectum operabile, & ad aliquid nunc, ideſt, ſecundùm aliquod determinatum tempus;

Spe-

Speculativa tamen intendit veritatem, secundùm se, & per se, ut finem, ibi sistendo, & illum non ordinando ad aliquid, & nunc extra se: ratio secundi est, quia Metaphysica considerat verissima, & maximè vera, & ideo maximè est sciencia veritatis, quia considerat primas causas, supplè efficientes, & prima rerum principia, tàm complexa, quàm incomplexa, sed illa sunt verissima, & causa omnium, & nihil est eis causa, ut sunt talia, ergo Metaphysica considerat verissima; itaque Metaphysica nihil aliud est diffinitivè, nisi scientia maximè veritatis, includens conditiones omnes superius in primo Metaphysicę notatas; estque scientia transnaturalis, seù transcendentalis, & hoc ex vi, & etimologia vocabili Metaphysicę, *Grecè* enim Metaphysica constat ex meta, & Fisis, quòd latinè sonant, meta, idest *trans*, & Fisis, idest *natura*, idest transnaturalis, quatenus considerat entia immobilia, quę secundùm Aristotelē sunt intelligentię omnes; transcendentalis verò dicitur, quàtenus considerat prædicata transcendentia, idest ens, & passiones entis.

CONCLUSIO VII. In quolibet genere causæ est devenire ad aliquod primum principium, ita, quòd in causis non sit processus in infinitum, nec procedendo in directum, secundùm unam speciem causę, puta secundùm speciem causæ materialis, formalis, efficientis, & finalis, nec secundùm speciem, ita scilicèt, quòd sint infinitæ species causarum: Ratio est, quia si causæ

efficientes procederent in infinitum, ergo nulla est causa efficiens; consequens est falsum; Tum, quia contradicit sensui; Tum, etiam, quia contradicit antecedenti; consequentia probatur, quia si causæ essent infinitæ, ergo nulla esset prima, & si non est prima, nec aliqua sequens, ergo nulla; ratio hujus est; quia ante omnem causam efficientem est aliqua prima, supposito ordine essentiali inter efficientes; si ergo dictæ causæ efficientes ponantur procedere in infinitum, sequeretur, quòd omnes causæ erunt mediæ, non positivæ per respectum ad primum, & ultimum, sed negativæ, seù privativæ per negationem primi, & ultimi; Ratio est, quia si ponatur aliqua illarum causarum non esse mediam, illa, vel erit prima, vel ultima, quòd repugnat infinito, nam infinitum caret principio, & fine, quare si totaliter, nihil est aliquid primum in causis efficientibus, si procedatur in infinitum, & sic nulla causa est, quia amota prima causa, omnes causæ secundæ removentur.

CONCLUSIO VIII. In causa materiali, nec est processus in infinitum, quia sicut in sursum nō proceditur in infinitū, ideſt in agentibus, nec in deorsum, ideſt in patientibus; supposito enim, quòd in sursum sit dare aliquod primum, sequitur, similiter in deorsum, ideſt in causis materialibus sit dare statum; Datur ergo una prima materia sempiterna, secundùm omnes Philosophos, ex qua generatur aliquid, sicut ex imperfe-

fecto,& in potentia existente, quòd est quoddam medium inter purum non ens,& ens in actu.

CONCLUSIO IX. In causis finalibus non itur in infinitum, ut si dicamus, quòd ire sit propter sanitatem,sanitas propter felicitatem,felicitas verò propter aliquid aliud, & sic in infinitum, ratio est, quia finis est illud propter, quòd sunt alia,& ipse non est propter aliud, aut igitur erit aliquod tale, & sic erit ultimum, & non itur in infinitum,aut si nihil fuerit tale, & non erit finis, & sic sequuntur tria inconvenientia; Primum,quòd non sit bonum in rebus,cum bonum, & finis sint idem, & ex *primo Ethicorum*, bonum omnia appetunt; Secundùm,quòd non erit actus naturalis, cum natura agat propter finem. Tertiùm, quòd nullus erit agens per intellectum; nam agens per intellectum intendit finem, quem oportet cognoscere, hoc autem non contingit, si fines essent infiniti.

CONCLUSIO X. Causę formales non sunt infinitę. Tum quia, Diffinitiones, quę à formis sumuntur sunt finitę, alias Diffinitio posterior non dependeret à priori, ut diffinitio hominis à diffinitione Animalis, & sic non esset dare primum,nec sequentem,tum, quia non contingeret scire, quia non contigeret pervenire ad individua rei scibilis, sivè per individua intelligat speciem specialissimam, quę in alias species non dividitur,sivè genus generalissimum,quòd in genera priora, non resolvitur, sivè propositionem

immediatam, cujus termini per medium non dividuntur, cum non cadat medium inter ea; Nam cum infinita non possint cognosci, si res haberent formas infinitas, nunquam essent cognoscibiles (non loquitur hic philosophus de infinito in potentia, quòd actu finitum est.) Tum, quià materia, secundùm, quòd infinita est habet rationem privationis, idest ratione privationis est infinita, & perconsequens, nihil, cum infinito competat esse nihil, sivè non ens, ergo per oppositum, forma secundùm, quòd finita est, vel habet finitam rationem, & cuius est esse, & dare esse, habet statum, vel terminum, igitur infinitas non est à formis.

CONCLUSIO XI. Logica est modus sciendi, & est addiscenda ante istam scientiam Metaphysicę; ratio est, quia utraque est difficilis, & non sunt duo difficillima simul agredienda; absurdum est quęrere simul scientiam, & modum sciendi propter, quòd oportet prius habere modum sciendi, quàm scientiam, & per istum procedere ad considerationem veritatis, nec sequitur ex hoc, quòd logica non sit scientia, ex quo dicitur modus sciendi, consulite *Scot. quæst. 1. univers.*

CONCLUSIO XII. Generatio substantialis duplex est; uno modo sumitur sub ratione mutationis; alio modo sub ratione productionis; vel sub aliis verbis, ut est actio transmutativa, vel, ut est actio productiva; si primo modo, sic est actus materię primę; si secundo modo, sic est actus formę, ut termini formalis, vel compo-


positi, ut termini totalis; prima ratio in generatione respicit subjectum mutatum, secunda ratio respicit terminum productum.

CONCLUSIO XIII. Generatio sub ratione mutationis est respectus de prędicamento passionis, quia passum non refertur ad agens, nisi mediante passione, sed subjectum mutabile in quantum mutabile est, refertur ad agens, ergo mutatio ipsa est de prędicamento passionis, patet, quia, quidquid transmutatur, transmutatur ab agente, & transmutatur in quantum agens agit in ipsum, producendo aliquam formam in ipsa transmutabili, unde sicut actio est respectus agentis ad passum, ita transmutatio est respectus passi ad agens.

CONCLUSIO XIV. Generatio, ut productio est de prędicamento relationis; patet, omnis enim respectus intrinsecus adveniens, qui de necessitate, & essentialiter oritur ex ipsis extremis positis in esse pertinet ad prædicamentum relationis, sed productio est hujusmodi, ergo, &c.

CONCLUSIO XV. Respectus materiæ, ut perfectibilis ad formam, ut perfectiva ipsius materiæ, & respectus materiæ ad formam prius perficientem ipsam, vel ad privationem formæ, sunt isti duo respectus de essentia mutationis, & quia isti duo, scilicet, quòd materia perficiatur per formam, & ordo ipsius ad privationem præcedentem formam dependent ab agente, quia forma non perficit materiam, nisi ab agente, ideo co-

B exi-



exigitivè requiritur respectus materię ad agens, ad rationem mutationis, ità, quòd mutatio est respectus materiæ, ut perfectibilis ad formam perficientem, una cum respectu ad privationem præcedentem formam, & ultimo, cum ordine ipsius materiæ, quæ perficitur, à forma, ad ipsum agens; probatur ex sententia Aristotelis, *sexto Physicorum*, ubi inquit; Mutari est aliter se habere nunc, quàm prius, idem manens, per hoc, quòd dicit, idem manens, exprimitur subjectum in ipsa mutatione; per hoc, quòd dicitur, aliter, quàm priùs, exprimitur forma, secundùm quàm subjectum aliter se habet; per hoc, quòd dicitur, aliter nunc, quàm prius, exprimitur respectus materiæ ad privationem oppositam formæ, & quia forma, ut dictum est, non est perfectio materiæ, nisi virtute agentis, ideo coexigitivè, vel concomitanter ponitur respectus materiæ ad ipsum agens.

CONCLUSIO XVI. Generatio distinguitur realiter à termino, ratio est, quia forma, quæ est terminus manet, non manente generatione; impossibile est enim idem realiter simul esse cum ultimo transmutato esse, quòd est forma ad ipsum compositum, ex Aristotele *sexto Physicorum*; Tum, quia est via in substantiam, & ut sic distinguitur realiter à termino viæ; Tum, etiam, quia est ratio productiva, ergo distinguitur à genito, & non tantum generatio activa distinguitur realiter à termino producto, sed, etiam generatio passiva. Tum, etiam, quia ista sunt simul natura,

tura, cum sint respectus seinvicem consequentes, & sic una desinente, desinit altera; Tum, quia non manet, termino substantiali manente, sicut de activa dictum est; Tum, quia, utraque est respectus extrinsecus adveniens, & sic realiter à fundamento, & termino distinctus, loquendo de generatione sub ratione mutationis; & demum Generatio, ut mutatio fundatur subjectivè in materia prima, ante formam substantialem.

CONCLUSIO XVII. Triplex est ordo, quidam est ordo temporis; quidam est ordo naturæ, quidam est ordo originis; ordo temporis est inter illa, quorum unum præcedit tempore, & actuali duratione aliud, ordo naturæ est inter illa, quorum uni non repugnat esse sine contradictione absque alio, de qua prioritate naturæ, loquitur Aristoteles *quinto Metaphysicæ, cap. de priori*, ubi vult, quòd quælibet substantia præcedit quodlibet accidens tempore, capiendo tempus, non pro actuali duratione, sed pro separabilitate, secundùm quàm aliquod unum est separabile ab alio, & in nullo implicat contradictionem esse sine illo; Ordo originis verò est inter illa, quorum unum originatur ab alio, vel coexigit aliud, aut præsupponit ad suum fieri, & generari; isti ordines sic se habent, quòd cum simultate opposita uni ordini, stat alius ordo alterius rationis; Aliqua, enim sunt simul tempore, quæ tamen habent ordinem naturæ, sicut patet de subjecto, & sua propria passione; similiter aliqua

sunt simul natura, quorum unum est prius origine alio, sicut causa, & causatum; principium, & principiatum sunt simul natura, in quantum correlativa, & tamen causa origine præcedit ipsum causatum, formaliter accipiendo utrumque.

CONCLUSIO XVIII. Forma substantialis potest accipi, vel ut in fieri, vel ut in esse, si primo modo accipiatur, conceditur, quòd est simul natura, ideſt naturali intelligentia cum ipsa generatione, quę simultas naturę requiritur ad naturam correlativorum, & ita cum fieri ipsius formę, & ipsum mutari in subjecto mutabili sint correlativa, forma, ut in fieri, est simul cum ipso mutari, & ex consequenti cum generatione, sub ratione mutationis; Si secundo accipiatur, forma est prior natura, quàm sit ipsa generatio: & licèt generatio mutatio, ut via pręcedat terminum vię, ideſt formę, ordine originis, quatenus pręsupponitur ad fieri ipsius formę, non tamen sequitur, quòd sit prior natura; Non enim omne prius origine est prius natura, nec Aristoteles unquam intendit in settimo metaphysicę, quòd illud, quòd est prius natura, sit prius tempore, ideſt actuali duratione, sed præcisè; secundùm separabilitatem ab alio, ut supradictum est, de substantia præcedente om ne accidens tempore, ideſt separabilitate, quę prioritas est prioritas naturæ.

CONCLUSIO XIX. Cum forma substantialis sit prius quolibet accidente natura, potest esse producta, priusquam sit ejus productio, &

in

in aliquo instanti naturæ erit substantia accipiens esse, inquo non erit ipsa productio, secundùm quàm accipit esse; Ratio est secundùm mentem *Scoti in primo dist.35.quæst.unica §.ad ista*, ubi docet, quòd ad absolutum in causa, sine quocumque respectu rei, & rationis, sequatur absolutum in effectu, ita, quòd in primo signo naturæ, est causa sub ratione merè absoluta; & in secundo signo naturæ est absolutum in effectu, quòd sequitur ab ipsa causa; in tertio signo naturæ est respectus in absoluto effectus ad absolutum in causa. In quarto signo naturæ, & ultimo, sequitur respectus causæ ad effectum; ita, quòd productio passiva, non est nisi in tertio signo naturæ, & effectus sub ratione merè absoluta est in secundo; & ita conceditur, quòd licèt in secundo signo effectus non producatur per actualem productionem passivam in ipso, conceditur tamen, quòd in tali signo sequitur absolutum in causa.

CONCLUSIO XX. Incipere esse per generationem, saltem productivam, potest duobus modis intelligi, uno modo formaliter per generationem sibi formaliter inexistentem; alio modo fundamentaliter, scilicèt, quòd sit fundamentum, cui non repugnat generatio; sed ei competit simpliciter, & absolutè; Si primò modo intelligatur, negatur hoc, quòd omne, quòd incipit esse, incipiat esse per generationem; Secundò modo conceditur, quia talis terminus est fundamentum, cui simpliciter, & absolutè competit generare; simili-

ter dico, quòd esse ab alio formaliter, necessariò includit respectum passionis ad agens; sic intellexit Aristoteles tertio physicorum; Sed esse ab alio fundamentaliter non est verum, quòd tale includat aliquem respectum ad agens, maximè pro illo signo prò quo natura præcedit respectum; vel potest dici, quòd esse ab alio, potest intelligi, vel positivè, vel negativè; illud est ab alio positivè, quòd realiter ponitur in esse ab agente per aliquem respectum ad ipsum agens; Negativè aliquid est ab alio, quia non est à se, sed ad sui esse præsupponit aliquid dans esse, ita, quòd effectus tunc sub ratione absoluta est ab alio negativè in secundo signo, quia non est à se, nam si esset à se, esset Deus, sed tamen, cum hoc non est ab alio positivè, per inclusionem alicujus respectus ad ipsum agens producens.

CONCLUSIO XXI. Necesse est intelligere materiam in motu, idest in eò, quòd movetur ex hac authoritate Aristotelis potest haberi, quòd in Cęlo sit materia, cum Cęlum moveatur; Veruntamen, qui sunt alterius opinionis, ut præcise est *Scotus, in 2. dist. 14. quæst. 1.* Ad mentem Commentatoris, & Aristotelis, distingunt de materia; Quòd materia duppliciter dicitur, vel, quæ est altera pars compositi, cum forma constituente per se unum; vel potest accipi materia pro subjecto mobili, vel simplex, vel compositum sit; primo modo, materia non est in Cęlo, nec in Angelis, secundùm Aristotelem; Tamen in secundo modo poni-

ponitur in utrisque, & hanc materiam sufficit intelligere in omni eo, quòd movetur, vel dicendum, quòd si primo modo intelligatur materia, hic non fit sermo de motu locali, sed de motu generationis, & corruptionis, qui motus non reperiuntur, nec in Cęlo, nec in Angelis.

CONCLUSIO XXII. Generatio, sivè simpliciter, sivè secundùm quid, requirit agens ęquè perfectum, sivè perfectius assentialiter, & quidditativè, non solum in eodem genere, verum etiam in eadem specie, cum termino formali generationis; prima pars hujus Conclusionis probatur; Nullus effectus potest excedere suam causam; Nam effectus, vel est univocus, vel ęquivocus, si univocus, ergo est ęquè perfectus cum sua causa, quia ejusdem speciei; si ęquivocus ergo est inequalis perfectionis, quàm sua causa, & hoc verum est de causa ęquivoca totali in suo ordine, aut partiali saltem principali; Secunda pars patet, quia, si imperfectius, secundum genus posset generare perfectius, accidens posset generare substantiam, consequens est falsum, ergo id, ex quo sequitur.

CONCLUSIO XXIII. Corruptio, sivè simpliciter, sivè secundùm quid, licèt requirat perfectius corrumpens, vel ęquè perfectum essentialiter, secundùm genus, tamen semper requirit perfectius specie; prima pars patet, quia accidens non potest corrumpere substantiam, sed solum substantia corrumpit substantiam, ergo &c. Secun-

cunda pars patet, quia aqua quæ est imperfectior igne in sua specie, & tamen quandoque corrumpit ignem.

CONCLUSIO XXIV. Licet generatio simpliciter,aut secundùm quid, quandoque sit ab agente perfectiori perfectione accidentali,quàm sit ejus terminus formalis, non tamen semper,nec istud necessariò requiritur, potest enim esse ab agente ęquè perfecto tali perfectione, probatur hęc Conclusio; Nam calidum, ut octo potest generare calidum, ut octo; Similiter in substantiis; concesso, quòd formę elementorum intendantur, forma substantialis ignis, ut octo intensa, potest generare ignem intensum ut octo,ergo &c.

CONCLUSIO XXV. Corruptio, sivè simpliciter,sivè secundum quid,de necessitate,requirit perfectius agens accidentaliter, quàm sit forma corrumpenda; Nam calidum ut quatuor non potest corrumpere frigidum ut octo, quia à proportione majoris inęqualitatis, non provenit actio; neque calidum ut octo potest corrumpere frigidum.ut octo ergo &c. Breviter ergo concluditur, quòd generatio non potest esse ab imperfectiori agente, neque essentialiter, neque accidentaliter; sed ab æque perfecto, vel à perfectiori, & licèt corruptio non possit esse ab imperfectiori accidentaliter, potest tamen esse ab imperfectiori essentialiter.

CONCLUSIO XXVI. Generatio per se, & essentialiter est difficilior corruptione; Probatur

tur illa actio est difficilior, quæ requirit agens, simpliciter perfectius essentialiter; sed generatio est hujusmodi, & non corruptio &c. Patet etiam, illa actio simpliciter est difficilior, quę necessariò à pluribus dependet; sed generatio est hujusmodi, & non corruptio, ergo &c. Minor probatur, generatio est actio acquisitiua, corruptio est actio deperditiua; modo in naturalibus mutatio acquisitiva pręsupponit ordine naturæ mutationem deperditivam, quia agens naturale non inducit formam, nisi aliam corrumpendo, ergo &c. Tum, quia posterius ordine naturę pręsupponit prius, non autem è converso; modo sic est, quòd corruptio ordine naturę pręcedit generationem, licèt simul sint in eodem instanti temporis, prius tamen natura corrumpitur forma corrumpenda, quàm introducatur forma generanda; alioquin posset intelligi forma generanda cum forma corrumpenda simul esse in eodem subjecto; potest autem intelligi forma corrumpenda corrumpi, absque hoc, quòd forma generanda intelligatur in producto; immò hoc potest esse in re per potentiam divinam. Si enim in illo instanti inquo agens corrumpit formam, suspenderet Deus actionem productivam agentis, agens corrumperet, & non generaret, Non potest autem Deus facere quòd agens introducat formam, nisi expellat incompossibilem, alias duæ formæ formaliter repugnantes essent simul, quòd repugnat.


CONCLUSIO XXVII. Corruptio acciden-

dentaliter est difficilior, quàm generatio, probatur, illa actio est difficilior accidentaliter, quę dependet ab agente perfectiori accidentaliter, sed corruptio est hujusmodi, ut patet ex dictis, ergo, &c., ex istis sequitur, quòd non inconvenit eandem actionem esse faciliorem, & difficiliorem diversis modis; Nam corruptio est facilior essentialiter, difficilior autem accidentaliter, & sic non repugnat.

Finis Libri Secundi.



In



In tertium librum Metaphysicę Aristotelis secundùm intentionem subtilissimi Doctoris Conclusiones utilissimę probantur.

Text. *Necesse est ad quæsitam scientiam*, *&c.* Ideſt ponit ſuam intentionem ſe velle diſputativè declarare illa, quæ ſunt dubitabilia circa veritatem rerum.

Text. *Necesse est nobis considerare*, Ideſt exaggerat difficultatem hujus doctrinæ, & utilitatem, & fortaſſe ad excitandum deſiderium lectoris inquirendi ſcientiam, in qua expediuntur tot dubia.

Text. *Est autem dubitatio prima*; Ideſt proponit Philoſophus varias quęſtiones, & rationes dubitandi affert in utramque partem, nihil autem definit.

CON-

CONCLUSIO I.


Mmobilia sunt in duplici genere, quędam sunt inmobilia moventia, ut Deus, & intelligentię; Quędam, quę non movent, nec moventur, ut Mathematica entia; si sit sermo de immobilibus primo modo, sic dico duo; Primum est, quòd Deus est efficiens immobile sine motu; Secundum est, omne efficiens immobile aliud à prima causa est efficiens per motum, sivè reale, vel physicum. Si autem sit sermo de immobilibus secundo modo, sic dico, quòd nullo modo reperitur in eis realiter, seù physicaliter loquendo ratio efficientis, nec cum motu, nec sine motu, ut entia Mathematica, ut talia non habent esse aliquod reale, seù physicum, seù activum, licèt reperiatur in eis ratio efficientis metaphysicè, seù intentionaliter, possunt enim efficere sensationem sui, cum sensibili proprio, & etiam notitiam sui, & intellectu parere.

CONCLUSIO II. Duplex est finis, quidàm attingitur mediante motù, quidàm sine motu; primus finis correspondet efficienti physico cum motu; secundus finis efficienti sine motu; Item finis reperitur in aliquo dupliciter, uno modo, quia ipsum est finis; alio modo, quia ordinatur ad finem; Exemplum primi, Deus, qui est finis

finis omnium; Exemplum secundi, Creatura omnis, quæ ad Deum, ut ad finem ordinatur.

CONCLUSIO III. Motus reperitur in aliquo tripliciter, scilicèt, vel effectivè, vel subjectivè, vel terminativè; Exemplum primi, Deus, & intelligentię; Exemplum secundi, Cęlum, & quodlibet mobile; Exemplum tertii, albedo, & quęlibet forma motum terminans; De motu subjectivè, aliter est dicendum secundum viam Philosophi; aliter, secundùm viam Theologi; Nam secundùm Philosophum, nec Deus, nec intelligentię possunt esse subjectum motus, sed sunt simpliciter immobiles; sed secundùm viam Theologorum, omnes intelligentię pręter primam possunt moveri, etiam localiter, quia moveri de loco in locum non repugnat Angelo, eo, quòd Angelus est receptivus ubi diffinitivi, & non determinatur ad unum, ut patet, secundùm Theologos, neq; est illimitatus ad omnia ubi, quia nō est immensus, ergo poterit mutari ab uno ubi in alterum ubi, & hoc per motum habentem continuitatem, & successionem à spatio, non autem à mobili, quia accidit mobili continuo, & successivo reperiri in mobili quanto, ut patet per Aristotelem *quinto Metaphysicæ*, ubi habet, dico autem, non quòd movetur, sed, quòd motum est; intelligendo per illud, quòd motū est, illud, secūdùm quòd fit motus, & super, quòd mobile movetur, quòd non est, nisi ipsa magnitudo, seù spatium, ita, quòd motus non est quantus, propter mobile; sed propter spa-

C tium,

tium, super quòd fit motus, & consequenter, dicimus Angelum non moveri motu habente completam successionem, & continuitatem, sed incompletam, eo, quòd non est quantus, & divisibilis.

CONCLUSIO IV. Angelus non solum, ut indivisibilis, mobilis est, motu continuo, verum, etiam est mobilis continuè, in quantùm habet virtualem quantitatem, secundùm quàm potest coexistere loco quanto, & tunc non est verum, quòd Angelus, ut sic, sit indivisibilis, sed secundùm quantitatem virtualem est divisibilis; & tunc conceditur, quòd Angelus motus divisibiliter, & coexistens loco quanto motu ęquè veloci, velocitate essentiali, propter successionem essentialem spatii, & motu ęquè veloci, velocitate accidentali propter successionem accidentalem, ex aliqua qualitate superaddita spatio, vel medio, quæ est raritas, vel densitas, moveretur cum corpore in tempore ęquali, ita, quòd semper, idest in omni instanti temporis est in spatio sibi ęquali, idest in puncto, & semper, idest in omni tempore intermedio inter instans, & instans, est in spatio sibi inęquali, idest in quanto.

CONCLUSIO V. Licèt motus sit divisibilis, potest tamen fundari in indivisibili, quia non est divisibilis habens partes simul existentes, quia si sic esset, non posset fundari in Angelo, habet enim partes non simul in actu, sed successivè, & in fieri, & ipsius nihil est in actu simul, nisi in-

divi-

divisibile,& sic benè potest fundari in indivisibili subjectivè, & licèt motus sit continuus, non propter hoc Angelus motus est continuus, quia non sequitur subjectum esse continuum, nisi, quando accidens, quòd sibi inexistit est continuum habens suas partes simul, quòd non potest dici de motu continuo, vel possumus aliter dicere, quòd denominatio subjecti ab accidente potest esse, vel quantùm ad esse accidentis, vel quantum ad in esse, ut docet Aristoteles in principio secundi topicorum; unde subjectum cui inest albedo potest denominari, vel per hoc, quòd est habens albedinem, & cui inest; vel per hoc,quòd est esse album; Sed non semper subjectum denominatur, quantùm ad esse formę, sed quandoquè quantùm ad in esse; sicut apparet de scuto, cujus una medietas est alba, & alia nigra, quòd non denominatur secundum esse,ut dicatur esse album, aut nigrum, sed benè quantùm ad in esse, quia est verum dicere, quòd ei inest albedo,& etiam nigredo,& tunc à denominatione,quę fit per in esse ad denominationem secundùm esse in accidentibus non valet consequentia.Ex his potest dici,quòd motus continuus, & divisibilis denominat Angelum continuum, & divisibilem, quantùm ad in esse, sed non quantùm ad esse,sic, quod verum est dicere, quòd Angelus,est id, cui inest motus continuus, & divisibilis,& cum infertur, ergo, ipse est continuus, & divisibilis,negatur consequentia &c.

CONCLUSIO VI. Angelus non move-

tur in instanti, sed in tempore, cum sit virtutis limitatę, & etiam ex resistentia mobilis ad motorem, & medii essentialis ad ipsum mobile, & licèt locus ad quem movetur sit quantus, non sequitur, ergo Angelus est quantus, quia licèt moveatur ad motum quantum, non tamen recipit illum, sed recipit ubi diffinitivum, quòd non est quantum, ita, quòd movetur ad locum, tamquàm ad terminum extrinsecum, & ad ubi, ut ad terminum intrinsecum. Hęc sint dicta secundùm viam Theologorum; Aliter tamen est dicendum secundùm Philosophum; Nam secundùm Aristotelem, omnes intelligentiæ sunt immobiles; Tum, quia ex parte ipsarum non potest accipi successio, & continuitas in ipsis; Tum etiam, quia secundùm Philosophum, sunt actus puri, & simplicissimi, & consequenter non in potentia ad ubi.

CONCLUSIO VII. De immobilibus autem mathematicis, patet, quòd in eis nullo modo est motus subjectivè, realiter, seù physicaliter loquendo, nec etiam motus terminativè, quià non producuntur in esse per motum, immò, nec motus effectivè realiter loquendo; Nec etiam boni in natura, idest causę finalis, quę habet rationem boni, & ideo appetibilis, & licèt in eis sit bonitas entis, hęc tamen non sufficit ad bonitatem finis; Illud enim bonum, quòd secundùm se est bonum habet rationem finis propriè, & est amabile amore amicitię, quod bonum honestum vocatur, cętera verò bona, quia rationem amabilis amore con-

concupiscentię habent, ut sunt bona utilia, & delectabilia, ut sanitas, & medicina, non propriè possunt habere rationem finis, sicut primum bonum, jàm dictum, sed magis rationem eorum, quę sunt ad finem.

CONCLUSIO VIII. Licèt dicat Aristoteles in hoc tertio Metaphysicę, quòd actus, seù actiones omnes cum motu, non tamen est universaliter verum, de omni actione, non enim est verum de actionibus immanentibus, nec de actione divina, nec de actione generationis, & corruptionis, omnes enim istę generationes fiunt sine motu; De actionibus transeuntibus concedimus, & de aliis actionibus naturalibus, pręter generationem, & corruptionem, quę possunt dici fieri cum motu pręexigitivè, & pręsuppositivè; Nec sibi contradicit Aristoteles hìc in tertio Metaphysice, & in octavo Phisicorum, & in 12. Metaphysicę, dicendo hic, in tertio Metaphysicę, motum Cęli esse finitum, & in octavo Phisicorum, & 12. Metaphysicę, motum Cęli esse infinitum; Nam quando in tertio Metaphysicę docet, neque enim infinitus ullus est motus, sed motionis omnis est finis, loquitur definitate secundùm terminos, quia quęlibet circulatio Cęli in se finita est, secundùm terminos à quo, & ad quem, qui est oriens, & occidens, & hoc modo verum, est, quòd hic dicitur, omne motum esse finitum; Quando verò docet, in 12. Metaphysicę, & in octavo Physicorum, motum esse infini-

 tum,

tum, loquitur secundùm propriam mentem, de infinitate motus, secundùm durationem; Exemplificatur, etiam dictum Aristotelis;nimis difficile, positum hic in tertio Metaphysicę,& in quarto Phisicorum; Quòd scilicèt sit idem nunc, secundùm substantiam in toto tempore, licèt sit aliud, & aliud secundùm esse; Sic intelligitur philosophus; Idem nunc, seù instans,secundùm substantiam specificam, supple; vel idem in specie, & in toto tempore; sed aliud,& aliud secundùm esse individuale numero diversum; vel secundùm Scotum, nunc secundùm substantiam, & quodlibet nunc consideratum secundùm se est idem in toto tempore, & hoc est dicere, idem esse secundùm substantiam, & quodlibet nunc consideratum, non secundùm esse, vel secundùm substantiam, sed in ordine ad tempus pręteritum, & futurum, cum sit finis pręteriti,& principium futuri, dicitur distingui secundùm esse, quia alia est ratio finis, & alia principii; ut sic ergo unum nunc habet identitatem secundùm substantiam, hoc est ad se, estque unum numero, & habet distinctionem secundùm esse respectu partium temporis; vel potest tertio modo glosari phylosophus;accipiendo nunc prò mobili,quòd est idem numero, secundùm substantiam in toto tempore, & motu, aliud verò est secundùm esse, supple accidentali, ex eò, quòd aliter se habet in principio motus, quam in fine.


CONCLUSIO IX. Differentia est inter pro-


propositionem per se notam, & simul necessariam, & inter necessariam tantum,& non per se,& inter propositionem per se notam; Nam propositio per se est illa, quæ habet intrinsecam, & necessariam causam inhærentiæ in subjecto, sivè prædicatum sit intra quidditatem subjecti, sivè extra; illa verò est propositio necessaria, & non per se, cujus extrema habent immutabilem habitudinem unionis inter se; Propositio autem per se nota, est illa, quæ habet evidentiam ex terminis propriis, & non ab aliqua propositione priori; Itaque, hęc est per se in primo modo, homo est animal, vel homo est rationalis, vel homo est homo, vel homo est animal rationale, prædicatum, enim est intra subjectum; Hæc verò in secundo modo, homo est risibilis, vel ens est unum, quia licèt prædicatum habeat rationem formalem inhærentiæ in subjecto, est tamen extra subjectum, idest extra quidditatem subjecti; Sed hæc est per se nota, omne totum est majus sua parte; de quolibet dicitur esse, vel non esse &c. Si ab æqualibus, æqualia demas, quæ remanent sunt æqualia.

CONCLUSIO X. Propositio per se, non convertitur in per se; probatur; Quia non est circulus in dependentia essentiali in eodem genere causæ, sed prædicatum cujuscumque propositionis, dummodo prædicatum sit tale secundùm esse, & secundùm dici, dependet à subjecto, quantùm ad rationem formalem inhærentiæ intrinsecè in subjecto, ergo subjectum ipsius non potest

consimili dependentia dependere à prædicato ; & sic per se non convertitur in per se ; Ista enim propositio per se, ens est unum,& sic de aliis,non convertitur in istam, unum est ens ; Nam prima est per se; secunda per accidens, quia, licèt ens in secunda propositione sit prædicatum, secundùm dici, seù denominativè ; non tamen secundùm esse; Ens enim, secundùm esse,est subjectum unius, & sic non est per se, sed tantùm per accidens, pro extraneo, & etiam necessaria: Et hæc sint dicta de Tertio libro Metaphysicæ.

Finis Libri Tertii.





In quartum librum Metaphysicę Aristotelis secundùm intentionem subtilissimi Doctoris Conclusiones utilissimę probantur.

Text. *Est autem scientia quędam, quæ speculatur ens, in quantum ens*; Ideſt conſiderat tranſcendentia, & potiſſimè ens, in quantum ens, quòd ponitur objectum,& ejus diviſionem,& paſſiones conſiderat.

Text. *Si igitur ens, & unum idem*; Ideſt, ens eſt univocum Analogum ad ens creatum, & increatum ad ſubſtantiam,& accidens.

Text. *Amplius, ſi quando affirmatio*; Ideſt, quòd negatio eſt verum ens, ſicut affirmatio, & ad hanc facultatem ſpectat conſiderare negationes,privationes,& contraria.

Text. *De vero,nec contradictionis, medium eſſe contingit*; Ideſt, quòd contradictoria non poſſunt

eſſe

esse simul falsa , nec habere medium.

Text. *Sunt autem quidam , qui ut diximus ergo;* Idest impossibile est, idem simul esse & non esse, quapropter ens habet principia complexa , & incomplexa.

CONCLUSIO I.



ENs prima divisione, dividitur per quantum, & non quantum , estque divisio secundùm membra intimiora ipsi diviso; Ratio est, quia quantitas virtualis competit enti in se, & in esse quidditativo considerato, & ideo intimior omnibus aliis , quæ sibi conveniunt ; unitas enim , veritas , & bonitas , & multitudo , non competunt enti in esse quidditativo, ex eo, quòd sunt passiones ipsius , ut ait hic Aristoteles , & sic non sunt de quidditate ; patet, etiam; Nam per illud, quòd distinguitur realiter, aut formaliter à quidditate , non est intimius quidditati, illo, quòd nec realiter, nec formaliter distinguitur ab ipsa, sed , ita est , quòd quantitas virtutis, seù perfectionalis non distinguitur , nec realiter , nec formaliter à quidditate , ergo intimior est ipsi, quam omnes passiones ; Ex quo sequitur, quòd hęc est immediata divisio entis, data per quantum , & non quantum , intelligendo per quantum illud , quòd includit quantitatem

vir-

virtutis, & aliquem gradum perfectionalem, per non quantum intelligendo relationes divinas, ficut paternitas in Patre; Filiatio in Filio, fpiratio paffiva in Spiritu Sancto, ifta enim non poffunt effe quanta, quia fi fic, cum paternitas fi in Patre formaliter, & non in filio; Filius careret formaliter altera perfectione, quàm haberet pater, per paternitatem declaratur, hoc idem, fi paternitas effet, quanta, illa quantitas, vel effet finita, vel infinita, non eft finita, quià omne finitum (cum habeat rationem partis refpectu infiniti, & excedatur ab ipfo) habet rationem imperfecti, & propter hoc dixit Ariftoteles tertio Phificorum, quòd totum, & perfectum funt idem; & confequenter, quià pars, in quantùm pars dicit imperfectionem, quià minor toto, & cum nullum imperfectum inveniatur formaliter in Deo, nullum finitum poteft reperiri in patre formaliter, nec etiam poteft dici, quòd paternitas in patre divino fic infinita formaliter, quià omne infinitum formaliter, eft ens primum fimpliciter per cujus acceffum, & receffum menfuratur quodlibet ens quantum; fed nullus refpectus poteft effe ens primum fimpliciter, quia abfolutum eft prius refpectivo, ergo paternitas in patre non poteft effe formaliter infinita; licèt concedatur effe infinitam fundamentaliter, & identicè; Nec valet confequentia illa; quòd ficut relatio creata eft quanta formaliter, ita, immò magis relatio divina, quia paternitas creata fecundum Scotum eft formaliter
quan-

quanta, ex eò, quòd continetur sub ente finito; quòd est formaliter quantum, & etiam ex eo, quòd genus relationis prædicamentale per *Scotum in primo dist. 28. quæst. ultima, §. ad quæst.* dividitur per differentias oppositas, quarum una est nobilior reliqua, & sic magis quanta una, quàm reliqua; sed paternitas divina non potest esse quanta, quia sibi repugnat finitas, aut infinitas intensiva, ut supra dictum est; sed esse finitum, & perconsequens esse partem non repugnat relationi creatæ, ergo, &c.

CONCLUSIO II. Licèt ens transcendentissimè, ac universalissimè sumptum prima sui divisione dividatur per ens reale, & rationis, hęc tamen est præcisè vocis in suas significationes, idest entis ęquivoci, in sua ęquivocata; sed quando dividitur ens per quantum, & non quantum, non accipitur ens, ut est commune ad ens reale, & rationis, sed, ut est altera pars divisi, scilicèt entis realis univoci in sua univocata.

CONCLUSIO III. Conceptus entis realis est unus unitate transcendentali, univocus analogus Deo, & Creaturæ non univocatione physica, in quarto gradu univocationis; sed univocus univocatione metaphysica, & logica in primo gradu univocationis, cum qua univocatione optimè stat anologia attributionis; probatur hęc Conclusio; Impossibile est enim eundem conceptum eidem intellectui omnino simul esse certum, & dubium; sed aliquis intellectus est

cer-

certus de aliquo, quòd est ens, dubitando, utrum sit Deus, vel Creatura, ergo, conceptus entis est alius à conceptu inferiorum, & sic illis univocus; &, ideo falsum est, quòd asseritur ab Henrico, quod ens non importat unum conceptum, sed duos conceptus, qui propter maximam propinquitatem, & similitudinem videntur esse unus conceptus, & ulterius, quòd conceptus entis, qui dicitur de Creatura, causat conceptum entis, qui dicitur de Deo; patet falsitas primi dicti, impossibile est intellectum concipere aliquos duos conceptus habentes anologiam, & ordinem essentialem inter se, nisi unum conceptum distinguat ab alio, patet, quia, sicut est ordo essentialis, & anologia inter aliquos conceptus in essendo, ita, & in intelligendo, quoniam, sicut res se habet ad esse, ita se habet ad concipi, ut supra diximus, sed concipiendo conceptus, qui secundùm esse habent talem ordinem essentialem inter se de necessitate, intellectus distinguit unum à reliquo, ergo, &c. Confirmatur, quia, quandò intellectus intelligit, quòd Deus est ens, & Creatura est ens, quęro ad quòd terminatur illa intellectio, aut terminatur ad conceptum communem entis, aut ad conceptum proprium, non primo modo per Adversarios, ergo, secundo modo; sed intellectus concipiens conceptum proprium alicujus concipit sub ratione illi propria; sed ratio, quæ est propria uni objecto est alteri incompossibilis, ergo intellectus sic concipiens, concipiet ipsum con-

conceptum sub ratione incompossibili alteri, subsumo, sed intellectus concipiens rationem alteram, seù alteri incompossibilem distinguit unam à reliqua, ergo, habetur propositum; Patet falsitas secundi dicti; nullum objectum creatum potest causare conceptum perfectiorem suo proprio conceptu quidditativo; sed conceptus entis dictus de Deo est perfectior, quam conceptus entis dictus de Creatura, quia iste conceptus creaturæ habet attributionem, & analogiam ad illum conceptum dictum de Deo, etiam secundùm Adversarios, & analogia, seù ordo essentialis semper est ad prius, & perfectius, ergo conceptus Creaturæ, vel entis creati, non poterit causare conceptum entis dicti de Deo; major probatur, quia causa æquivoca propria, proxima, & totalis in suo ordine naturaliter agens, non potest causare effectum perfectiorem effectu sibi adæquato, & sibi simillimo in forma, licèt non in modo essendi formæ, sed objectum creatum respectu conceptus quidditativi est hujusmodi, ergo non poterit causare illum conceptum de Deo; patet, etiam conclusio principalis, & affirmativa Scoti; Nam impossibile est aliqua plura in eodem conceptu omninò simul convenire, & differre, sed Deus, & Creatura conveniunt in conceptu entis, & differunt in conceptibus propriis, ergo, &c. Major patet, nam est impossibile, idem fundamentum fundare in se oppositos respectus, & respectu ejusdem termini, quoniam tunc sequeretur contradictio, cum in qua-

qualibet specie contractionis includatur contradictio, sed convenientia, & disconvenientia sunt respectus omninò oppositi ergo,&c.

CONCLUSIO IV. Quatuor sunt modi univocationis,quorum primus est,esse univocum secundùm nomen, & rationem formalem tantum; secundus est esse tale, secundùm nomen idem, eandem rationem, & eundem ordinem essentialem tantum; Tertius est esse tale, secundùm supradictos modos,& etiam secundùm eundem modùm essendi tantùm. Quartus est esse tale, secundùm supradictos modos, & etiam secundùm eundem gradum, igitur illud dicitur univocum, quòd est tale secundùm supradictos modos omnes, & dicitur maximè tale, estque univocum physicè, quę univocatio tantum convenit speciei specialissimę, ens autem Deo, & Creaturis commune, est tantum univocum in primo modo, & sic imperfectissimè tale, estque etiam analogum absque contradictione; stat, enim aliquod habere idem nomen, & eundem conceptum à pluribus abstractum dicibilem de illis, ordine quodàm essentiali, idest per prius,& posterius. Patet,etiam Conclusio,illud,quòd est causa univoca entitatis, & veritatis in aliis est maximè ens, & maximè verum, ex Aristotele, tertio Metaphysicæ; sed Deus cum intelligentiis, secundùm Aristotelem est hujusmodi ergo est maximè ens, & verus; aut enim in minori accipitur, quòd Deus est causa univoca, vel ęquivoca, si primo habetur intentum,

tum, quia cum causa univoca, & effectus ejus, sint ejusdem rationis, sequitur, quòd Deus, & Creatura in ente sint ejusdem rationis, si verò accipiatur in minori secundo modo, scilicèt pro causa æquivoca, argumentum est in quatuor terminis, & nihil concludit, &c.

CONCLUSIO V. Ens in quantùm ens specificativè habet principia complexa pro ut includitur in suis inferioribus, ratio est; nam, quòd competit alicui inferiori contento sub ente, non repugnat rationi entis, sed aliquod contentum sub ente, est principium, & habet principia incomplexa extrinseca, videlicet, efficiens, & finale, ergo, non repugnat enti sub ratione absoluta entitatis habere principia incomplexa; patet per Aristotelem hic in quarto Metaphysicæ dicentem, esse scientiam, quæ speculatur ens in quantum ens, accipiendo semper lii in quantùm specificativè, & non reduplicativè; Quia si acciperetur lii inquantùm reduplicativè, sequeretur, quòd quodlibet ens esset principiatum, haberet que primas causas, ex eò, quòd per regulam logicalem valet consequentia, à propositione reduplicativa indefinita ad universalem; dicendo sic, si ens in quantùm ens habet primas causas, ergo omne ens est tale, ergo Deus esset principiatus, quòd dicere est hæreticum; Et ratio regulæ est; quia in propositione reduplicativa, talis entitas est ratio, & causa formalis, quòd ens habeat primas causas; sed entitas ista reperitur in omnibus, & est

& est causa formalis, ergo in omnibus reperitur ejus effectus formalis.

CONCLUSIO VI. Ens in quantùm ens habet principia complexa, quæ non sunt principia ipsius, quantùm ad esse, sed solùm quantùm ad ejus scibilitatem, & sic dicuntur potiùs principia inhęrentię passionum, quàm dicantur principia entis, idque lii in quantùm tenetur reduplicativè, quia sequitur, ergo quodlibet ens habet hujusmodi principia complexa, per regulam supradictam, perquæ passiones de ente demonstrantur. Confirmatur Conclusio; omne subjectum habens proprietates, & passiones, per se primo sibi inhærentes habet principia, per quæ tales proprietates possunt sciri de ipso, sed ens est hujusmodi ergo &c. Probatur per *Aristotelem primò posteriorum*, dicentem, subjectum habere proprietates, & principia, & loquitur de complexis, & non de incomplexis.

CONCLUSIO VII. Propria passio eadem realiter est cum suo subjecto, licèt subjectum habeat rationem causæ respectu passionis, idque accidit, ex eò, quòd subjectum non est causa physica, seù propinqua, seù immediata ad actum causandi, quia si sic, utique esset distinctio realis inter subjectum, & passionem; sed bene est causa metaphysica; & remota, habens tantum immediatum ordinem ad principia essentialia intrinseca ipsius subjecti; Et concedo, quòd sicut subjectum est efficiens isto modo, ita, etiam passio est effectibilis,

ita, quòd, nisi in sua actualitate præveniret principia productiva ipsius subjecti, quò ad ipsorum causalitatem, ipsa realiter efficeretur, & tunc realiter distingueretur; sed, quia prævenit sui causalitatem, ideo non verè causatur, nec verè realiter distinguitur.

CONCLUSIO VIII. Ens nullo modo est genus, ex *Aristotele 3.metaphysicę*, ubi docet, quòd si ens, & unum essent genera, nulla differentia esset ens; quòd sic debet intelligi, quòd nulla differentia esset ens quidditativè, cum omnis differentia sit extra genus quidditativè, sicut formale est extra materiale; genus enim est materiale respectu differentiarum contrahentium, ergo omnis differentia esset extra ens quidditativè; Consequens est falsum, quia, & si ens non prædicetur quidditativè de differentia ultima, cum sit simpliciter simplex, prædicatur tamen quidditativè de non ultima, aliàs quælibet differentia esset simpliciter simplex, quòd non conceditur; Consequentia probatur, quia si sic, omnis differentia esset primò diversa ad genera, itaque nullum genus includeret quidditativè, ut docet *Aristoteles 6. Topicorum*, quare esset primò diversa ab ente, & perconsequens non includeret ens.

CONCLUSIO IX. Negatio comparatur ad duas affirmationes, quarum unam includit, & presupponit, aliam verò destruit, & excludit, verbi gratia; Homo non est asinus, respicit affirmativam istam, homo est asinus, & istam, homo est homo

homo, primam destruit, sicut patet, secundam supponit, & includit virtualiter in suo subjecto, nam pro tanto ista est vera, homo non est asinus, proquanto homo est homo, negatio autem non habet distinctam formalitatem, & conceptibilitatem ab affirmatione, quàm includit, & supponit; nam de ratione negationis est, non tantùm prędicatum negatum, sed, etiam, & subjectum, quòd virtualiter ipsa affirmatio supponit, quia impossibile est intelligere negativam hanc, homo non est asinus, nisi intelligatur homo, qui subicitur in illa propositione negativa, intelligendo autem hominem; intelligitur virtualiter, quòd homo est homo; Quare negatio illa non potest intelligi, sine affirmativa, quàm supponit, de qua affirmatione intelligitur dictum *Aristotelis*, negationem cognosci per affirmationem.

CONCLUSIO X. Negatio habet distinctam formalitatem, & conceptibilitatem ab affirmatione, quàm destruit, & excludit; Ratio est ista, illa quorum unum dicit perfectionem simpliciter, & aliud imperfectionem ex natura rei, habent distinctas conceptibilitates, & formalitates, sed in Deo non esse lapidem dicit perfectionem simpliciter, & sua affirmatio, quam excludit dicit imperfectionem ex natura rei, scilicèt Deum esse lapidem, ergo negatio, & affirmatio, habent &c. Tum, quia negatio non est idem affirmationi, quàm excludit in primo modo dicendi per se, & sic distinguitur formaliter ab ea, & percon-

sequens cognosci, sine illa, & de ista negatione non intelligitur *dictum Aristotelis*, quia negatio non cognoscitur per affirmationem, quàm excludit, immò seorsum ab illa potest cognosci, & hoc non negat Philosophus.

CONCLUSIO XI. Ens, & unum non dicunt eandem naturam convertibiliter realiter; si unum accipiatur propriè strictè, & secundùm quid; si autem accipiatur unum communiter, transcendenter, & simpliciter, sic unum, & ens dicunt eandem naturam convertibiliter realiter, prima pars Conclusionis, probatur; Quia si ens, & unum sic acceptum dicerent eandem naturam convertibiliter, de quocunque predicaretur unum, prędicaretur, & alterum, sed ens prędicatur de multitudine, ergo, & unum, quòd est falsum, de uno sic accepto, scilicèt, ut est principium numeri, & ut est in genere quantitatis. Secunda pars probatur; Quia de quocunque prędicatur ens, de illo prædicatur unum, largè, & transcendenter sumptum, quòd est passio entis, ut est principium numeri transcendentis, qui causatur ex distinctione essentiarum, & ideò dicitur numerus quidditatum, sicut primus numerus est quantitatum, quatenus ex divisione continui causatur.

CONCLUSIO XII. Ens, & unum non dicunt eandem naturam quidditativè, & formaliter; probatur primo sic, Quia esset nugatio, dicendo ens unum, sicut, quando dicimus, homo ani-

animal, vel è contra; Tum, quia prædicarentur de se in abstracto, & sic ista esset vera, entitas est unitas, quòd est falsum, quia, quæ sunt idem quidditativè, videntur de se in abstracto prædicari ad invicem. Tum, etiam, quia cum unum sit passio entis prædicatur de ente per se in secundo modo, ens autem de uno per se nullo modo, sed per accidens prædicatur, ut supradictum est.

CONCLUSIO XIII. Ens, & unum dicunt eandem naturam realiter, licèt distinguantur formaliter, Tum, quia non separantur quantùm ad generationem, & corruptionem; Tum, quia sunt idem realiter, in tertio modo, prædicantur per se, & non per accidens, ergo sunt idem realiter inter se.

CONCLUSIO XIV. Unum; quòd est passio entis dicit formaliter aliquid positivum, idest, est positivum, & non negativum; Et probatur; Quia unum dicit perfectionem simpliciter, negatio verò non de se formaliter, ergo ipsum unum non est pura negatio, & propter hoc, summa unitas attribuitur primo enti, cui nulla competit imperfectio; Minor probatur, quia privatio habet rationem mali, & similiter negatio. Præterea nunquam in privationibus, aliqua reducuntur ad primum tale, quia non est dare summum malum, sed, sicut omnia bona reducuntur ad summum bonum, ita omnia una ad primum unum, ergo unum non habet formaliter rationem privationis; Præterea, nulla privatio suscipit

magis, & minus, sed unum suscipit magis, & minus, quia simplex est magis unum, quàm compositum, ergo unum non dicit talem privationem. Tum, quia unum habet rationem mensuræ, ergo est positivum. Tum, quia unum constituit numerum positivum, ergo est positivum.

CONCLUSIO XV. Istud principium, scilicèt impossibile est, idem simul esse, & non esse; est omnium firmissimum, omniumque principiorum notissimum; eo, quòd sibi conveniunt conditiones principii firmissimi, quæ sunt tres prima est, quòd circa ipsum non contingit dubitare, quia si sic, tunc posset anima nostra opinare, quòd contrariæ opiniones sint in ipsa, sicut opiniones contradictoriorum; secunda est, quòd non est conditionale, ex hoc, quòd omnes propositiones reducuntur ad istam, & ideo non est conditionalis, quia ab aliis suscipit metaphysica talem propositionem, tertia est, quòd necesse est venire in mentem habenti terminos ipsius, ex hoc, quòd est prima dignitatum, quare non potest acquiri per aliud, & sic statim cognoscitur notis terminis.

CONCLUSIO XVI. Istud principium impossibile est, idem simul esse, & non esse, non est primum simpliciter, idest primò primum, quòd sic probo. Quia illud principium, cujus termini non sunt primò primi, nec ultimò ultimi, non est simpliciter primò primum; sed hoc principium est hujusmodi ergo, &c. Major patet,

quia

quia ista duo sunt de ratione principii simpliciter primi, quòd sit primò primum in essendo; & ultimum in resolvendo; Minor probatur, & primò de termino subjecto; Quod est idem; *hec Anton. Andreas.* Conceptus enim ille, non est primò primus, cum sit resolubilis in duos alios conceptus, quorum, unus est absolutus, alter respectivus; iste autem conceptus, idem ens est hujusmodi, quia lii idem, dicit conceptum respectivum, lii ens, dicit conceptum absolutum, vel saltem neutrum, & indifferentem ad absolutum, & respectivum; patet, etiam minor, de termino prædicato, qui est, esse, & non esse; ille autem conceptus est aggreatus ex affirmativo, & negativo, ergo est resolubilis, ergo non est primò primus, nec ultimò ultimus. Prçterea, nulla propositio modalis est primò prima, quia est resolubilis in aliam de in esse; sed istud principium, impossibile est idem esse, & no esse, est hujusmodi, ergo de ipso non sit propositio primò prima. *Vide, quæ dixi disput. 2. quæst. 9.*

CONCLUSIO XVII. Principium primò primum, & ultimò ultimum est hoc, scilicèt ens est ens, quia habet terminos primò primos, & ultimò ultimos, & perconsequens non resolubiles in priores, immò omnis resolutio conceptuum stat ad conceptum entis, ut ad simpliciter primum inter conceptus quidditativos; Verùm istud principium, impossibile est, idem simul esse, & non esse, est primum respectu istorum, scilicèt

de quolibet dicitur affirmatio, vel negatio, omne totum, est majus sua parte, si ab ęqualibus, ęqualia demas, ergo, respectu istorum, hoc est primum, & dicitur dignitas dignitatum, sicut enim totum, & pars, ęquale, & inęquale non intelliguntur, nisi intellecto ente, ita ne hoc principium, omne totum, &c. De quolibet, &c., & sic de aliis, non intelliguntur, nisi intellecto hoc principio, cujus intellectus dependet ex intellectu entis, ex quo componitur.

CONCLUSIO XVIII. Inter contradictoria non est medium, quocunque modo sumptum, neque secundùm formam, neque secundùm subjectum, ut in contrariis mediatis, & in privativè oppositis reperitur, neque medium positivè, neque negativè, neque medium interpositionis, neque pręsuppositionis; Probatur Conclusio; Quia quandocunque aliquod inest alicui per se, ejus oppositum nullo modo inesse potest, nec per se, nec per accidens, accipiendo lii per se, ut in primo, & secundo modo perseitatis, non autem, ut in tertio modo, patet inducendo; sed carere mediis inest contradictoriis per se, secundùm illud philosophi, primò posteriorum; Contradictio est oppositio, cujus non est dare medium, secundùm se, &, etiam hìc, in 4. Metaphysicę, habet hęc formalia verba; At verò, nec contradictionis medium nihil esse contingit, sed necessarium, aut dicere, aut negare unum de unoquoque, sic Textus ergo; Hęc autem conclusio intelligitur, dummodò ex-


tre-

trema contradictionis accipiantur absolutè, quia alioquin, utique daretur medium negativè accipiendo extrema cum aliqua determinatione; Datur enim homo, qui de se non est albus, quia accidit ei esse, sic, & per se non est non albus, quia non repugnat ei esse album.

CONCLUSIO XIX. Hęc propositio inter contradictoria est distantia infinita, ad hoc, ut sit vera, sic est glosanda, est distantia infinita, idest indeterminata, quę distantia non est dimensiva, ut est illa, quę reperitur in genere quantitatis, sed est distantia perfectiva, hac enim distantia distant contradictoria, non illa, hęc enim distantia perfectiva est distantia privativa; pro quanto unum contradictoriorum est privatio alterius. Dixi inter contradictoria esse distantiam talem infinitam, idest indeterminatam, quia quęcunque minima distantia sufficit, & maximè, etiam in infinitum potest esse; Undè contradictio minimam distantiam ponit, & permittit maximam, primam dicit positivè; secundam verò permissivè; Quapropter non sequitur, quòd ibi sit infinita distantia, positivè, potest tamen ibi esse gratia materię alicujus; puta, si alterum extremum sit infinitum positivè, ut Deus, & non Deus, itaque indifferenter, quantum est de se formaliter salvatur in quacumque; hęc sint dicta de 4. Metaphysicę.

Finis Libri Quarti.

In



In quintum librum Metaphysicę Aristotelis secundùm intentionem subtilissimi Doctoris Conclusiones utilissimę probantur.

Text. *Principium dicitur aliud quidem ergo*; Ideſt finis habet rationem principii, quia habet rationem causę, & toties dicitur causa, quoties dicitur principium.

Text. *Causa verò dicitur uno modo quidem ergo*; Ideſt, causa finalis eſt nobilissima omnium causarum, & Avicenna dicebat, quòd scientia, quæ esset de causa finali, esset sapientia.

Text. *Elementum verò dicitur ex quò ergo*; Ideſt adducit descriptionem Elementi, juxta communem sensum, & quæstiones, quę possunt deduci ex hoc cap., sunt magis de nomine, quam de re, sic, etiam in aliis cap. hujus quinti libri; An materia sit Elementum, an forma sit Elementum; An genus, & differentia sint Elemen-

ta,

ta, poteſt tamen deduci celebris quæſtio; An Elementa maneant formaliter in mixto; ſed de iſta in phyſicis.

Text. *Et dicitur Natura uno modo de omnibus ergo;* Hic agit de natura, quantum ſpectat ad Metaphyſicam conſiderationem, & de hac, Deo dante in libris Porphirii.

Text. *Neceſſarium dicitur, ſine quo non contingit eſſe, ergo;* Ideſt ponit duplex neceſſarium ex fine, ſcilicèt, vel ſimpliciter, vel ad melius eſſe, & tertium exefficiente, quòd appellat violentum. Principaliter ergo hic liber eſt de nobiliſſima cauſa finali, unde ſit.

CONCLUSIO I.



Inis eſt per ſe cauſa, & ut ſic includit duo, quorum unum eſt materiale, & alterum formale; unum per modum generis, aliud per modum differentiæ; materiale eſt ratio termini; formale, quòd ſit intentum ab agente, & iſtud propriè conſtituit finem in ratione cauſę, Probatur per Ariſtotelem 2. Phyſicorum, & hic 5. Metaphyſicę; Nam certum eſt, quòd illud, quòd reſpondetur ad interrogationem factam per quæſtionem, quærentem, propter quid de aliquo, eſt cauſa, quia propter quid quęrit cauſam, ut in 2. poſteriorum, & 7. Metaphy-

physicę; Patet, etiam ratione; Quia responsivum debet assignare in speciali, quòd interrogativum quęrit in generali, sed finis respondet ad interrogationem factam propter quid ergo, &c., ut si quęratur propter quid sortes ambulat, convenienter respondetur, ut sanetur, ergo finis est per se causa; Hoc idem patet per illud secundi physicorum, scilicèt, finis in agibilibus se habet, ut principium in speculabilibus; sed sic est, quòd principium in speculabilibus est causa per se, & essentialis notitiæ conclusionis, ergo in agibilibus, finis erit causa eorum, quę sunt ad finem; patet, etiam in hoc 5. Metaphysicę, finis habet rationem principii, sed secundùm Aristotelem, toties dicitur causa, quoties dicitur principium, ergo, finis est causa, &c.

CONCLUSIO II. Finis est causa causalitatis efficientis, probatur. Agens quodcunq; si ést per se agens, non agit, nisi motum à fine, sed movens est causa non solùm motionis passivę ejus, quòd movetur, sed, etiam cujuscunque per se sequentis motionem passivam; sed motionem passivam agentis, qua movetur à fine sequitur motitio agentis ad extra in re, ergo finis est causa non solùm motionis passivę, sed, etiam motionis activę, qua agens agit producendo aliquid in effectum; Probatur 2. eo modo finis habet rationem causę, quo modo habet rationem propter quid; sed finis habet rationem propter quid, non solùm respectu effectus extra in re, sed etiam re-

spe-

ſpectu agentis,quia non ſolùm illud,quòd fit, ordinatur ad finem, & eſt propter finem, ſed, etiam ipſum agens per ſe agit propter finem, ergo finis eſt cauſa non ſolùm effectus ad extra, ſed, etiam agentis,quantùm ad ejus cauſalitatem tantùm, & non entitatem. Probatur 3., quia impoſſibile eſt dare duo principia ęquè prima ſimpliciter reſpectu alicujus effectus, vel duas cauſalitates ęquè primas ſimpliciter,ſed ſi finis non eſſet cauſa cauſalitatis agentis,tunc cauſalitas agentis, & cauſalitas finis eſſent ęquè primę ſimpliciter, ergo, &c.

CONCLUSIO III. Omne per ſe agens agit propter finem, ergo finis habet rationem principii, ex hoc, quòd primò venit in mentem agentis ſub ratione boni, & appetibilis, cum ſit bonum, & optimum aliorum, ut docet Ariſtoteles in hoc 5. Metaphyſicę; Agens autem motum à fine producit formam,quæ communicatur materiæ,qua communicata, ultimò ſequitur cauſalitas materię, quę eſt, quòd ipſa ſubſtentificat formam,ex quo apparet, quòd in toto iſto proceſſu, illud, quòd eſt primum, à quo omnes alię cauſalitates originantur, eſt ipſe finis,patet; nam omne agens,in cujus actione poteſt accidere error, agit propter finem; ſed omne agens per ſe eſt hujuſmodi,ergo omne agens per ſe agit propter finem, & hoc ſivè ſit agens ſecundùm naturam, ſivè ſecundùm propoſitum, & notanter dicitur omne agens per ſe, ut excludatur agens per accidens, quòd eſt caſus,vel fortuna,patet major,ex Ariſtotele,

tele, 2. physicorum; Illa actio est frustra, quæ non consequitur finem intentum, igitur si nullus finis sit intentus, nullum agens ageret frustra, nec erraret, ergo, omne agens, quòd potest errare agit propter finem, tale autem agens est agens naturale, & etiam agens per intellectum, utrumque enim potest errare, & frustrari in actione sua, ergo, &c.

CONCLUSIO IV. Finis est duplex, quidam est finis, quo, quidam est finis gratia cujus; sic Aristoteles, 2. physicorum, & 2. de anima; Finis, quo, maximè principalis, est operatio nobilissima potentię, secundùm quàm à potentia attingitur nobilissimum objectum; sic de mente Aristotelis 10. Ethicorum, ubi docet, quòd circa nobilissimum, & perfectissimum objectum potentię est perfecta delectatio, & quietatio potentiæ. Finis gratia cujus est ipsum objectum, quod attingitur à potentia per talem operationem, maximè, si sit optimum eorum quæ continentur sub objecto adęquato potentię; colligitur, etiam, ex Aristotele in eodem loco, & ex Commentatore 2. de Cęlo Comm. 17. per finem dictum primaria intentione intelligit finem, gratia cujus, seù finem rei operatę; & per finem dictum secundaria intentione intelligit, quo seù finem operationis, vel generationis.

CONCLUSIO V. Finis quo apud Scotistas communiter appellatur finis formalis; finis gratia cujus appellatur finis objectivus, item finis gratia cujus est duplex, quidam est objectum pro-

productum in esse reali per motum ; quidam est præsuppositus in tali esse in actione,& operatione potentiæ; exemplum primi, forma naturalis, quæ per motum,& generationem producitur , dicitur finis generationis, ut docet *Aristoteles in hoc quinto cap.* de natura ; exemplum secundi , Deus est objectum, quòd attingitur per intellectum, & voluntatem intelligendo,ipsum quoque amando, & est finis ultimatè quietativus ejusdem intellectus, & voluntatis.

CONCLUSIO VI. Finis, adhùc duplex est ; quidam est finis attingendus solùm per operationem ; quidam est finis , qui est causa finalis; finis primo modo dictus , est omne illud , in quo tamquàm in objecto quietatur , & satiatur potentia. Finis , qui est causa finalis , est illud , propter quòd amatum, & desideratum,efficiens agit,producendo aliquid in effectum; & isti duo fines , sic distinguuntur , quoniam stat aliquid esse finem attingendum per operationem respectu alicujus, quòd tamen respectu ejusdem non est finis , qui est causa finalis; Exemplum ; Deus, enim respectu sui ipsius, est finis attingendus per operationem sui proprii intellectus,& voluntatis, & tamen non est respectu sui ipsius causa finalis , quia in tali operatione beatifica , & quietativa sui intellectus non efficit aliud ad extra ; & talis finis isto modo dictus, est Deus, respectu Creaturarum omnium intellectualium tantùm , & non respectu aliorum, sed finis , qui est causa finalis est Deus gloriosus,

respe-

respectu omnium causabilium, quia, propter se amatum, & desideratum, causat ad extra quid quid causat.

CONCLUSIO VII. Finis quo, seù generationis est per se causa, secundùm esse, quòd habet in intentione agentis, & maximè, loquendo de fine generationis artificialis, licèt etiam de fine generationis naturalis, hoc possit intelligi; Probatur, quia omnis causa natura præcedit effectum, & est prior ipso, sed finis secundùm esse, quòd habet extra, ut forma domus in domificante, non est sic prior effectu, neque jis, quæ sunt ad finem, sed solùm est prior, ut in intentione agentis, ergo finis, secundùm esse intentionale habet rationem causæ; hæc ratio est Avicennæ 6. Metaphysicæ; probatur, etiam Conclusio; Eo modo finis habet rationem causæ, quo modo non habet rationem causati, quia idem sub eadem ratione non potest habere rationem causæ, & causati, sed finis, secundùm esse reale, quòd habet extra, est realiter causatus; secundùm esse, quod habet in intentione agentis, non est causatus ab agente; ergo finis est causa, secundùm esse intentionale; Item finis concurrit cum agente ad ponendum effectum in esse, ut est in intentione ipsius, non autem, ut extra, quia ut sic sequitur rationem agentis, & non unitur ei, ut causanti, ergo, &c.

CONCLUSIO VIII. Finis gratia cujus, est duplex, quidam est finis sub fine, seù minus prin-

principalis, seù subordinatus; Quidam est finis principalis, seù ultimatus, & non subordinatus, finis gratia cujus priùs dictus coincidit cum fine generationis seù quo, & quòd dictum est de uno intelligitur de altero; sed loquendo de fine gratia cujus ultimatò, dicimus ipsum esse causam per se, non solùm secundùm esse intentionale, quòd habet in agente, verùm, etiam secundùm esse reale, quòd habet in se extra; Exempli gratia, in motu ad sanitatem contingit esse duplicem finem, unum minus principalem, qui est sanitas acquirenda, quæ dicitur finis generationis medicinalis; finis quo seù finis gratia cujus minus principalis finis sub fine, quia subordinatus, & non ultimatus. Alterum, qui est perfectio hominis, seu homo ipse sanandus, quo ad corpus, est iste finis, gratia cujus ultimatus, & principalis, Medicus enim intendens causare sanitatem, & appetens ipsam, non appetit sanitatem propter seipsam, sed propter perfectionem hominis, vel propter ipsum hominem, & tunc finis, qui est homo, secundùm esse reale præexistit motui, qui est ad sanitatem, & secundùm esse reale suum, mouet Medicum ad operandum. Probatur, etiam hęc Conclusio; Authoritate Philosophi, 2. physicorum, dicentis, hominē esse finē artificialiū, videlicèt, gratia cujus ultimatum; sed constat, quòd homo est verè causa artificialium efficiens, & hoc in esse reali, & ipse est finis gratia cujus ultimatus eorundem, ergo finis gratia cujus talis est verè causa, tā in esse in-

tentionali, quàm reali, cum habeat utrumque esse, & secundùm utrumque esse; mouet agens ad operandum; sanitas autem, ut præconcepta, tamquàm bonam conveniens homini, solùm in tali intentionali movet medicum ad operandum, & sic vera est alia consequentia suprapofita, quòd finis quo, secundùm esse intentionale movet, & est causa.

CONCLUSIO IX. Finis est nobilissima omnium causarum causa; Probatur per Avicendam 6. Metaphysicę cap.5., ubi habet, quòd si de unaquaque causarum esset scientia, *sic Scotus quæst.3.prol. T.* illa, quę esset de causa finali esset nobilior, & ipsa esset sapientia, sed hęc consequentia non valeret, nisi finis esset nobilissima causarum causa, cum scientia mensuretur ab objecto, & sortiatur suam dignitatem, & perfectionem ab illo, ut in hoc 5. Metaphysicę cap. ad aliquod probat Aristoteles. Probatur, etiam ratione; Illa causa est nobilior, quæ est movens, non mota actualiter ab alio, quam sit illa, quę est movens mota actualiter ab alio; sed causalitas finis est movens non mota actualiter ab aliqua causa priori, & causalitas efficientis, materię, & formæ sunt moventes motę actualiter ergo, &c., patet major, quia in moventibus, & motis, movens est præstantius moto, & quanto aliqua causa est independentior, tanto est nobilior; & licèt agens artificiale in aliquibus artibus minus principalibus, ut in arte texendi, & suen-

suendi, non in omnibus actibus suis moveatur à fine actualiter cogitando de illo, sed tantum virtualiter, vel habitualiter, attamen in artibus principalibus, ut in arte medendi, & navigandi in omni actione sua agens artificiale oportet, ut actualiter moveatur à fine cogitando actualiter de illo.

CONCLUSIO X. Licèt in uno, & eodem, vel in pluribus numero tantum differentibus acceptis, secundùm unam, & eandem rationem formalem, non possit fundari ordo essentialis, qui est inter causas ad unum, & eundem effectum concurrentes, cum ordo essentialis requirat extrema distincta essentialiter, & specificè, tamen, idem numero, & idem speciè acceptum, secundùm diversas rationes formales, & alterius rationis, potest habere ordinem essentialem ad seipsum, sicut Deus acceptus sub ratione veri est causa effectiva Creaturarum, & sub ratione boni est causa finalis earundem, & sic fundat ordinem essentialem ad seipsum quoddamodo, secundùm nostrum modum concipiendi; prius enim nos concipimus Deum propter se amatum, velle efficere alia à se, & postmodum illa efficere; similiter ipsum suppositum creatum, verbi gratia, Petrus per suam formam, tamquàm per rationem agendi poterit esse agens producens aliquem effectum univocè, ut filium, & forma geniti accepta, sub ratione boni, & appetibilis in intentione agentis poterit esse finis movens agens ad agen-

dum, & ita habere ordinem essentialem ad ipsum in ratione principii,& causę.

CONCLUSIO XI. Finis quo,ut causa est aliquid, dat enim , & influit in ipsum agens artificiale amorem , & desiderium respectu sui , per quem amorem postmodum agens movetur ad agendum , unde originaliter , & principiativè est causa motionis agentis ad extra , respectu ejusdem finis in esse reali, & licèt agens merè naturale,ut ignis,v 3. producendo ignem non possit habere intentionem , & appetitum rationalem, nec sensitivum, respectù ignis generandi , qui est finis quo generationis illius, habet tamen de facto appetitum naturalem , qui sufficit ad movendum ipsum ignem generantem ad producendum alium ignem,& sic ignis,ut generans , & efficiens est appetens , & ignis generandus est finis appetibilis ad quem habet naturalem inclinationem ignis generans, tamquàm ad illud, quòd est perfectio ejus , quia semper genitum , cum faciat ad conservationem speciei , est aliquo modo perfectio generantis, ut est de mente Aristotelis; 2. de anima.

CONCLUSIO XII. Finis quo non in omni agente est formaliter , sed tantum in agente per cognitionem , ibique est objectivè, sicut cognitum in cognoscente , & sicut appetibile in appetente, in agente autem , sine cognitione non est formaliter, sed tantum virtualiter, & participativè,ignis enim appetit virtute dirigentis,quòd est

intel-

intelligentia ipsa cognoscens, in qua formaliter est finis.

CONCLUSIO XIII. Propria ratio finis, quo est causa finalis, est movere efficiens ad agendum, ut amatus, & desideratus, & talis finis de necessitate requirit agens, quòd movetur ab ipso, & isto modo respectu nullius est causa efficiens,& per consequens, Deus respectù nullius est causa finalis, nisi respectu cujus est causa efficiens,sed solum, & ex consequenti, Deus respectu sui non est causa finalis, neque, etiam respectu actus beatifici sui, quo ipsemet, formaliter beatus est, quia respectu sui, & actus talis non est Deus causa efficiens, sed solum finis objectivus, qui nihil aliud est, nisi objectum ultimatè quietativum potentiæ operantis circa ipsum.

CONCLUSIO XIV. Causalitas finis est opposita causalitati agentis multipliciter; Tum, quia motio finis est motio metaphorica per modum,scilicèt amati,& desiderati, estque motio intentionalis, cum terminetur ad objectum in esse amato,motio autem agentis est realis,quia terminatur ad esse reale effectus extra; Tum, quia motio efficientis est initians motum, & nullo modo terminans, finis verò non tantum initiat motum, sed etiam terminat; Tum,etiam, quia motus propriè, & realis initiatur immediatè ab ipso efficiente,sicut à principio immediato, à fine verò,sicut à principio remoto, unde causalitas efficientis motivè est à fine, pro quanto movet ipsum

agens ex amore sui ad causalitatem eliciendam; elicitivè verò ab ipso efficiente.

CONCLUSIO XV. Finis, quo ad entitatem, in quocunq; esse accipiatur, sivè in intentione agentis, sivè in esse reali extra in effectum, cum sub utroque isto esse, ab efficiente causetur, est posterior efficiente, sicut effectus est posterior sua causa ordine naturæ, quo ad entitatem ipsorum loquendo; Finis verò quo ad suam causalitatem est prior efficiente quo ad suam causalitatem, quia finis est movens non motus, efficiens verò movens motum, & sic finis ut causa causalitatis efficientis est sic prior efficiente, sicut patet de substantia, & qualitate, substantia enim est prior qualitate quo ad entitatem, & tamen qualitas prius agit, quam substantia; sic quantitas est prior qualitate, quo ad entitatem, & tamen quantitas ad hoc, ut immutet sensum dependet à qualitate; similiter efficiens, licèt in quantùm prius entitate non dependeat ab entitate finis, tamen, quia causalitate est posterius, ut sic dependet, sicut patet, etiam de substantia, & albedine, substantia enim, quantùm adesse non dependet ab albedine, sed benè quo ad disgregare; similiter materia quo ad esse non dependet à quantitate, sed benè quò ad esse extensum, & quantùm, & non tantùm est prior, sed etiam secundùm eandem causalitatem suam, ipse finis est nobilior causalitate agentis, quia agens agendo movetur, & dependet à fine, licèt accipiendo finem, & agens

quo

quo ad entitatem ipsorum, sit nobilius agens ipso fine, maximè ipso fine in intentione.

CONCLUSIO XVI. Ista propositio est vera; causæ non sunt ad se invicem causæ in eodem genere causę; sed in diverso genere proprio, est falsa, neque, etiam omnes causę in diverso genere sunt sibi invicem causę, quò ad entitatem ipsarum; nam materia non causat entitatem formę, licèt substentificet formam, ut causa materialis, neque forma causat entitatem materię, licèt sit causa formalis materię; similiter de efficiente, & fine, quia licèt efficiens causat finem, quò ad esse, non tamen finis causat efficiens quò ad esse, sed quò ad causare, nec sequitur ex hoc, quòd finis causet seipsum, vel sit prior ipso, quia illę regulę, quod est causa causę, est causa causati; & quòd est prius priore, est prius posteriore, valent in causis univocis, & in eodem genere, sed non in ęquivocis, & in diversis generibus, quemadmodum est propositio, & quamvis finis sit causa prima, non propter hoc plus influit in effectum, quàm efficiens, quia regula valet in causis essentialiter ordinatis concurrentibus ad eundem effectum in eodem genere.

CONCLUSIO XVII. Finis quo, vel qui acquiritur per motum, in esse intentionali causat, & movet agens ad agendum, non tamen pro esse intentionali causat, sed pro esse reali, ex quo sequitur, quòd si causa finalis sit causa in esse intentionali, non est causa in tali esse, simpliciter, &

absolutè, sed in ordine ad esse reale, & ideo realiter causat, imò in esse intẽtionali causando etiam realiter causat, quia esse intentionale, vel objectivum, finis est aliquod esse ex natura rei, ante actum intelligendi repręsentatum in aliqua forma reali, quę est species intelligibilis illius repręsentativa, & sic non tantum pro esse reali terminativè realiter causat, sed etiam in esse tali intentionali realiter causat, est, etiam finis quo in intentione agentis ens reale participativè, quia participat esse cognitionis, secundùm quàm est objectum movens ipsam voluntatem, vel artificem ad operandum, & tunc virtute cognitionis, quę est ens reale, aut etiam virtute intellectus movet ipsum agens ad agendum; & talis finis sic intentus habet perfectius, & nobilius esse participativè, quàm sit ipsemet positus in esse reali in effectu, licèt non verius, & realius esse tale specificum; ex quo sequitur, etiam, quòd non solùm finis est realis in esse, pro quo causat, verùm, etiam in esse in quo causat, licèt formaliter non sit sic, sed tantùm participativè.

CONCLUSIO XVIII. Et si objectum in mente, ut præsens voluntati sub ratione volibilis moveat, ut agens, tamen, ut actualiter amatum in mente, movet, ut finis, & tanto dicitur tale objectum movere ad extra in ratione finis, quia motio ejus, ut esse amatum terminatur ad ipsum finem extra determinando ipsum agens ad prosequutionem finis in re, & ad Averroem dico, quòd

non

non plus vult, nisi, quòd objectum in mente sub ratione appetibilis movet, ut agens, sed non ut actualiter amatum, nec indè sequitur, quòd causalitas finis in mente sit rationis, & non realis, cum esse amatum sit ens rationis, quia licèt formaliter in se consideratum sit ens rationis, tamen terminus ad quem ipsius motus est ens reale; scilicèt effectus ad extra, sequitur, quòd motio, & causatio ejus sit etiam realis, quia essentialius motus denominatur à termino ad quem, tamquàm à termino, & à principio à quo; vel melius dicendum, puto, quòd, quando dicitur, quòd objectum, ut amatum movet in ratione finis, lii, ut amatum potest accipi tripliciter, uno modo reduplicativè, & tunc esset sensus, quòd ista ratio, quæ est esse amatum, est præcisa, & adæquata ratio, propter quam objectum movet in ratione finis, & est causa finalis, & sic est sensus falsus; Secundo modo capitur lii amatum permissivè, & tunc denotat conditionem aliquam, quàm subjectum secum permittit, quando prædicatum sibi inhæret, ut dicendo sortes ut homo est albus, & sic est sensus verus; Tertio modo accipitur lii amatum specificativè, & tunc specificat aliquam rationem necessariò requisitam, ad hoc, quòd prædicatum insit subjecto, & est sensus, objectum acceptum sub ratione qua amatur, movet, ut finis, vel objectum, movet ut finis, si ipsum concomitatur, ista ratio, quæ est esse amatum ab agente, ita, quòd ista ratio est necessariò concomitans ipsum objectum, ut est

est causa finalis, quàmvis non competat sibi per se, ut sit ratio per se, & essentialiter propter quàm finis causat, unde illud, quòd est ratio movendi ipsi fini, formaliter, & per se est ejus bonitas, vel formalis, quæ sequitur ipsam quidditatem propriam finis, vel est ejus bonitas quidditativa, seù radicalis, & istam bonitatem, ut movet efficiens concomitatur iste respectus rationis, qui est esse amatum; est igitur conditio, sine qua non, exemplum de condexione, & unione causarum ad invicem, de approssimatione agentis ad passum, & de privatione requisita ad generationem.

CONCLUSIO XIX. Natura Metaphysicè considerata à parte rei est universalis, quia si generica, est pars diffinitionis rei, scilicèt speciei, quæ species est realis, cum sit tota quidditas realis, & secundùm omnes quatuor gradus univocationis dicitur de quolibet individuo; unde de quidditate universalitatis optimè dixit Aristoteles; Interempto genere, interimur species, & individuum, nam sicut species diffinitur per genus, ita individuum per speciem, alias validissimas probationes adducam in libris Porphirii, & an sit una per indifferentiam, an per inexistentiam, majores probationes ibi adducemus per inexistentiam, quam per indifferentiam.

CONCLUSIO XX. Natura non individuatur per materiam; ratio est quia effectus in actu oportet esse aliquod principium in actu, & effectus in potentia, principium in potentia, ex Ari-

Aristotele, 2.physicorum, sed individuum maximè in genere substantiæ est aliquid in actu, ergo principium ejus per se, est aliquid in actu, sed materia secundùm Thomistas, non est aliquid in actu, sed in potentia, ergo materia per se non est sufficiens individuationis principium.

CONCLUSIO XXI. Materia signata quantitate non est principium individuationis; probatur per *Scotum in 2. dist. 3. quæst.* 4. Quòd quantitas non concurrat ad individuationem; Nam in qualibet coordinatione prædicamentali, sunt aliqua; quæ pertinent ad illam coordinationem, circumscripto quocunque alio, quòd non est aliquid illius coordinationis essentialiter, quia illæ coordinationes sunt primò diversæ, sed in qualibet coordinatione, sicut est dare primum prædicatum, de quo nihil prædicatur, ita est dare infimum subjectum, quòd non prædicatur de alio, patet 1. posteriorum lect. 32., quòd quidem dicitur singulare, sivè individuum, ergo singulare, sivè individuum est in qualibet coordinatione per nihil aliud alterius coordinationis, & perconsequens, quantitas non est principium individuationis; Confirmatur, in qualibet coordinatione circumscripto quocunque alio, est ratio speciei, sed de ratione speciei est, quòd sit de pluribus speciebus prædicabilis, ergo in qualibet coordinatione potest inveniri intrinsecè individuum; & sic ergo, confirmatur etiam; infimum subjicibile per se recipit prædicationem superioris, sed ens per acci-

accidens, in quantum hujusmodi, nullius per se recipit prædicationem, ergo infimum subjicibile, scilicèt individuum, non potest esse ens per accidens, & per consequens non includit quantitatem.

CONCLUSIO XXII. Principium individuationis naturæ, sivè cujuscunque rei, ex *Scoto in 2. dist. 3. quæst. 6.*, est illud, quòd formaliter constituit individuum cujuscunque rei, sivè totalis, sivè partialis, sivè substantialis, sivè accidentalis, sivè materialis, sivè spiritualis, & est aliquod positivum realiter identificatum rei, formaliter distinctum ab ipsa re, vocatur aliquando singularitas, quia facit rem in qua est singularem, seù incommunicabilem, vocatur hæceitas, quia facit rem determinatam, & hanc, vocatur individualitas, idem, ac pauleitas, vel petreitas, quia contrahit naturam specificam ad Petrum, & Paulum; Probatur, nam omne per se inferius includit per se aliquòd, quòd non includitur in superiori, sed individuum est per se inferius respectu speciei, ergo aliquod per se includit, quòd non includitur in superiori, scilicèt in specie, sed hoc non est materia, nec forma, nec quantitas, ut patet, ergo aliqua entitas positiva pertinens ad substantiam rei singularis; Probatur etiam; omnis differentia differentium reducitur ad aliqua primò diversa, alioquin non esset status in differentibus; sed individua ejusdem speciei differunt, nam in aliquo conveniunt, & in aliquo differunt, ergo habent in

se

se aliqua primò diversa, quibus distinguntur, sed illa non sunt materia in isto, & materia in illo, nam conveniunt in materia, ergo oportet, quòd individua ultra materiam specificam habeant aliquas entitates, sivè realitates positivas, quibus ad invicem distinguantur, sed hoc non est negatio, nec materia, nec forma, nec quantitas, ut probatum est, ergo est entitas positiva, quæ est ultima realitas.

CONCLUSIO XXIII. Esse essentiæ & esse existentiæ distinguntur formaliter negativè, & inadæquatè, sed non positivè, vel sunt idem formaliter negativè; probatur primò. Illa, quæ sunt omninò idem, secundùm diffinitionem, non distinguntur formaliter adæquatè, sed esse essentiæ, & esse existentiæ sunt hujusmodi, quia homo non dicitur esse alterius rationis formalis, ut in potentia objectiva, aut in actu, sed actus non addit ad essentiam, nisi existentiam, ergo existentia non distinguitur formaliter ab essentia adæquatè, sed inadæquatè, quatenus addit aliquod supra diffinitionem alterius, vel sunt idem formaliter negativè, quatenus existentia cum sit modus intrinsecus essentiæ creatæ, non est seorsum conceptibilis ab essentia, sed non positivè, quatenus non est de essentia ipsius essentiæ, ideò distinguntur formaliter negativè, quatenus existentia non est de intrinseca ratione essentiæ, & sic patent omnes partes Conclusionis; sed *Fusius in disput. 5. metaphisicæ quæst. 6.*

CON-

CONCLUSIO XXIV. Esse essentię, & esse existentię non distinguntur realiter, sed sunt idem realiter; Tum, quia essentia non potest separari ab existentia per aliquam potentiam, quia actio cujuscunque potentię productivę terminatur ad existens, & singulare, quia actiones sunt singularium, ex primo Metaphysicę; sed omne, quòd est singulare existens, non potest separari ab existentia ergo, &c. Tùm, quia manente essentia manet existentia, illa verò non manente, non manet hęc ergo, &c., & licèt possit intelligi essentia pręcisè, non intelligendo existentiam, non tamen divisivę, unum separatum ab alio, & esse sine alio; Hinc falsum est, quòd essentia sit indifferens ad existentiam, & non existentiam, quia ut sic essentia absque existentia est pura potentia objectiva, & sic nihil cum possibilitate, tamen ad esse; hæc Faber Faventinus: Et quomodo noster *Trombeta* 5. *metaph.sicæ* dicat, quod essentia sit indifferens ad existentiam, & non existentiam, debet intelligi, quòd sit indifferens, quatenus præcisivę potest intelligi essentia, sine existentia; Tum etiam, quia non se habent, sicut res ad res, nam essentia præcisa ab existentia non est vera res, loquendo de vera, & reali re, quæ est tantum existens.


CONCLUSIO XXV. In causa extrinseca alicujus, stante unitate, potest esse pluralitas in effectu, si ita est, quòd subjectum est causa extrinseca respectu accidentium, ergo stante unitate in subjecto, possunt plurificari ipsa accidentia, quia idem

idem efficiens, poteſt producere plures effectus diſtinctos, ſecundùm numerum in eadem materia, & in eodem ſubjecto, accidentia enim, tantùm effectivè, & materialiter habent entitatem, & unitatem, à ſubſtantia, ſed non formaliter, contra Thomiſtas.

Finis Libri Quinti.



In



In sextum librum Metaphysicę Aristotelis secundùm intentionem subtilissimi Doctoris Conclusiones utilissimę probantur.

Text. *Principia* ; *& causæ quæruntur entium &c.* Hic ponit differentiam inter Metaphysicam, & physicam, quatenus in rerum natura, præter substantiam naturalem, & sensibilem, quæ est de consideratione Physicæ, reperitur aliqua substantia non naturalis, sed immobilis, & insensibilis, quæ est de consideratione Metaphysicæ.

Text. *Et, quia prima de ente in quantum ens, ergo;* Idest hic Philosophus regreditur ad constituendum objectum Metaphysicæ, quòd, etiam constituit *in 4. Metaphysicę*, & ait esse ens, in quantum ens, pro ut includit entia immobilia, & re ipsa separabilia, & multa alia docet de proprietatibus hujus scientiæ.

Text.

Text. *Sed tamen loquamur de accidente; secundùm, quòd possibile est &c.* Idest intendit philosophus removere ens per accidens à consideratione hujus scientiæ; sed de hac materia infra, *libro septimo, & dispnt. 1. metaph. quæst. 6.*

Text. *Quòd autem ut verum ens, & non ens, ut falsum, &c.*; Idest affirmat apertè veritatem esse in compositione, idest in intellectu, & negat esse in rebus, & declarat non esse in qualibet mentis operatione, quia non in simplici, qua cognoscitur quid est, sed tantùm in compositione, & in hoc sensu *Scotus* videtur explicare *Philosophum in p. dist. 3. q. 4. art. 2., & quolib. 13. art. 2. & in 4. dist. 8. q. 2.*

CONCLUSIO I.



IN tantùm Metaphysica est distincta scientia à physica, & prior illa, quatenus in rerum natura præter substantiam naturalem, & sensibilem, reperitur aliqua substantia non naturalis, sed immobilis, & insensibilis, quę non tantùm, secundùm considerationem abstrahit à materia, sed etiam, secundùm esse, & ideò oportet, quòd sit peculiaris scientia superior, universalior, & prior, quatenus consideret illam substantiam primam universalem, insensibilem, & immaterialem; & sic dato casu, quòd hęc non reperiretur, tunc physica esset prima

 phi-

philosophia, & essent penitus idem physica, & metaphysica, quia eadem scientia tunc consideraret illam substantiam naturalem, cum materia, & motu, & per considerationem tantùm, abstrahendo ab ea, & motu.

CONCLUSIO II. Ens in quantùm ens est objectum in Metaphysica, pro ut etiam dixi in 4. Metaphysicę; Probatur; Illud est objectum in Metaphysica, cui primò, & per se, & non aliis competunt passiones Metaphysicę; sed hujusmodi est ens, in quantum ens ergo, &c., minor probatur; nam unum, verum, bonum, quę sunt passiones conjunctæ ipsius entis; actus, vel potentia, unum, vel multa, idem, vel diversum, necessarium, vel contingens, à se, vel ab alio, simplex, vel compositum, quę sunt passiones disjunctę entis, non possunt per se primò competere, nisi enti, in quantum enti ergo; probatur antecedẽs; si nõ essent sic, non competerent omnibus inferioribus entis, nam passio, non potest convenire inferiori, nisi priùs conveniat superiori. Probatur 2. Metaphysica si non esset de ente in quantùm ens est in communi, tamquàm de suo proprio, & adęquato objecto, sed de aliquo determinato ente, sequeretur dari quartam scientiam speculativam; sed hoc est falsum, ergo, &c., sequela probatur; Nam daretur physica considerans corpus naturale; Mathematica considerans corpus quantum, daretur Metaphysica, quę esset de determinato genere, & non esset de ente inquantùm ens, ergo de ente

te inquantum ens daretur quarta scientia speculativa; consequentia probatur; nàm hoc ens inquantùm ens est scibile, eò, quòd haberet conditiones requisitas ad objectum scientię; habet enim quod quid est, habet passiones demostrabiles de ipso quòd quid est, & habet, quòd omnia reducantur ad ipsum, ut patet.


CONCLUSIO III. Conceptus entis non fundatur in una natura, seù realitate communi Deo, Creaturę, substantię, & accidenti; Probatur, nam data hypothesi, quòd diceret aliquam realitatem, statim sequitur, quòd in Deo esset aliqua compositio saltem Metaphysica, ex actu, & potentia, sed hoc est falsum, ergo, &c. sequela probatur; Data realitate entis esset in Deo realitas contrahibilis, & realitas contrahens, ergo Metaphysica cōpositio; Consequentia sequitur, quia ex contrahibili, & contrahente habetur compositio Metaphysica; nec valet respondere cum *Boneto lib. 1.* Theologię naturalis *cap. 1., & lib. 2. cap. 8.*, negando majorem, & distinguitur antecedēs, ex contrahibili, & contrahente finitis fit compositio metaphysica, concedo; non finitis, nego; quia Radix ex qua componentia dicuntur habere rationem partis est, quia sunt finita; nam contra est, realitas entis, quia communis Deo, & Creaturę ex se non est infinita; ergo in Deo, poterit habere rationem partis, & consequenter componere: Respondet *Bonetus loco citato*, & concedit antecedēs, & negat consequentiam; quia ad habendam rationem par-

partis, non sufficit ex se non habere infinitatem, sed requiritur, quòd habeat finitatem positivam, pro gradu intrinseco; modo quidditas entis, substantię, & spiritus, in quibus univocantur primę intelligentię non habent pro gradu intrinseco finitatem; hęc Bonetus; contra; si requiritur, quòd illud, quòd componit sit ex se finitum positivè, ergo realitas entis in creatura, non facit compositionem metaphysicam. & sic simplex erit Creatura, sicut Deus, quòd est falsum; sed de hac realitate *Fusius infra disp. 3. quaest. prima.*

Finis Libri Sexti.



In



In ſeptimum librum Metaphyſicę Ariſtotelis ſecundùm intentionem ſubtiliſſimi Doctoris Concluſiones utiliſſimę probantur.

Text. *Ens multipliciter dicitur, ſicut diviſimus, &c.* Ideſt agit de ſpeciebus entis, quod ens primò dividitur in ſubſtantiam, & accidens, & ſubſtantia eſt primum ens.

Text. *Videtur autem ſubſtantia inexiſtere, &c.* Agit de diviſione ſubſtantię in primam, & ſecundam, in materiam, & formam, & compoſitum, quòd etiam dicit cap. 3., & 19.

Text. *Quoniam autem in principio diviſimus, &c.* Ideſt agit de definitione, ſeù quidditate rei, &, quia forma ſubſtantialis eſt, quę complet quidditatem ſubſtantię, ſeù quodquid erat eſſe, ideò ab ipſo quodquid erat eſſe incipit diſputationem contra Platonem, quòd formę ſeparatę,

 ſeù

seù ideę non sunt necessarię, nec propter definitiones, nec propter esse individuorum, nec propter generationes rerum.

Text. *Utrùm autem idem est, aut alterum quodquid erat esse*; Idest, an quodquid est sit idem cum eò cujus est; nam per quodquid est, intelligit definitionem essentialem rei; & Alexander, & Commentator comparant hic, quodquid est ad primam substantiam, ajunt enim, quòd, quę habent aliquo modo quodquid est, sunt primę substantię; sit ergo.

CONCLUSIO I.



Ateria prima accepta sub ratione universali distincta ab omni differentia individuali, & ut inpotentia ad omnes formas, est una unitate specifica, accepta verò, ut determinata est per differentiam individualem, & sic est una numero, simul privativè omnium generabilium, & corruptibilium; prima pars hujus Conclusionis patet; secunda probatur: Illud est unum numero privativè, quòd non habet unitatem, quam natum est habere per aliqua extrinseca ipsum distinguentia, quam tamen haberet circumscripto extrinseco distinguente, sed materia prima circumscriptis omnibus formis distinguentibus nata est sic habere unitatem, si ab ipsa circumscriberentur

omnes

omnes formæ, sivè substantiales, sivè accidentales distinguentes ipsam, ergo omnes tales materiæ unirentur ad invicem, & facerent unum homogeneum numero.

CONCLUSIO II. Materia una numero positivè potest esse ingenito, & corrupto, & consequenter potest esse eadem numero omnium generabilium, & corruptibilium, successivè tamen, quia materia, secundùm omnem entitatem suam, nulla facta variatione circa ipsam, potest esse successivè in genito, & corrupto, & consequenter in omnibus generabilibus, & corruptibilibus, ergo materia prima potest esse una numero positivè, ideft, secundùm illam unitatem, quàm includit, ut est sub forma.

CONCLUSIO III. Materia prima, alia est numero in generante, & alia in genito; quia agens naturale non producit aliquid, nisi, ex aliquo, in quo recipitur actus, seù forma ejus, quia patiens est in opposita dispositione ad ipsum agens; sed talis opposita dispositio non est in materia generatis, quia nihil est in opposita dispositione respectu sui ipsius, ergo generans agit in aliam materiam.

CONCLUSIO IV. Materia est singularis, alia singularitate compositi, quia sicut materia habet entitatem, essentialiter distinctam ab entitate compositi, ita habet unitatem consequentem suam entitatem isto modo, sed talis non est nisi unitas singularis, ergo, &c.

CONCLUSIO V. Materia non est de se hęc & singularis, quia, quòd est cõmunicabile, sic, quòd plurificatur in multis, non est de se hoc, & singulare; sed materia dividitur, & numeratur per actus dividentes ipsam, & sic est singularis denominativè, & quasi per accidens.

CONCLUSIO VI. Singulare; tàm vagum quàm signatum, quolibet modo sumptum, est per se intelligibile, saltem ex sui natura; ratio est, quia singulare inquantùm tale, nihil diminuit de entitate rei; sed potiùs addit ad entitatem, ergo nihil diminuit de cognoscibilitate, quia unumquodque, sicut se habet ad esse, ita ad cognoscibilitatem ergo, &c.

CONCLUSIO VII. Singulare signatum, quòd est ipsa natura specifica determinata proprietate individuali, signata, & determinata, scilicèt petreitate, Franciscieitate, sub propria ratione singularitatis, non est intelligibile ab intellectu conjuncto, sic, quòd singularitas sit ratio agendi in intellectum, quia sic concipere singularitatem est concipere ipsam distinctam, & seorsum ab alia singularitate, & quidditate, quòd ab intellectu conjuncto, nunc negatur, quia circumscriptis omnibus principiis extrinsecis individuationis, ut loco, tempore, magnitudine, & figura, individua sunt sunt ejusdem rationis, ut duo ova videlicèt non appareant duo, sed unum, quia intellectus nesciret distinguere, ergo non intelligit propriam unitatem eorum, per quam unumquodque

que est indistinctum in se, & fit distinctum ab omni alio, & per consequens, nec entitatem eorundem cognoscit; tamen ipsa singularitas nunc, non per propriam speciem, sed per speciem naturæ,& sic concipitur cum ipsa natura,& sic est ratio cognita, & non cognoscendi, vel est pars objecti cogniti, cum essentialiter contineatur in objecto cognito, licèt secundariò, & ex consequenti concipiatur.

CONCLUSIO VIII. Singulare signatum, non per se, & directè nunc ab intellectu conjuncto concipitur; sed benè reflexè; idque patet per communem expositionem textus; Comm. 10. 3. de anima, ubi habetur, quòd si per eundem intellectum cognoscitur caro,idest individuum carnis; & carnis esse, hoc est,quidditas carnis, iste intellectus in cognoscendo carnis esse, & ipsam carnem, se habet, ut linea extensa ad se ipsam, ut circumflexam; Probatur etiam ratione, quòd individuum signatum cognoscatur reflexè; Illud, quòd intelligitur non per propriam speciem; sed per reflexionem potentiæ ad aliquod repræsentativum ipsius, intelligitur reflexè, sed ita est, quòd intellectus conjunctus in intelligendo singulare signatum, non intelligit ipsum per propriam speciem, immediatè repræsentantem ipsum, sed mediatè,sicut patebit in sequenti Concl.,ergo.&c.

CONCLUSIO IX. Singulare vagum primò primitate originis per se, & directè, idest per propriam speciem intelligitur ab intellectu conjun-

junẽto, quæ conclusio est directè contra D. Thomam; Probatur. Ars, & cognitio intellectualis insequitur naturam; sed, ita est, quòd in actione naturali agens producens, non primò intendit universale, quia tunc producto universali, non protenderet ulterius actionem, neque tale agens intendit singulare signatum, quoniam producta tali singularitate, adhùc cessaret actio nostræ naturę; sed primo intendit producere naturam in aliquo supposito, quòd est individuum vagum, & ultimò signatum, ergò sic erit in cognitione intellectuali, quòd species phantastica, existens in phantasia, quæ est repręsentativa objecti, primò repręsentabit naturam in aliquo supposito indeterminatè accepto; repręsentatur enim primò natura cum multis accidentibus contrahentibus naturam ipsam, & se invicem mutuò; secundò ex ipsomet phantasmate, intellectus agens abstrahit speciem intelligibilem per quam repręsentatur natura in se universalis. Tertiò ipsummet phantasma repręsentat naturam ipsam determinatam multis circumstantiis signatis relucentibus in phantasmate distinctiori modo, ad quàm naturam intelligendam cum istis circumstantiis signatis determinantibus, ad hoc, quod possit intelligi distinctè oportet intellectum reflecti ad tales circumstantias relucentes, & tunc intelligit intuitivè singulare signatum, & non cognoscimus singulare signatum distinctius, quàm ex cognitione istarum circumstantiarum, quę repręsentantur

tur in phantasmate, & signum hujus est, quòd ipsum singulare cognoscimus, ex cognitione istarum circumstantiarum, quia, sicut objectum intelligimus, ita ipsum significamus, & nominamus, unde si volumus significare, & nominare Petrum, dicimus, quòd Petrus est homo; longus, grossus, crispus, niger, simus, existens in platea hora vespertina, non stans, sed sedens, & ita habemus, quòd primum cognitum primitate originis est singulare vaghum, loquendo de cognitione intuitiva; Secundùm cognitum est ipsa natura, & quidditas in se, loquendo de cognitione abstractiva; Tertiùm est singulare signatum, quòd sic intelligitur reflexè.

CONCLUSIO X. Inhærentia accidentis non est de essentia accidentis; unde antequam probetur hæc Conclusio notate, quòd docet Antonius Andreas septimo Metaphysicę quęst. prima sequens suum Magistrum Scotum; quòd duplex est inhęrentia; Quędam est actualis, scilicèt, quando accidens actualiter inhęret suo subjecto; & hęc communiter ab omnibus conceditur, quòd non est de essentia accidentis; Alia est habitualis, seù aptitudinalis, quòd actualis inhęrentia non sit de essentiá accidentis probatur; Nam illud, quòd est de essentia alicujus non potest separari ab eo cujus est; sed actualis inhęrentia separatur ab accidente, accidente remanente, ut patet in Sacramento Altaris, ergo &c. Probatur etiam, si actualis inhęrentia esset de essentia accidentis, sequeretur,

tur, quòd accidens non possèt intelligi sine tali actuali inhærentia, cum essentia sit de conceptu quidditativo rei, sed consequens est falsum, ergo &c. Probatur; nam quidquid contingit significare, contingit intellectum intelligere; sed accidentia abstractivè possunt designari, ut patet, ergo intellectus potest intelligere accidens, sine ejus actuali inhęrentia.

CONCLUSIO XI. Neque aptitudinalis inhærentia est de essentia accidentis; Conclusio est directè contra D. Thomam; Probatur nullus respectus est de essentia absoluti, sed tàm inhęrentia actualis, quàm aptitudinalis sunt respectus, ergo; Probatur; Quia aliter omnia essent formaliter ad aliquid, quòd est inconveniens, ex *Aristotile 4. metaphysicæ*; *Probatur* 2. Fundamentum ipsius respectus, est aliud præter relationem; quia nihil fundat seipsum; Quapropter, secundùm D. Augustinum 2. de Trinatate; omne, quòd relativè dicitur, est aliquid aliud, præter relationem, ergo inhærentia accidentis non est de essentia accidentis, cùm fundetur in accidente; Probatur 3. Si inhęrentia aptitudinalis esset de essentia accidentis, sequeretur, quòd quantitas, qualitas, relatio &c. Non essent generalissima; Consequens est falsum, ergo &c. Probatur consequentia; Quia inhærentia videtur esse ejusdem rationis in quantitate, qualitate, & aliis accidentibus, ergo, si est de essentia utriusque, poterit ab utroque abstrahi conceptus dictus, in quid de ipsis, inferior quidem

dem

dem conceptu entis, & superior conceptibus ipsorum; Sed omnis talis est conceptus generis, & ita, quantitas,& qualitas,& hujusmodi non erunt genera generalissima; quia super ipsa erit aliud genus superveniens, hæc sapientissimè sumpsit à Scoto Antonius Andreæ; Si verò quæratur, cui inhæret inhærentia actualis accidentis, nam oportet dicere, quòd inhæreat alicui, cum sit accidens, & non substantia. Respondet Antonius Andreæ, quòd inhæret accidenti, alias non esset formaliter inhærens, & illa inhærentia mediante qua, prima inhærentia inhæret accidenti, non distinguitur realiter à prima inhærentia, unde non oportet, quòd sit procedere in infinitum in inhærentiis.

CONCLUSIO XII. Utrum intentio non sensata recipiatur cum intentione sensata in sensu exteriori, dico, quòd eadem species repræsentativa formaliter intentionis sensatæ, idest sensibilium est repræsentativa virtualiter intentionis non sensatæ, idest insensibilium, ut sunt intentiones nocivi, & utilis, & sic intentiones istæ, non percipiuntur à sensu exteriori, sed interiori, licèt species virtualiter repræsentativa utilis, ergo sit subjectivè in sensu exteriori, non tamen est ibi perceptivè, in sensu autem interiori sic, & subjectivè, & perceptivè.

CONCLUSIO XIII. Substantia est prior accidente, tempore, definitione, & cognitione; Probatur, quia substantia, quantum est de se, cùm non includat essentialiter accidens, potest sepa-

separatim esse sine quocunque; ipsum verò accidens cum dependeat à substautia, non potest esse sine ipsa saltem virtualiter; unde prius tempore est posse habere sine alia existentiam actualem, & priorem, quantum est de se, ita videlicet, quòd sibi non repugnet, eò, quòd in nihilo dependet ab ipso, & tale prius benè potest dici prius natura, ita, quòd per prius tempore, hic intelligitur prius natura, idque potest esse dupliciter, uno modo, quia non dependet ab alio, alio modo, quia non est causa necessaria illius; Quod probatur, per oppositum; Quia, si substantia, non potest ab accidente separari, vel est, quia dependet ab accidente, vel, quia est causa necessaria illius; Ad propositum dico, quòd substantia comparata ad accidentia communia sæparabilia est prior tempore, seù natura utroque modo, videlicèt, quia non dependet, nec est causa necessaria illorum; comparata autem ad accidens proprium inseparabile, puta ad propriam passionem subjecti, est prior uno modo, videlicèt, quia substantia non dependet ab illa, sed non secundo modo, quia sic est causa necessaria propriæ passionis, ideò non est prior isto modo; primo modo, ergo est separabilis, modo præexposito, & ut sic non repugnat substantiæ existere sine quocunque accidente; Thomistæ tenentes opinionem D. Thomæ dicentis subjectum esse tantum causam materialem, seù passivam propriæ passionis, & nullo modo causam activam ejusdem, & aliorum accidentium com-

communium, Conclusionem dicunt esse universaliter veram, scilicèt, quòd substantia est separabilis, ut substantia est ab omni accidente, etiam proprio, taliter quòd dicunt Thomistæ, quòd licèt repugnet homini, ut homo est esse sine risibilitate, & hoc propter magnam inclinationem hominis ad illam; sicut eadem ratione Materiæ Cæli, secundum Thomistas repugnat esse sine forma Cæli, tamen non repugnat homini, ut substantia est, & ut potencia passiva est, esse sine proprietate accidentali; Scotistæ autem sequentes veriorem sententiam Doctoris subtilis, dicunt Conclusionem esse negativam, videlicèt, quòd subjectum, non est separabile ab accidente proprio, & hoc est, quòd ait, idem Doctor subtilissimus in Metaphysica, quòd, licèt subjectum potest separari à passione, quantùm ad independentiam, quia in nullo, subjectum dependet à passione, non tamen est separabile, quantùm ad causalitatem passivam, videlicèt, & activam, quia est causa necessaria ejusdem; Nam posita causa necessaria causante effectum necessitate simpliciter, de necessitate ponitur effectus, ideò posito subjecto, de necessitate ponitur passio, illud; quòd dictum est de separabilitate substantiæ ab accidente, intelligatur de separabilitate, secundùm potentiam logicam, quæ est non repugnantia terminorum, vel, secundum potentiam Metaphysicam, quę est quòd in conceptu formali ipsius substantiæ non includitur aliquod accidens, & propter hoc non repugnat

gnat substantiam esse, sine quolibet accidente; Sed si loquamur de separabilitate, secundùm potentiam physicam, seù naturalem, quæ est materia sensibilis, & quanta, de qua habet produci compositum substantiale, cum agens naturale non agat, nisi mediantibus qualitatibus activis, seù passivis, non potest substantia, ut naturalis est, separari à quolibet accidente communi.

CONCLUSIO XIV. Est quoque substantia prior accidente definitione, quia definitio, seù substantia cadit in definitione accidentis, cujuslibet necessariò; Probatur, omnis definitio perfecta exprimit perfectum conceptum, & quietativum intellectus; sed nulla definitio accidentis, sine substantia est hujusmodi, ergo necessariò substantia cadit in definitione accidentis; Major patet; minor probatur; omne accidens habet rationem formæ inhærentis, de tali autem non potest haberi perfectus conceptus quietans intellectum sine illo, cui inhæret, qui est substantia, ergo &c. Subsumo, sed sic est, quòd pars definitionis est prior definito, ergo substantia definitione est prior accidente.

CONCLUSIO XV. Est etiam substantia prior accidente cognitione, non, quòd priùs de facto cognoscatur substantia, quàm accidens, immò, accidens prius cognoscitur, quia sensibile est, ergo si substantia est prior cognitione ipso accidente, dicitur sic prior, quantum est de se; vel dicitur prior cognitione primitate perfectionis,

nis; quia substantia est perfectius cognoscibile, quàm accidens; nam res, sicut se habet ad esse, ita se habet ad cognosci; est etiam ipsa substantia prior accidente generatione, quia prius natura generatur, quàm ipsum accidens.

CONCLUSIO XVI. Forma comparata ad materiam in eodem composito numero, licèt sit prior prioritate perfectionis, quam materia, quia perfectio ejus, non tamen est prior natura, vel origine, immò posterior sit, & materia, ut subjectum, & fundamentum formę est prior natura ipsa forma, quę, licèt quo ad esse sit posterior, quàm materia, est tamen prior causalitate, quia forma prius natura est causa materię, dando illi esse formale, seù actuale, quàm sit materia causa formæ in substentificando illam, & eò modo, quo forma est prior, quam materia, scilicèt in causando, sicut principium in principiato, ita, etiam est prior composito, dummodo ipsa forma consideretur, quo ad esse suum particulare, quòd habet extra causam suam, quia si consideretur quo ad esse sibi communicatum à composito participativè, (quidditas enim compositi, secundum Aristotelem, hic 7. Metaphysicę est causa, & ratio essendi cuilibet parti essentiali) est posterior, ut sic ipso composito, quo ad istud esse per accidens, quòd habet per aliud, quia ad esse totius partes existunt in toto, quo autem ad esse suum particulare ipsa forma per accidens generatur, & non per se, perseitate tertii modi, quia non solitariè


ipsa generatur, sed in ordine ad totum, est etiam forma, quo ad suum esse magis ens composito, ad istum sensum, tamen magis ens, ideft ens magis independens, quàm compositum, quòd principaliùs ab ipsa forma, quàm à materia dependet; vel dicendum, quòd Aristoteles non similiter comparat formam ad materiam, & ad compositum; nam comparando formam ad materiam, dicit sic, species, seù forma est prior, & magis ens, quam materia, comparando verò formam ad compositum, dicit tantum, prior verò est forma illo, quòd ex utrisque constat, propter eandem rationem; ommittit enim majoritatem, & ponit prioritatem; propter eandem rationem, ideft, eò modo, quo forma est prior materia, quia, ut causa ejus, ita est prior composito, quia principium ejusdem.


CONCLUSIO XVII. Si verò forma comparetur ad materiam in diversis numero suppositis ejusdem speciei, tunc simpliciter omni modo forma erit prior materia, & origine, & perfectione, & causalitate, ut etiam docet sapientissimus Ferchius, lib. Vestigationum; V.G. forma ignis generans, quo ad esse præcedit materiam, quæ actu est sub forma ligni, & quæ est tantùm potentia ignis, quia revera actus omni modo præcedit potentiam, ut infra dicemus, sed forma ignis generans est in actu, materia ligni est inpotentia, ergo forma existens in uno composito est prior simpliciter omni prioritate ipsa materia existente in altero composito. CON-

CONCLUSIO XVIII. Quoniam substantiæ abstractæ, sicut sunt omnes intelligentiæ, non differunt numero, secundùm Aristotelem; sed unicum individuum, unicam constituit speciem in illis absolutè; nam dicit idem Aristoteles, hic 7. Metaphysicæ, quòd idem est, quodquid est, idest essentia, vel quidditas, & illud cujus est, idest, individuum, vel suppositum habens illam quidditatem, ratio philosophi, quia suppositum abstractum à materia, sicut est intelligentia, non constituitur in esse individuali per differentiam individualem, sed quidditas ipsius intelligentię de se intrinsecè est individua, & singularis, itaque, individuum non addit supra speciem, aliquam aliam entitatem, sed species illa intelligentię dicit totam quidditatem, & totam entitatem individui; non sic autem in conjunctis cum materia, quia individuum materiale differt à specie per illam ultimam realitatem formæ, quæ differentia individualis est, quæ materia totius dicitur à Scoto; Dicit enim idem Aristoteles, quòd, quodquid est, non est idem cum illo cujus est, intelligendo per id cujus est, non naturam specificam, sed suppositum, cui non primo, sed secundo competit talis essentia, & quodquid est, adeoque, vult dicere, quòd in suppositis naturæ materiatæ, non est idem penitus quodquid est, & ipsum individuum, non quia revera non sit idem per se; sed, quia non est idem primariò, idest adęquatè, sed secundariò, vel inadęquatè, quia est idem prima-

riò cum natura ſpecifica, deindè ſecundariò cum individuo, nam vult dicere, quòd aliud eſt eſſentia,& natura ſpecifica ab individuo, quia individuum diſtinguitur, ut dixi per differentiam individualem; in abſtractis verò, ait Ariſtoteles, eſſe idem primariò natura, ſeù quidditas, & individuum illius naturæ; *Conſulite Scotùm in 2. diſtinctione. 3., quæſtione 7. §. ad primum argumentum.*

Finis Libri Septimi.





In octavum librum Metaphysicę Aristotelis secundùm intentionem subtilissimi Doctoris Conclusiones utilissimę probantur.

Text. *Ex prædictis itaque syllogizare oportet, &c.* Ideſt agit hic de ſubſtantia ſenſibili, quæ ſemper conſtat ex materia, ideò ait text. 3., quòd ſenſibiles ſubſtantiæ materiam habent, unde hic liber 8. videtur potius ad phyſicam ſpectare, modus tamen, & ratio differendi de iſtis, eſt etiam proprius Metaphyſicæ.

Text. *Quòd verò ſubſtantia eſt materia palàm, &c.* Hic agit principaliter de forma ſubſtantiali, quàm hic Ariſtoteles probat eſſe ſolùm ex proportione ad actus accidentales, ſed de hac re, & de aliis, quæ ſpectant ad hanc formam ſubſtantialem, latius dictum eſt ſupra lib. 7. Metaphyſicæ.

Text. *Oportet autem non ignorare, quia aliquando latet, &c.* Hic agit de principio formali, scilicèt de formis, & speciebus rerum per comparationem ad ideas Platonis, quas semper impugnat.

Text. *In substantia verò materiali, &c.* In hoc capite nihil ferè novum Aristoteles docet; quapropter omnes conclusiones de materia, & de causis, hic tractari possunt; sed de istis dictum est supra.

Text. *De dubitatione verò dicta circa diffinitiones, & numeros, &c.* Idest, quòd sicut ex genere, & differentia fit unum per se metaphysicè, ita ex materia, & forma fit unum per se, sit ergo.

CONCLUSIO I.



On unica, sed multę Conclusiones deduci possunt ex primo capite text. Aristotelis, quòd materia, non naturaliter, sed divinitus separari potest à forma; Quòd in composito substantiali sint plures formæ; quòd detur forma corporeitatis, maximè in animatis; quòd eadem materia numero sit omnium generabilium, & corruptibilium. Quòd idem numero possit reparari per potentiam divinam; quòd in motu alterationis maneat idem sub utroque termino; quòd ad formationem corporis prolis, ma-

mater concurrat activè; quòd in omni generatione, & corruptione resolutio non fiat; usque ad materiam primam; quòd Cęlum sit compositum ex materia, & forma; hęc omnia ex professò videbimus in physicis.

CONCLUSIO II. Accidens, licèt sit compositum metaphysicè ex actu, & potentia, & etiam compositione cum his, quia ex materia in qua, non tamen est compositum physicè ex materia ex qua, seù compositione ex his; unde nomen accidentis, seù accidens primò intentionaliter est ęquivocum ad accidens metaphysicum, & physicum, nam aliquando sumitur pro omni illo, quòd convenit alicui, & non est de diffinitione quidditativa ejus, & sic propria passio est accidens suo subjecto, & omne accidens commune est accidens suo subjecto, & omne inferius suo superiori; quapropter accidens primò intentionaliter sivè sumatur pro extraneo, sivè pro illo, quòd perficit accidentaliter aliquid, quòd est in se perfectum ultimatè, semper essentia ejus est principium exigitivum inhærentię, non verò ipsa inhærentia, ut probatum est, *lib. 7., cum Scoto in 4. dist. 12. quæst. 1.*, & nunquam est compositum physicè ex materia ex qua, seù compositione ex his, ex re, & re, sed ex actu, & potentia, & cōpositione cū his, V. G. albedo ex realitate, & realitate, sc. generis, & differentiæ, undè valdè notanda est doctrina Joannis Canonici, quòd quatruplex est differentia inter compositionem ex his, & cum

 his,

his, prima, quia compositio ex his, est posterior; & præsupponit compositionem cum his, secunda, quia in compositione cum his, idem est compositum, & componens; in compositione autem ex his, aliud est componens, & aliud compositum; tertia, quia in compositione cum his, quot sunt componentia, tot sunt composita, in compositione autem ex his plura sunt componentia, quàm composita; quarta, quia compositio cum his reperitur in quolibet genere cum alio genere, compositio verò ex his, non nisi in eodem genere.

CONCLUSIO III. Quomodo formę naturales dicantur suscipere magis, & minus, & breviter hic cum Antonio Andrea, dico, quòd præcisa ratio suscipiendi magis, & minus est latitudo graduum in forma, sivè, quòd idem est, illimitatio formę, quæ participatur, secundùm magis, & minus, secundùm alium, & alium gradum ab individuis.

CONCLUSIO IV. Sed an substantia, vel substantialis forma suscipiat magis, & minus; Scotus in hoc 8. Metaphysicæ, & Faber Faventinus in Phylosophia naturali, Theoremate 66. adducunt tres Conclusiones; Prima est, quòd si accipiatur substantia in communi, & pro quidditate; substantia non suscipit magis, & minus, quia substantiæ ut sic non competit suscipere magis, & minus, sed quatenus est in individuis tantùm; Si verò consideretur, quatenus participatur ab individuis,

duis, tunc ponunt duas alias conclusiones; prima est, quòd una forma substantialis est major alia ejusdem speciei, & intelligit Scotus, cum Faventino de majoritate perfectioni s, & hanc Conclusionem universaliter sustinet cum Henrico contra Averroem de quacunque forma substantiali; nam Averroes sustinet eam tantùm in formis Elementorum.

CONCLUSIO V. Eadem forma numero non intenditur, neque remittitur, quàm Conclusionem sustinet etiam cum Henrico, contra Averroem, qui sustinet eandem formam elementi posse intendi, & remitti; Pro prima Conclusione, quòd forma substantialis sit perfectior alia, est articulus Parisiensis, de anima intellectiva, quòd sit essentialiter perfectior in Christo, quàm in Juda, & hic articulus cogit Theologos, sed non philosophos: Probatur Conclusio sic à Scoto; Quandocunque aliqua una substantia, numero ejusdem speciei habet aliquam qualitatem, convenientem necessariò speciei intensiorem, quàm alia forma ejusdem speciei habeat, forma prioris substantiæ est perfectior, & consequenter magis substantia, quàm forma secundæ substantiæ, habentis minus intensam qualitatem; Sed sic est, quòd una substantia numero ejusdem speciei habet qualitatem necessariò consequentem intensiorem, quàm alia forma ejusdem speciei, ergo illa est perfectior, & magis substantia alia; Minor probatur inductione, quia unum individuum ignis

est

eſt calidius alio individuo ignis, quantitate materiæ eadem utrinque exiſtente, & unum individuum vini, & carnis eſt dulcius alio ejuſdem ſpeciei; Major patet ex duobus ſuppoſitis, primum, quòd qualitates emanant ab illa forma ſubſtantiæ, excluſo quocunque alio agente extrinſeco, ut patet de frigiditate aquæ; Nam cum frigiditas aquæ per contrarium remittitur, ſi poſtea ſubſtantia illa aquæ ſibi relinquatur reddit ad priſtinum ſtatum, & gradum frigiditatis, ergo videtur, quòd cauſa efficiens redditus frigiditatis, non ſit alia, quàm forma ſubſtantialis aquæ; Secundùm ſuppoſitum; Cauſa naturalis non impedita agit ſecundùm ultimum ſuæ potentiæ: Ex his duobus ſuppoſitis ſequitur, quòd ſi qualitas producta ab una ſubſtantia ejuſdem ſpeciei ſit minus intenſa qualitate proveniente ab alia ſubſtantia ejuſdem ſpeciei, etiam forma ſubſtantialis erit imperfectior, & minus ſubſtantia; ratio eſt, quia præſtantia effectus arguit nobilitatem cauſæ, maximè, quando agunt cauſæ ſecundùm ultimum ſuæ potentiæ, & non ſunt impeditæ, & ſunt in ſuo eſſe quieto, & non pugnant cum contrario; Hoc etiam fatetur D. Thomas prima parte ſummæ quæſtione 85. art. 7. ubi ait, quòd corpus, quantò eſt perfectius diſpoſitum, tantò meliorem ſortitur animam, ecce quomodo ponit magis, & minus ex parte animæ: Et ex *Ariſtotele hic in 8. Metaphyſicæ text.* 10. habetur, quòd ſubſtantia, quæ eſt ſecundùm ſpeciem non ſuſcipit magis, & mi-


minus, sed siquidem in materia. quæ authoritas est clarissima; Nam ibi comparat formas numeris, & ait, quòd sicut numerus non habet magis, & minus, ita substantia, quæ est secundùm speciem non suscipit magis, & minus, sed, quæ cum materia, quòd autem intelligat per hoc, patet, quia intelligit substantiam, secundùm esse individuale, quòd per ipsum philosophum vocatur materia totius, sivè, secundùm quòd recipitur in individua substantia, hæc enim est substantia in materia, non abstracta à materia, hoc modo igitur substantia suscipit magis, & minus; Probatur secunda Conclusio, scilicèt, quòd eadem forma numero substantialis non intendatur, & remittatur continuò. Si remissa qualitate remittatur forma substantialis, ergo amoto contrario remittente nulla est causa intrinseca redeundi ad gradum intensum, ut puta, est aqua in summo frigida, accedit ignis, & remittit frigiditatem aquæ per quinque gradus; deinde cessat agere, tunc est manifestum, quòd aqua reddit ad pristinam frigiditatem; modò, si forma substantialis aquæ remissa fuisset, quando illa frigiditas est remissa, manifestum est, quòd aqua non potuisset redire ad gradum intensum in summo, quia forma substantialis, quæ remansit, tunc non potest ultra suas vires, & sic non potest producere qualitatem intensiorem, quia illa non est sibi proportionalis, nam forma illa remissa, non potest esse principium sufficiens illius, nullum ergo erit princi-
pium

pium effectivum illorum quinque graduum ablatorum; oportet ergo dicere, quòd eadem numero forma substantialis non intenditur, nec remittitur; patet, etiam deaere intensiùs calefacto ab igne, deinde redeunte ad suam pristinam caliditatem: Probatur etiam authoritate philosophi, 5. phisicorum, ubi negat motum in substantia, & concedit motum in qualitate, non negat autem motum in substantia pænes partes mobilis, quia sic generatio est successiva, ergo negat motum pænes partes formarum.

CONCLUSIO VI. Non negamus omninò esse gradus in forma substantiali, immò illos admittimus, nempè indivisibiles, sed negamus gradus, eo modo, quo sunt in forma accidentali; forma enim accidentalis paulatim inducitur per gradus, ut patet de caliditate in aqua, & secundùm illos, est in continuo fluxu, non sic est de forma substantiali, quia tota simul in instanti inducitur, nec cum est inducta, modò intenditur, & modò remittitur, ut forma accidentalis; Nec propter hoc sequitur, quòd in generatione individuali, una forma non recipiat plures gradus perfectionales altera, & hinc fit, quòd suscipit magis, & minus motu individuali, sivè indivisibili, & nullo modo motu continuo, sicut qualitas, in quo differt à qualitate; de motu continuo loquitur *Aristotele*s in prædicamentis, quando dicit, quòd substantia non suscipit magis, & minus, undè exemplificat, dicendo, sortes non est ma-

magis homo nunc, quàm priùs, quia habet semper idem esse, quàm prius habuit, sed benè modò est magis albus, quàm prius, quia accidens motu continuo intenditur, & remittitur; his non obstantibus, sortes poterit habere perfectiorem formam in generatione, quàm Joannes, & sic postea eadem perseverat, cum eadem perfectione, in puero, & in sene; Nec authoritas *Aristotelis in hoc 8. metaphysicæ*, est contra nos, dicentis, quòd formæ sunt sicut numeri, quia forma substantialis accepta ut abstrahit ab individuis non suscipit magis, & minus, & sic se habet ut numerus, sed eadem ut participatur ab individuis, benè suscipit, & non se habet ut numerus; Nec ut sic suscipit magis, & minus in gradibus quidditativis, seù specificis, qui variant speciem, sed in gradibus individualibus, idque in mutatione indivisibili, quæ est generatio, quam appellamus mutationem individualem, quia terminatur ad individuum, & licèt forma sit indivisibilis, quò ad quantitatem molis, est tamen divisibilis quò ad quantitatem virtutis: An ex materia, & forma constituatur unum per sè, videbimus in physicis;

Finis libri octavi.



In nonum librum Metaphysicę Aristotelis secundùm intentionem subtilissimi Doctoris Conclusiones utilissimę probantur.

Text. *De primo quidem igitur ente*, *&c.* In hoc capite ferè repetit philosophus, quæ tradiderat in lib. 4., & septimo, unde conclusiones ibi probatæ, hic etiam locum habent; agit, etiam de potentia activa, & passiva, quæ sunt distinctę potentiæ, & ideo quæri potest, an idem possit pati à seipso, & agere in seipso, an actione univoca, vel æquivoca.

Text. *Sunt autem quidam*, *qui dicunt &c.* In hoc cap. principaliter agit de potentiis rationalibus, & irrationalibus, quæ sunt potentiæ acti-

sticum,

væ, & an dicta divisio sit conveniens, & quænam sit potentia vitalis rationalis, & quæ non hæc omnia tamen spectant ad tractat. animasticum, loquitur etiam hic contra aliquos dicentes, potentiam non esse, nisi dum actu operatur, quòd est absurdum, & rationes *Aristotelis* sunt perspicuæ, undè hoc principium est verum, potentia præcedit actum suum.

Text. *Omnibus autem potentiis existentibus, &c.* Hìc reprobat sententiam eorum, qui dicebant, unumquodque esse possibile, etiam si futurum non sit, quòd tamen apertè est falsum, ut nulla egeat refutatione, aut declaratione.

Text. *Quoniam autem de potentia, quæ secundùm motum, &c.* Hìc agit de ordine inter potentiam, & actum, an in uno, & eodem subjecto, actus interdum antecedat potentiam, quòd hìc affirmat Aristoteles; quomodo potentia reducatur ad actum, & quid determinat potentiam rationalem, vel liberam ad actum; & sic discurrit in aliis capitibus, quænam sint propriè in potentia, & an actus sit prior substantia, seù perfectione, quàm potentia, &c. Utrum aliquod possit à seipso moveri, videtur, quòd non, quia philosophus hic in litera dicit, quòd in nihil est aptum pati ipsum à se ipso, unum enim, & non aliud est, & in 2. physicorum docet, quòd nihil movetur à se ipso primariò, hæc omnia videbimus in physica, & breviter hic aliqua tangemus.

CON-

CONCLUSIO I.



N actione univoca, nihil agit in seipsum, nec à seipso patitur, ratio est, quia tunc haberet illam formam, per quam agit, & non haberet, &c. immò si quis posset in seipsum agere, & producere aliquam formam substantialem, non esset nec agens univocum, nec equivocum, non univocum, quia tale semper est eque perfectum, cum termino producto; sed nulla forma substantialis potest noviter advenire per se composito, quin illa sit perfectior quacunque precedente, quia in formis substantialibus semper ulterior est perfectior, ergo, nihil univocè potest in seipsum agere. &c. Nec esset agens equivocum, quia tale est perfectius termino producto; sed non esset sic in proposito, immò terminus productus esset perfectior; itaque est vera Conclusio, quòd nihil agit in seipsum univocè actione substantiali, quia tunc etiam duo individua absoluta, & ejusdem speciei essent in eodem numero, quòd est falsum.

CONCLUSIO II. Actione verò equivoca accidentali seù alterativa benè potest idem numero agere in seipso, nec sequitur, idem esse in actu, & in potentia, accipiendo actum, & potentiam uniformiter, quia duplex est actus, scilicet for-

formalis, & virtualis, exemplum primi, ignis eſt actus calidus formaliter, exemplum ſecundi, ſol eſt actus calidus virtualiter, iſti autem duplici actui correſpondet duplex potentia paſſiva, ſcilicèt formalis, & virtualis, potentia paſſiva formalis eſt illa, quę poteſt recipere aliquam formam accidentalem; potentia paſſiva virtualis eſt illa, quæ poteſt recipere aliquam virtutem ſubſtantialem per quàm poſſit agere; Itaque quando aliquod movet ſeipſum actione æquivoca, & accidentali, non eſt in actu formali, ſed virtuali, & in potentia, & illa non repugnant, benè autem puto impoſſibile idem eſſe in actu, & in potentia uniformiter, accipiendo lii formaliter, formaliter; lii virtualiter, virtualiter, nec ſequitur, quòd idem eſſet ſibi contrarium, quia agens eſt contrarium paſſo, quia hoc intelligitur de agente univoco, & non de æquivoco alterante.

CONCLUSIO III. Intentio autem philoſophi in 2. phyſicorum eſt, quòd, idem non moveatur à ſeipſo primariò; duplici primitate ſcilicèt ſecundùm ſe totum; & adæquatè, quia tunc quieſceret ad quietem partis, & moveretur ad quietem ejuſdem, ſed benè, idem poteſt movere primariò, ſecundùm tantum, primitate, ſcilicèt adæquationis, quia tunc licèt pars quieſcat, non ſequitur, quòd debet quieſcere totum; nec eſt inconveniens, relationes oppoſitas fundari in eodem, ſcilicèt motivi, & mobilis, quia iſtæ non ſunt incompoſſibiles in eodem, quia inter mo-

vens, & motum est tantum dependentia accidentalis, & ratio est, quia idem, quatenus est movens se, est aliqualiter illimitatum, non qualiter est motum, & ideò aliter, & aliter se habet.

CONCLUSIO IV. Utrum differentia, quàm assignat philosophus inter potentias rationales, & irrationales sit conveniens, scilicèt, quòd illę sint oppositorum; istę verò unius oppositi tantùm; dico, quòd potentia activa, aut est de se determinata ad agendum, ita, quòd, quantùm est de se non potest non agere, quando non impeditur ab extrinseco, aut non est ex se determinata, sed potest agere hunc actum, vel oppositum, vel agere, & non agere; Prima potentia dicitur communiter natura; Secunda verò dicitur voluntas; Natura igitur, quia est talis causa, est unius tantùm determinatè, idest cujuscunque, vel quorumcunque est determinata, est ex se illius, vel illorum, ut patet de igne ad agendum unum effectum in passo sibi approssimato, & disposito determinato; & etiam de Sole, qui præsente passo liquofactibili, sic liquefacit, quòd non potest non liquefacere, & similiter præsente passo constringibili, non potest non indurare, simul, & semel, ita, quòd, non est in sua potestate alterutrum illorum agere præsentibus passis ambobus receptivis duarum formarum oppositarum. Voluntas verò, quia est talis causa, est oppositorum, idest ex se indeterminata est hujus actionis, vel oppositę, vel actionis, vel negationis ejusdem, pro quanto potest

test agere, vel non agere, & ex se primariò se determinare ad agere, vel non agere ad hoc, vel ad illud agere, quia ejus indeterminatio non est materialis, seù potentiæ passivæ, quæ indiget extrinseco determinante, sicut de materia patet, sed est indeterminatio potentiæ activæ, aliqualiter illimitatæ, estque excellentis perfectionis.

CONCLUSIO V. Potentia activa est adhuc duplex, una irrationalis, alia rationalis, prima dicitur de natura, quæ determinata est ad unum effectum, vel ad plures; Secunda est ipsa voluntas, & licèt hic in litera dicat philosophus, intellectum esse potentiam rationalem, hoc tamen, non intelligitur de intellectu, ut comparatur ad actum proprium, quem elicit, quia sic est potentia naturalis determinata, & ut sic est potentia irrationalis; intelligitur ergo dictum Aristotelis, sic, quòd intellectus potest comparari adhuc ad actus aliarum potentiarum inferiorum, in quibus habet cum voluntate aliquam causalitatem, puta intellectus ostendendo, & dirigendo; voluntas verò in volendo, & imperando, & hoc modo, nunquam intellectus est principium alicujus actionis exterioris sine voluntate concurrente, & determinante intellectum; de hoc intellectu loquitur philosophus, qui est practicus; unde philosophus, aliquando distinguit naturam contra artem, & intellectum, aliquando distinguit naturam contra propositum, & voluntatem, per quòd patet, quòd per omnia illa, scilicèt per ar-

tem, intellectum, & voluntatem intelligit unum principium practicum artificialium, nam ad opus artis concurrunt illa tria, ex quo patet, quòd potentia rationalis dupliciter potest sumi, scilicèt incompletè, vel completè; incompleta potentia rationalis est intellectus, vel ars, ut præcedunt voluntatem, & de tali videtur hic loqui philosophus, cum dicit, quòd oportet illam determinari per voluntatem; voluntas autem determinativa intellectus, est potentia rationalis completa, vel saltem ad completum principium rationale, & sic verum est, potentiam rationalem completam esse oppositorum, quia in eodem nunc potest agere ad oppositum, non in sensu compositionis, sed divisionis.

CONCLUSIO VI. An actus sit prior potentia, ratione, generatione, & perfectione, suppono, quòd relativa opposita sunt duplicia, vel sunt mutua, vel non mutua, ad propositum dico, quòd actus, & potentia non opponuntur relativè, primo modo, nam talia cum sint simul natura, & diffinitione, sequeretur, quòd actus non esset prior potentia ratione, nec ratio scilicèt diffinitiva potentiæ sumeretur ab actu magis, quàm è converso, quòd est contra philosophum in text. opponuntur autem, secundo modo; nam potentia dicit ordinem, vel est ipsemet ordo ad actum; scilicèt essentiæ, & existentiæ, & ille ordo est essentialiter respectus ad actum, & non è converso, quia ratio actus est absoluta, itaque actus tantum ter-

terminat relationem potentię, & non refertur ad illam, ſicut patet in 5 metaphyſicæ, cap. de ad aliquid, de ſcientia, & ſcibili, de menſurabili, & menſura, quia omnia iſta, & ſimilia pertinent ad tertium modum relativorum, quę nullo modo ſunt mutua, quia igitur potentia dependet ab actu eſſentialiter, & non è converſo, ideo habet diffiniri per actum, & non è converſo, & per conſequens, ut ait philoſophus, actus eſt prior potentia ratione, ſcilicèt diffinitiva, & non, è converſo.

CONCLUSIO VII. Non tantum actus eſt prior potentia ratione, ſed etiam generatione, ſeù tempore, & ſecundùm ſubſtantiam, ideſt perfectione, idque eſt verum ubi, actus, & potentia ad diverſa comparantur, ſuppoſitaliter diſtincta, & dummodo potentia accipiatur pro objectiva, ut illa, quę fundatur in eſſe cognito in Deo exiſtente, & terminatur in reali poſſibili, V. G. illud dicitur potentia, ut ſic, quod nunc non eſt in actu, & poteſt eſſe, ut lignum in actu, non eſt ignis, ſed eſt potentia ignis; comparando igitur iſtam potentiam ſic ad actum extrinſecum eſſentiæ, & exiſtentię ipſius agentis (Agens enim, ut eſt in actu formali agit) ducentis lignum potentia, ignem ad actum, dico, quòd actus talis eſt prior tali potentia triplici primitate, ſed comparando potentiam, & actum, ut concurrunt in eodem numero, tunc potentia eſt prior actu prioritate originis, prius enim aliquod, eſt potentia ad tale

ens, & deinde idem fit in actu, vel est tale in actu; Idque in istis generabilibus, & corruptibilibus, in quibus non semper potentia est simul cum actu; secùs est de incorruptibilibus, & æternis, in quibus, posse, & esse sunt simul, ut ait Aristoteles 3. physicorum, semper, enim sunt in actu, & in 9. metaphysicę, ait philosophus; Comparando, etiam actum, & potentiam ad idem numero, aliquando actus est prior potentia, accipiendo potentiam pro habitu acquisito, habitus, enim fit ex actibus præcedentibus, sed quò ad actus subsequentes ipsam potentiam habitualem, potentia illa est prior actu quocunque; aliter verò est dicendum universaliter de potentia activa quacunque, quæ semper est prior actu suo; & de potentia passiva, seù receptiva, quæ semper est prior receptibili origine saltem.


CONCLUSIO VIII. Ideò illa, quæ sunt priora origine, seù generatione, sunt posteriora, secundùm substantiam, seù perfectionem, quia natura limitata semper procedit de imperfecto ad perfectum; In natura autem illimitata, & simpliciter perfecta est totum oppositum, nam., quæ sunt priora origine, ibi sunt priora etiam perfectione; In creaturis verò iste ordo est oppositus, ut dicit philosophus, hic nono metaphysicę; Quę sunt priora generatione sunt posteriora perfectione, quia tunc verificatur ista propositio, quando illa priora, & posteriora concurrunt in eodem, & non in diversis numero, quia tunc si potentia est

in

in uno, & actus in alio; & actus, ut dictum est supra, cum sit prior generatione, quam ipsa potentia, erit etiam sicut de facto est prior perfectione, quia, & generatione,& perfectione actus est prior potentia in diversis numero, ergo ad hoc, quòd sit vera illa propositio, priora, & posteriora debent concurrere in eodem supposito numero, & etiam in eodem genere esse debent substantiali, videlicèt, vel accidentali; Nam substantia illa, quæ prius origine generatur, est imperfectior; illa verò, quę ultimò generatur est perfectior, sed si sunt in diverso genere, non oportet, quòd illa, quæ sunt priora generatione, sint posteriora perfectione; Nam substantia prius generatione generatur, quàm accidens, & tamen substantia est perfectior accidente.

CONCLUSIO IX. Actio dividitur in transeuntem, & immanentem; actio fundatur in agente, tamquam in subjecto, hæ duæ conclusiones explicandæ sunt in physicis, sed si vultis illas melius explicatas, consulite Trombetam in metaphysica *lib.9. quæst.* 1. & 2., qui valdè subtiliter illas explicat.

Finis Libri Noni.



In Decimum librum Metaphyficę Ariftotelis fecundùm intentionem fubtiliffimi Doctoris Conclufiones utiliffimę probantur.

Text. *Dictum eft prius, quòd unum, &c.* Hic repetit philofophus, quæ dixerat *lib. 5. cap. 6.* de uno, quòd femper annumeravit inter præcipuam proprietatem entis, omnia tamen, quæ ad unum pertinent, dicta funt à nobis *lib. 4.* metaphyficæ.

Text. *Maximè verò in eo, quòd eft metrum effe primum*; Ideft, an primum in uno quoque genere fit menfura cæterorum, quòd affirmat Ariftoteles in principio cap., & quomodo unum fit principium numeri quæ Conclufiones propriè fpectant ad tractatum de quantitate.

Text.

Text. *Secundùm ſubſtantiam verò, & naturam quærendum, &c.* Hic philoſophus proſequitur eandem materiam;ad plus quæri poteſt hic,an ſcientia ex rebus, vel res ex ſcientia menſurentur; Ariſtoteles affirmat, quòd res ex ſcientia menſurantur, patet in text. ubi ait; At ſcientiam quoque, & ſenſum menſuram rerum dicimus eſſe.

Text. *Opponuntur autem unum, & multa, &c.* Ideſt, unum non eſſe ſubſtantiam à rebus, & individuis ſeparatam; & quæri ſolet; an detur unum ens primum, quòd ſit menſura cæterorum, vel una ſubſtantia, quæ ſit menſura aliarum ſubſtantiarum, quæ ſic abſtracta non habeat aliam naturam, niſi unitatem, ut dicebat Plato, & concludit philoſophus, quod ſicut in coloribus, datur unus primus color, ita in ſubſtantiis una ſubſtantia, quæ non eſt aliquid ſeparatum; Undè quærunt Expoſitores, quę ſit hæc ſubſtantia una; Scotus hic 10. Metaphyſicæ, & Antonius Andreę ibidem, quæſt. 1. dicunt non eſſe Deum, ſed primam intelligentiam, quia hæc eſt in genere ſubſtantiæ, non verò Deus, contra Averroem, & Alexandrum.

Text. *Quoniam autem differre contingit*; Ideſt agit de oppoſitione inter unum, & multa; ſic etiam in cap. 6. de contrarietate, quæ res parum difficilis eſt, & ad Diolecticam pertinent omnia, quę dicit, uſq; ad capitulum duodecimum incluſivè; ſit ergo.

CON-

CONCLUSIO I.



Icèt Commentator videatur dicere, hic, Deum esse substantiam illam unam, quę est metrum, & mensura omnium substantiarum, ratione suę simplicissimæ unitatis; *verba Scoti in 1.dist. 8. q. 3. §. ad arg. pro 2. opin. lit. X*. Sed revera, vel Commentator non habet intentionem philosophi, qui hic 10. Metaphysicæ, quærit an in substantiis sit aliquod unum, quòd sit mensura aliorum, & hoc sit ipsum unum, & contra Platonē arguit, quod non sit ipsum unum, sed aliquod, cui unitas talis conveniat, sic, & in omnibus generibus. Plato, enim volebat, quòd Idea, quàm ipse in concavo lunę ponebat erat illud unum, quòd erat mensura cæterorum, quæ Idea pluries in Metaphysica reperitur impugnata à philosopho; & sic Commentator non habuit mentem philosophi, quia, si primus motor esset talis mensura, ergo sicut in aliis generibus, primum est aliquod illius generis, ita primus motor esset aliquod de genere substantiæ, quòd est erroneum, quia Deus non cadit in genere, propter suam infinitatem; vel dicendum, quòd Commentator voluit dicere, quòd primus motor est metrum, & mensura omnium, ideft mensura quidditativa, seù, perfectionalis extrinseca, sed non intrinseca, ergo, aliqua alia substantia illius generis est prima, cui convenit unitas, V. G. natura primi, & supremi an-

angeli erit in genere substantiæ mensura intrinseca omnium entium in ente. *Vide Scotum in 1. dist. 8. quæst. 3., §. ad arg.*

CONCLUSIO II. Unum, & multa opponuntur, dummodo accipiatur unum completè, secundùm propriam formam, secùs verò est si accipiatur incompletè, &, ut pars materialis ipsius multitudinis, quia, ut sic est principium numeri constitutivum, & sic non opponitur, Unde doctissimus Bonetus in prædicamentis, sequens philosophum in eodem loco docet, quòd ens dividitur in unum, & multa, & quòd unum dicitur quinque modis, primò pro unitate transcendentali, & sic omnia, de quibus ens transcendenter dicitur univocè, sunt unum ista unitate; secundò dicitur unum unitate generica generalissima, & sic omnia unius prædicamenti sunt unum ista unitate; tertiò dicitur unum unitate speciei subalternæ, & sic omnia, quæ continentur sub eadem specie subalterna dicuntur unum ista unitate; quartò dicitur unum unitate speciei specialissimæ, & sic omnia ejusdem speciei specialissimæ sunt unum ista unitate; quintò dicitur unum unitate numerali, undè, quanto unitas est superior, tantò est minor, secundùm Scotum in multis locis, quapropter major unitas, infert minorem, sed non minor majorem, licèt stet cum ea: multa verò capitur tot modis, quot unum, ut de se patet quia tot modis dicitur unum oppositorum, quot modis dicitur, & reliquum; & sic unum, & multa opponuntur. CON-

CONCLUSIO III. Divisibile, pluralitas, & multitudo, idem enim sunt, & sic multitudo cum sit nobis sensibilior, & manifestior, secundùm rationem concipientem, quo ad nos, est prior, & notior unitate indivisibili, quæ cum sit insensibilior, quòd ad nos est posterior, & ignotior, licèt, secundùm naturam, & simpliciter unitas sit prior, & notior multitudine, quatenus est principium, & mensura numeri, seù multitudinis, mensura, enim est prior mensurato, & principium principiato.

CONCLUSIO IV. Possibilis est transmutatio, sicut ab habitu ad privationem, ita à privatione ad habitum, naturaliter loquendo de privatione imperfecta, quæ respicit subjectum privatum immediatè, ut est tenebra respectu aeris, & privatio materiæ, non autem loquendo de privatione perfecta, quæ respicit subjectum mediante forma, ut cecitas mediante visione, respicit oculos, & mors mediante vita respicit corpus; privatio prius dicta præcedit habitum, vel saltem potest præcedere; privatio verò posterius dicta, est in illo posterior, & quò ad esse, & quò ad cognosci, illa vero tantù n cognitione posterior.

CONCLUSIO V. Media contrariorum sunt ita simplicia, sicut extrema, nec media sunt composita ex extremis, nec unum magis participat unum extremorum, quàm aliud medium, sed benè sunt composita, pro ut hic 10. Metaphysicę dicit Aristoteles compositione, quę est quædam con-

convenientia, quam habent media cum extremis, magis enim media cum extremis, quàm extrema ad invicem conveniunt, & hoc modo dicuntur composita ex extremis, & qua unum mediorum magis convenit cum uno extremorum, quàm aliud medium, ideò unum medium magis dicitur participare unum extremum, quam aliud.

CONCLUSIO VI. Repugnantia, quæ est inter formas substantiales, non est repugnantia contrarietatis, sed disparationis, vel si est contrarietatis, non tamen stricto modo acceptæ, sed largo modo, vel est repugnantia contrarietatis virtualis, sed non formalis.


CONCLUSIO VII. Corruptibile, & incorruptibile differunt genere physico, seù subiicibili, seù transmutabili, quòd est ipsa materia prima; Nam dicit hic 10. metaphysicę philosophus; genera differunt, supple physico, illa, quorum non est communis materia, & per contrarium, illa sunt ejusdem generis physici, quorum communis est materia vicissim transmutabilis, sed incorruptibile, secundùm philosophum, non habet materiam, ut Cælum, & intelligentiæ, vel si habet illam, non est ejusdem rationis cum nostra, ad hunc sensum, videlicet, quia natura est materia transmutabilis ad esse simpliciter, & pro ut est altera pars compositi, illa verò est ipsamet essentia simplex, tantùm metaphysicè composita ex genere, & differentia, transmutabilis tamen ad esse, secundùm quid; Materia enim nostra transmu-

mutatur de una forma substantiali ad aliam, quæ dat esse simpliciter; Materia verò Cæli, secundùm philosophum est transmutabilis de uno ad aliud ubi, de lumine ad privationem luminis, sic etiam intelligentiç, de uno loco ad alium, de una notitia ad aliam, quç omnia dicunt, & dant esse, secundùm quid, sed non differunt genere logico, seù prædicabili, quia sic conveniunt in genere substantiæ, circumscripta, tamen prima intelligentia, quæ ratione suç infinitatis, & illimitationis est extra genus, incorruptibile igitur finitum, limitatum, & causatum, licèt differat in genere physico à corruptibili, non tamen in genere logico.

Finis Libri Decimi.



In



In undecimum librum Metaphysicę Aristotelis secundùm intentionem subtilissimi Doctoris Conclusiones utilissimę probantur.

Text. *Quòd quidem igitur sapientia circa principia scientia &c.*

Text. *Ad huc utrum oportet poni aliquid præter singularia &c.* In istis duobus capitibus, immò in toto hoc libro undecimo, nihil novum docet Aristoteles, sed reddit in summam, quæ in superioribus libris tradiderat, adjungens multa, ex iis, quę docuerat in libris physicorum, ita communiter omnes interpræ:es.

Text. *Quoniam autem philosophi scientia est entis in quantum ens universaliter &c.*

Text. *Est autem quoddam in entibus principium circa, quòd non est mentiri &c.*

Text. *Solvetur autem utique hujusmodi dubitatio con-*

considerantibus, undè venit principium &c.

In istis tribus capitibus resumit illa, quæ in toto libro 4. tradit latissimè, nimirum de objecto hujus scientiæ, de anologia entis, & nos cum ipso diximus libro 4. & 6.

Text. *Omnis autem scientia quærit aliqua principia &c.* Hic philosophus attingit illam divisionem scientiæ in speculativam, & practicam, ut diximus in primo metaphysicæ practicam, postea, hic dividit in factivam, seù mechanicam, & activam, seù moralem; speculativam dividit in Physicam, mathematicam, & metaphysicam, & hic possunt esse difficultates, an metaphysica sibi subalternat alias scientias; an metaphysica verò possit probare entia immobilia, & mobilia; An inter mathematicam, & physicam dentur aliæ scientię mediæ.

Text. *Quoniam autem simpliciter ens, secundùm plures dicitur modos*. Hic Aristoteles repetit, quæ docuerat lib. 6. metaphysicę: quòd ens per accidens, non pertinet ad scientiam hanc metaphysicę, & recolligit ea, quæ dixit de effictibus contingentibus, de fortuna, & casu &c. Ex dicendis in physicis.

Text. *Est autem quidem hic actu solum, hoc autem potentia &c.* Hic investigat definitionem motus, & quomodo comparetur ad mobile, & moventem, ad actionem, & passionem, ex dicendis in libris physicorum.

Text. *Infinitum autem, aut quòd impossibile pertran-*

transire &c. Hic philoſophus agit de infinito, quòd ex dicendis in 3. phyſicorum non datur in actu, ſed ſolùm in potentia in quantitate continua, vel diſcreta; Quomodo autem intelligitur Ariſtoteles ij. metaphyſicę, quòd infinitum non eſt ſeparabile à ſenſibilibus in ultima Concluſione &c.

CONCLUSIO I.



Cientia metaphyſicę non ſubalternat alias ſcientias; Ratio eſt, quia ſubjecta aliarum ſcientiarum non addunt ad ſubjectum metaphyſicę differentiam accidentalem; Sed potius eſſentialem, ut de ſe patet. Tum quia alię ſcientię non accipiunt principia ſua ſpecialia, & evidentiam ipſorum à metaphyſica. Ratio eſt, quia unaquęque ſcientia maximè naturalis, ut mathematica habet propria principia immediata, & per ſe nota in ſuo proprio genere, ex conceptu terminorum conceptorum in talibus ſcientiis, undè licèt aliquod principium in metaphyſica, quòd geometer tantùm confusè cognoſcit, poſſit perfectiùs, & diſtinctiùs cognoſci à metaphyſico, cujus eſt cognoſcere omnes quidditates diſtinctè, tamen illud principium eſt immediatum, & per ſe notum geometro, neque probatur per illud principium metaphyſici, ſed ex conceptu confuſo

terminorum sit geometro Conclusio evidenter vera, sed quandiù scientia non recipit evidentiam suorum principiorum, ab alia scientia, non subalternatur illi, ergo mathematica, & naturalis, non subalternantur metaphysicę; Quamvis ab Aristotele in textu vocentur partes metaphysi ę, idest scientię speciales, seù particulares conceptę sub communissima, quę conditio sola non sufficit ad subalternationem scientiarum, sed plures requiruntur; In mathematica, enim sunt principia multa per se nota sibi; sic etiam, & in scientia naturali, quorum evidentia non est à metaphysica, sicut sunt istę in scientia naturali, plura entia sunt, motus est, natura est, & multa alia, quæ sunt de se evidentia, & per se nota.

CONCLUSIO II. Metaphysicus licèt possit probare entia immobilia esse, sicut in libro 12. patebit, non tamen entia mobilia, ratio est, quia ista passio specialis, scilicèt mobilitas, non includitur propter quid, & virtualiter, in subjecto metaphysicę, nec principia illius passionis adęquatè sic virtualiter includuntur in illo; & ideò, ex principiis sumptis ab ente, non potest demonstrare passionem specialem hujus entis specialis, quòd est corpus naturale; entia verò immobilia, benè potest demonstrare per principia sumpta ab ente immediatè, quia per proprietates, & passiones entis. Tum, quia ens immobile pertinet ad considerationem metaphysici, ex eò, quòd est principium, & causa subjecti primi metaphysicę, sci-

ſcilicèt entis, in quantum ens eſt; ut dictum eſt in 6. libro, vel pro quanto eſt prima, & principaliſſima pars ſubjectiva entis, in quantum ens eſt, quòd non poteſt dici de ente mobili, cum ſit pars ſubjectiva entis valdè remota, & non ſit principium illius; Tum, etiam, quia Deus, licèt ſit cauſa omnium effectuum naturalium, quia tamen non eſt eorum cauſa totalis, & adæquata, ideò non ſequitur metaphyſica poſſe probare effectum naturalem eſſe, probando Deum eſſe. Tum, etiam, quia metaphyſicus non conſiderat Deum, ut eſt cauſa effectiva effectuum naturalium, in quantùm naturales, ſed præcisè in quantum entia ſunt.

CONCLUSIO III. Inter mathematicam, & phyſicam dantur ſcientiæ mediæ, ſcilicèt, proſpectiva, muſica, & Aſtrologia, & habent omnes iſtæ diverſum modum conſiderandi, & definiendi; ſcientia enim purè mathematica conſiderat quãtitatem, ſimpliciter, & abſolutè abſtractam à qualitate ſenſibili; Nam Geometria, & Arithmetica conſiderant quantitatem, ſivè continuam, ſive diſcretam, abſtrahendo à qualitatibus ſenſibilibus; ſcientia verò naturalis conſiderat per ſe, & directè qualitates ſenſibiles in quantitate, ſivè continua, ſivè diſcreta; Itaque per ſe primò conſiderat qualitates ſenſibiles, & principia earum, cum per ſe primò conſideret corpus naturale, ut includit principia hujuſmodi qualitatum, quæ ſunt materia, ut eſt principium potentiale, & mobile, & forma, ut principium operationis, & mo-


tus, quantitates autem in quibus sunt hujusmodi qualitates considerat secundariò, & indirectè, & non nisi in habitudine ad motum; scientiæ verò medię non considerant quantitatem absolutè, nec qualitates sensibiles in quantitate, aut principia ipsarum, primaria intentione, sed è converso, quantitatem in qualitate sensibili considerat primaria intentione, ita, quòd intentio earum per se, & primò fertur super quantitatem, secundariò super qualitatem sensibilem, & è converso est in scientia naturali; Nam per se, & primò fertur super qualitatem sensibilem, secundariò super quantitatem, ex quo sequitur, quòd scientię medię conveniunt in aliquo cum mathematica, & naturali, & in aliquo ab illis differunt, sed magis conveniunt cum mathematica, quàm cum naturali, quia principaliter considerant quantitatem, & non qualitates sensibiles, ex quo sequitur, quòd scientię medię magis sunt de genere scientiarum mathematicalium, quàm naturalium, & illis magis subalternantur; licèt secundùm Aristotelem in textu sint propinquiores naturali, & magis cum ipsa conveniunt, quàm cum mathematica pura, & quamvis prospectiva consideret lineam mathematicam, non tamen purè mathematicè, sed in quantùm physicè applicando illam ad materiam sensibilem, & sic consideratio ejus de linea, est mixta, ex duabus considerationibus, principalius tamen consideratione mathematica, quàm physica.

CON-

CONCLUSIO IV. Infinitum non eſt ſeparabile à ſenſibilibus, hæc authoritas Ariſtotelis intelligitur ſic, quia infinitum in potentia, quod eſt ipſa quantitas cum ſit accidens non ſeparatur à ſubſtantia ſenſibili, & ideo infinitum non eſt ſeparabile, ſic, licèt dicat etiam philoſophus hic 11. Metaphyſicę, infinitum non eſſe in ſenſibilibus, id enim intelligitur de infinito in actu,

Finis Libri Vndecimi.





In duodecimum librum Metaphysicę Aristotelis secundùm intentionem subtilissimi Doctoris Conclusiones utilissimę probantur.

Iste liber sic rescribitur, liber undecimus super duodecimo Aristotelis primæ Phylosophiæ; Nam ut ait Albertus Magnus, hunc librum duodecimum esse secundum tractatum libri undecimi, quia Aristoteles non scripsit super duodecimum, sicut nec Commentator, ideò in in primis quinque capitibus repetit Aristoteles, & in summam redigit illa, quæ superius lib. 7. de substantia, & principiis ejus tractaverat, & multa, quæ in primo physicorum docuerat.

Text. *De substantia quidem, &c.* Hìc Aristoteles proponit Metaphysicam scientiam, primò, ac præcipuè disputare de substantiis, quæ res est per

per se perspicua, & sępissimè à philosopho repetita; potest esse hic gravis difficultas, an ens, quòd dividitur per finitum, & infinitum, per substantiam, & accidens contrahatur per differentias, an per modos, resolutio infra patebit.

Text. *Tres verò sunt causæ, & tria principia, &c.* Post divisionem substantiæ in sensibilem, & separabilem, seù insensibilem, & incorruptibilem, & æternam, proponit, hic tria principia rei naturalis, seù substantiæ sensibilis, & probat dari materiam omnibus corporibus communem, non tamen eandem, ex dicendis in 1. physicorum; Hic potest esse difficultas, an secundùm Aristotelem possibilis sit Creatio, resolutio habetur infra, & an omnes substantiæ immateriales sint immobiles, sed resolutiones tactæ sunt in 3. libro hujus Metaphysicæ.

Text. *Quæ quidem principia sensibilium, & quot, & quomodo, &c.* Hic philosophus ostendit præter materiam necessarias esse formas non separatas, ut ponebat Plato, sed informantes materiam, quæ formæ, licèt non generentur propriè, sed composita ex formis, & materia, non tamen sunt antea, quam generatio fiat, ut tactum est in 2. Metaphysicæ, & etiam in 7. modo in textu possunt esse graves difficultates, quot sunt gradus in similitudine, & in generatione univoca, & quando est vera similitudo in forma, inter generans, & genitum, de qua similitudine, resolutio erit infra; alia difficultas,

quod quamvis forma non sit ante generationem, quæritur, an saltem post corruptionem totius maneat; de forma animæ intellectivæ nulla potest esse difficultas, de cæteris ait philosophus fortasse id impossibile est, videatur sapientissimus *Ferchius in lib. Vestig.*, *& Defens.*

In capit. 4. Aristoteles docet tria principia jàm posita esse eadem, secundùm anologiam, & proportionem in omnibus generibus accidentium, quia in omnibus possunt considerari, potentia, seù subjectum, forma, seù ipsum accidens; sic etiam in cap. 5. ostendit esse eadem principia omnium rerum, vel, quia substantiæ sunt causæ omnium accidentium, & ita principia substantiarum sunt principia aliquorum entium, vel, quia inter substantias, quædam sunt primæ, & causæ cæterorum, ut cælestia corpora, &c.

In cap. 6., declarat præter naturales substantias dari aliquam substantiam perpetuam, & immobilem, & hic oritur difficultas, an ostendere hujusmodi substantias esse, sit muneris physici, an metaphysici, & an illa perpetua substantia, non sit potentia, sed actus, quia perpetuò movet, & an primus motor sit semper in actu movendi, an moveat ex necessitate, vel libertate, & an Deus sit infiniti vigoris, secundùm philosophum, resolutiones patebunt infra, & quæ philosophus docet hic in 12. Metaphysicæ de actu, & potentia, notata sunt lib. nono Metaphysicæ.

In

In cap.7. explicat multa attributa primi motoris, an ex motu cæli sufficienter colligatur unus primus motor immobilis, an primus motor moveat cælum solum ut finis, vel, etiam, ut efficiens; an primus motor moveat primum orbem, mediante alia intelligentia, vel per se ipsum; an moveat ex necessitate naturæ, an potius ex præconcepto fine, & an Deus, sicut est omnium principium, ita sit optimum, & pulcherrimum omnium entium, taliter, quòd citra primam intelligentiam, omne aliud est causatum.

In cap. 8. agit de numero substantiarum separatarum, probat enim ex numero cælorum mobilium, numerum substantiarum immaterialium moventium, & colligit ordinem, & proprietates earum ex ordine cælorum mobilium, declarando modum, quo causantur intelligentiæ, & etiam de pluralitate intelligentiarum: sit ergo.

CONCLUSIO I.



Quatuor sunt gradus in similitudine, & generatione univoca; *Scotus quæst. 5. prologi GG.* Primus est perfectissimus, scilicet, quando similitudo est inter generans, & genitum in forma specifica, & in modo essendi illius formæ, sic homo generat homi-

minem; Secundus gradus aliquantulum deficit à primo, scilicet, quando est similitudo in forma, non autem in modo essendi formæ, sic artifex producit arcam, nam licèt forma arcę sit in utroque, tamen in artifice existit, secundùm modum intentionalem, in arca verò, secundùm modum realem. Tertius gradus est, quando est similitudo in forma, non secundùm speciem specialissimam; sed secundùm aliquod communius, ut cum equus generat mulum, in quibus est fortè genus aliquod commune, puta jumentum, vel aliquod tale, in quo conveniunt equus, & mulus. Quartus gradus quando est tantùm similitudo virtualis, & nullo modo formalis, ut Sol generans ranam, vel calorem, & talis univocatio, & similitudo est impropriissimè dicta, secundùm quid; Ex his concludo, quòd omnis productio est univoca; sed non omnis est sic, in eodem gradu, quia aliqua productio est univoca, secundùm unum gradum, quæ tamen erit æquivoca, secundùm alium gradum, in quantùm deficit ab alio; Cujus ratio est, quia quando inter duo extrema ponuntur plura media, quantò medium recedit ab uno extremo, tantò accedit ad aliud; nunc autem univocatio, & æquivocatio strictè sumpta, sunt quædam extrema, inter quæ cadunt prædicti gradus univocationis, & media, &, ideo, quantò aliquis gradus recedit ab univocatione strictè sumpta, quæ est secundùm primum gradum, tantò accedit ad æquivocationem, quæ est, secundùm ultimum

gra-

gradum; & ideo generatio muli ex equuo, poteſt dici ęquivoca, ſi comparetur ad generationem hominis ex homine; poteſt, etiam dici univoca, ſi comparetur ad generationem plantę, ex virtute Solis, omnis igitur productio cujuſcunque formę eſt univoca, ſecundùm philoſophum, hic 12. Metaphyſicæ, accipiendo univocationem largè, ſecundùm aliquem gradum prædictorum, accipiendo verò illam ſtrictè non omnis eſt productio univoca, & ſic intelligitur philoſophus.

CONCLUSIO II. In quolibet vivente, præter formam animati, eſt alia forma corporis, & mixti, & præter has, quæ ſunt communes toti animali, ſunt alię formæ partiales, ſpecie diſtinctę, tot, quot organa diſtincta, ſic Scotus 7. Metaphyſicæ quæſt. 16., & addit Scotus, quòd hæc opinio eſt ſubtilis, & illa opinio, quæ ponit tantum unam formam ſubſtantialem in eodem compoſito eſt groſſa, quia ſenſui conſona. Probatur contra Thomiſtas. Formalis diſtinctio organicarum partium animalis, eſt propter plures formas ſubſtantiales, realiter, ſivè ſpecificè diſtinctas, ergo pr., nam una forma mixti numero, non poteſt informare materiam diſpoſitam contrariis, & repugnantibus mixtionibus, ſed in corpore animalis ſunt tales mixtiones, ex Ariſtotele 1. de anima ergo, &c. patet, quia cerebrum eſt frigidum, & cor calidum; tum, quia, pars aliqua animalis poteſt ſeparari ab animali, ſine generatione, ſed non manet in actu poſt ſeparationem per for-

mam

mam totius,ergo per formam primam,quàm habebat prius,nam non poteſt dici, quòd nova forma generetur, cum talis forma ſubitò producatur; ſed dices, philoſophus 2. de anima, docet, quòd manus abſciſſa, ſivè mortua, eſt manus ęquivocè, ſed hoc non eſſet verum, ſi manus haberet quandam formam propriam, dum ſeparatur ergo, &c. ſed hæc inſtantia nulla eſt,quia manus poteſt conſiderari dupliciter, vel manus, ut manus,vel,ut eſt organum officioſum, ad exercitandum opus vitæ,ſicut eſt de oculo, & aliis; primo modo,manus eſt univocè, quandiù manet ſub forma manus, ſecundo modo manus eſt ęquivocè, quia ſine anima non poteſt exercere opera vitæ,ſicut nec oculus videre, &c., & ita intelligitur philoſophus.

CONCLUSIO III. Nullum ens cui repugnat contrahi per diſtinctã realitatem ab ipſo poteſt eſſe genus;nam omne genus eſt potẽtiale,& perfectibile per differentiam; ſed omne tale perficitur per realitatem, quæ eſt extra rationem formalem ejus, accipiendo extra, tàm formaliter, quàm extra realiter, ideſt, quòd differentia, quæ importat illam realitatem perficientem eſt extra formaliter, ideſt formaliter diſtinguitur à genere, & etiam ipſum genus, quantum eſt ex parte ſui eſt extra realiter ipſam differentiam; ideſt realiter ab ipſa diſtinguitur, & ſi illam identicè includat, hoc eſt ſolùm ratione tertii, in quo genus, & differentia conveniunt, ergo cui repugnat contrahi

per

per talem realitatem,non poteſt eſſe genus,ex quo ſequitur,quòd ens non poteſt eſſe genus,quia ſibi repugnat, ſic contrahi, ens enim, & ſi contrahatur, & determinetur per ſuos modos intrinſecos, non tamen contrahitur per illos, tamquam per diſtinctas realitates, quia modi intrinſeci, non ſunt hujuſmodi, immò ſunt idem realiter, & formaliter,etiam negativè ſaltem, eſtque in potentia ad illos,tantùm metaphyſica,quæ eſt,quòd in ſuo conceptu formali non includit illos, & ſic concipitur ens,quaſi unum ſit extra aliud, ſed hoc non eſt extra realiter, vel formaliter, & ſic poteſt ab ipſis determinari. Tum, quia eſt indifferens ad finitum, & infinitum, & ex ratione ſuæ infinitatis permiſſivè, ſeù in potentia habet, unde includat per identitatem quidquid contrahit ipſum, & etiam ex ſua maxima illimitatione hoc idem habet,&,etiam, ſecundùm hanc infinitatem, quæ eſt intenſiva, ens eſt ſimpliciter perfectum, & nullo modo limitatum, & conſequenter,non poteſt perfici per aliud à ſe, quia, tunc infinitum excederetur ab alio, ſicut genus exceditur à differentia, quatenus eſt alia à genere.

CONCLUSIO IV. Sola infinitas intenſiva, quæ facit illud cujus eſt talis infinitas eſſe perfectum ſimpliciter,excludit rationem generis,non autem infinitas extenſiva,quia ſi linea poſſet eſſe infinita in actu extenſivè, adhùc eſſet in genere; quia non ſequitur, hæc eſt perfectiſſima albedo, ergo perfectiſſimum ens ſimpliciter, & ſimiliter

de

de quantitate; nunquàm enim ad summum in inferiori, sequitur summum in superiori, seù universali, nisi illud sit perfectissimum contentum sub illo universali, ait philosophus; quantitas autem, & albedo, non sunt perfectissima contenta sub ente, ergo non excludunt potentialitatem respectu alicujus actus perfectivi ipsorum, & per consequens posset esse in genere.

CONCLUSIO V. Potentia activa est duplex, quædam est productiva simpliciter abstracta à ratione mutationis, & motus, quædam est potentia activa transmutativa, quæ est principium productivum per motum, & mutationem; de prima potentia productiva simpliciter, facit mentionem Aristoteles in 8. Metaphysicę, ubi vult, quòd potentia activa simpliciter, dicitur in pluribus, quàm aliqua eorum, quæ dicuntur secundùm motum; ubi Averroes Commentator habet, quòd potentia, scilicèt productiva, & actus, scilicet productus, dicuntur in pluribus, quàm in rebus transmutabilibus; de ista potentia productiva, facit mentionem Avicenda 9. Metaphysicæ, ubi habet, quòd intelligentia superior causat intelligentiam inferiorem per simplicem emanationem, & productionem, cum quo concordat Aristoteles in hoc 12. Metaphysicæ text. Comm. 36., ubi vult, quòd prima intelligentia movet secundam ad actum appetendi, & intelligendi, & per consequens causat talem actum, qui secundùm ipsum Aristotelem, cum sit substantia secun-

dæ

dæ intelligentiæ, causat substantiam ejus, & hoc per simplicem productionem, quia ibi non subicitur aliquod subjectum, & consequenter illi non est transmutatio,

CONCLUSIO VI. Quatuor causæ possunt considerari duobus modis, uno modo metaphysicè, alio modo naturaliter seù physicè, primo modo considerantur quatuor genera causarum, ut dant esse, circumscribendo motum, & mutationem, ut efficiens, consideratur, V.G. à metaphysico in quantum est producens, & non transmutans; ratio enim productionis, & transmutationis in efficiente sunt diversæ, & respiciunt diversa, quia transmutatio est actus mutabilis in quantùm mutabile est, & ita respicit subjectum mutatum; productio autem est actus productus, & ita respicit ipsum productum, modo terminus productus, sivè formalis, sivè totalis distinguitur realiter à subjecto mutato, ergo etiam istæ duæ rationes, scilicèt productio, & transmutatio sunt simpliciter diversæ, & à se invicem separabiles; unde ratio dantis esse, sivè intrinsecè, sivè extrinsecè, seù ratio producentis est prior, & communior, ratione transmutantis, ut supradictum est, ideò efficiens in quantùm producens maximè consideratur à metaphysico, quia rationes communes, & universales, maximè abstrahentes à motu, & mutatione habent considerari à metaphysico; licèt efficiens, in quantùm transmutans consideretur à physico, seù naturali, & ut sic diffinitur

tur ab Aristotele multis in locis, efficiens est principium undè motus,& quietis.

CONCLUSIO VII. Similiter causa finalis, potest considerari, uno modo, ut attingitur per operationem, & motum; alio modo,ut est illa ad quam, secundùm esse; agens, seù efficiens, secundùm essentiam suam ordinatur, licèt non possit attingere efficiens finem suum, nisi mediante operatione, & motu, tamen prior est ratio ipsius finis, in quantùm est illud, ad quòd res ordinatur, secundùm esse suum, quàm sit illud, ad quod ordinatur eadem res, secundùm operationem, & motum, & sicut esse rei, idest efficientis est priùs motu ordine naturę,& operatione ipsius,ita,etiam ordo efficientis, secundùm esse pręcedit ordine naturę ordinem efficientis, secundùm motum, & operationem, &, ut sic finis in isto priori habet considerari à metaphysico; similiter materia, & forma considerantur à metaphysico, in quantùm sunt principia intrinseca entis,& quidditatis, in quantùm sunt partes essentiales compositi substantialis, sed ut dant esse intrinsecè per motum, & mutationem, sunt de consideratione physici,& licèt dicat Commentator 1. physicorum Comment. 1., quòd metaphysicus considerat tantùm de tribus causis, scilicèt de motore, idest de efficiente, forma, & fine, & sic non de materia, & quòd naturalis considerat de omnibus causis,non est tamen hoc simpliciter intelligendum, sic enim Commentator voluit dicere, quòd tres causæ

tan-

tantùm appropriantur metaphysico, & ab eò appropriatè considerantur, quę sunt efficiens, forma, & finis, materia verò non appropriatur metaphysico; ratio est, quia metaphysicus omninò abstrahit à motu, & mutatione; modò istæ tres causę, non ita concernunt motum, & mutationem, sicut materia, quia motus est actus, & perfectio materię, & definitur per ipsam, quę est principium primum potentiale, & mobile, & ut sic materia, non appropriatur metaphysico, hoc autem non obstante, adhùc materia consideratur à metaphysico; idque apparet de mente Commentatoris in 2. physicorum Comm. 2. ubi vult, quòd consideratio de materia in ordine ad formam, sit consideratio naturalis, sed in quantùm est unum entium, & ut est pars subjectiva entis, ut est pars essentię compositi, est consideratio primę phylosophię, &, ut sic abstrahit à motu, & mutatione, quia, sicut ens, quòd primò considerat metaphysicus abstrahit à motu, ita, & quodlibet ens in quantum cadit sub consideratione ejusdem.

CONCLUSIO VIII. Metaphysicus potest probare substantias separatas esse; patet, & probatur; Nam illa demonstratio est metaphysica, per quam demonstratur aliqua conclusio, per aliquod medium abstractum à motu, & mutatione, quòd est certius, & evidentius Conclusione illata; sed substantias separatas esse possunt demostrari per tale medium sic abstractum, ergo illa demostratio est metaphysica; maior est nota; minor

probatur; Quia per rationem effectibilis, in quantum effectibile est, per rationem dependentis, in quantum dependens, per rationem multitudinis entium; per rationem compositionis, per rationem contigentię; per rationem finiti in quantùm finitum est, & sic de aliis passionibus entis, quas impossibile est in esse entibus, nisi à causis talium entium, quę sunt substantię abstractę, ergo per illas potest demonstrari de substantiis abstractis, quòd sunt; sed effectibile in quantum effectibile, non includit motum, & mutationem essentialiter, & per se, sed solum per accidens, quia si sic, omne effectibile esset transmutabile, cujus oppositum visum est supra, ergo tale medium, quòd sumitur ex effectibilitate est purum metaphysicum, & naturale, seù physicum; similiter tale medium est evidentius intellectui, quàm Conclusio illata, quia evidentius est apud intellectum, quòd aliquod sit effectibile, secundùm productionem, quam, quòd substantia separata sit, &, quòd dictum est de effectibili, dicatur, etiam de dependente, quia dependentia pręscindit à motu, & mutatione, & licèt intellectus dependeat à sensibili naturali, quò ad notitiam simplicem terminorum, non tamen, quo ad notitiam complexam principiorum, & Conclusionum deductarum ex principiis, pręsupposito verò fundamento à multis concesso, maximè à Scoto, quòd omnes passiones entis, sivè simplices, sivè disjunctę, non habeant media, per quę demonstrantur de ente, quòd sit definitio earum,

& simi-

& similiter ens, & sic tales passiones sunt per se notę de ente, itaque intellectus appręhensis terminis lumine naturali assentitur unioni prędicati ad subjectum, tamquàm ad principia ex hoc fundamento arguitur sic, per se notum est apud intellectum per habitum metaphysicum, quòd aliquod ens est effectibile, & consequenter quòd aliquod ens est effectivum, tunc ex hoc principio metaphysico evidenti arguitur, sic; Tale effectivum, aut est effectivum à se, aut ab alio, si à se, ergo est primum principium, & primum ens; si ab alio, quęro de illo, & cum non sic processus in infinitum in ordine essentiali effectivorum, deveniendum est ad aliquod unum, quòd est effectivum, simpliciter ineffectibile, scilicèt, quòd non est effectivum virtute alterius; ista tota ratio procedit ex principiis, & ex terminis metaphysicalibus; Similiter potest argui sic: Multitudo entium causatorum dependet ab unitate entis causantis, & ne detur processus in infinitum, illud unum ens est causans, & incausabile, sic, etiam dependens ab independente dependet, contingens à necessario, compositum à simplici, finitum ab infinito; potentia ab actu; & sic de singulis passionibus entis, ergo per hęc media, & per alia, potest metaphysicus demonstrare dari substantiam unam independentem, simplicem, necesse esse, infinitam ineffectibilem &c. Quia omne imperfectum reducitur ad perfectum, tamquàm ad suam causam ęquivocam perfectiorem, quia, quidquid inest ef-

fectui per suam causam inest, & sicut ab illa habet esse, ergo omnem perfectionem, & proprietatem.

CONCLUSIO IX. Addit Scotus in prologo sent. 1 quęstione de subjecto, quòd multò perfectiùs, sed non multò efficaciùs metaphysicus ostendit primam causam esse ex passionibus metaphysicalibus causatorum, quàm ex passionibus physicis, scilicèt; ex motu, quia passiones metaphysicę ostendunt perfectiora prędicata de prima substantia, quàm physica, quia physica, solùm primam causam esse moventem ostendit, sed metaphysica ostendit primam causam, esse necesse esse, primum ens &c. Sed perfectior, & immediatior de primo ente, est cognoscere, quòd sit primum ens, necesse esse, quàm, quòd sit primum movens; probatur; Tum, quia conceptus primi entis est absolutus, & conceptus primi moventis est respectiuus, sed conceptus absolutus est perfectior respectivo, ergo &c. Tum, quia conceptus primi entis competit Deo ex se, & per propriam naturam, conceptus primi moventis competit Deo ex alio, & extrinsecè, idest ex mobili moto, ergo &c. Cum hoc tamen stat, quòd physica efficaciùs, & evidentiùs ostendit si est de prima substantia, quàm metaphysica, quia per medium notius, & sensibilius, scilicèt per rationem motus, qui est notissimus quò ad nos, quamvis medium metaphysicum sit primum quò ad naturam simpliciter esse, nam omnem motum pręcedit, sic enim ostendit physica, omne, quòd movetur ab

alio

alio movetur, sed non datur processus in infinitum, ergo &c. Sed metaphysica supponit tamquàm probatum dari primum movens, & nullo modo se ingerit ad hoc demonstrandum per principia sua, sed tantùm demonstrat illud primum movens esse, primum ens, & primum principium, & licèt sint idem primum principium, primum ens, & primum movens, non tamen metaphysica, vel physica, probando unum, probat, & reliqum, quia, quamvis sint idem realiter, & subjectivè, distinguuntur tamen formaliter, quia stat, quòd aliquod unum sit primum principium, & primum ens, quòd tamen non est primum movens, idest causans realiter primum motum in Cælo, quia ab ęterno fuit primum ens, & tamen non fuit primum movens idque in via theologorum, sed in sententia philosophi, tenentis motum esse ęternum, æternumque motorem, aliter dicendum, sed in hoc, & in aliis, quę repugnant fidei, semper tenenda est sententia theologorum, & nunquàm philosophorum; Probatur, etiam naturaliter, nàm multi concedunt primam intelligentiam esse primum principium finale, & primum ens, & tamen non esse primum movens; assumptum probatur, videlicèt, quòd illa, quę sunt idem realiter, primum ens, & primum movens, probando unum, probatur reliquum, idem enim est homo, animal rationale, & risibile, & tamen si probamus risibile de aliquo homine, non probamus animal rationale de illo &c.

CONCLUSIO X. Metaphysica non probat substantias separatas esse à priori, sed tantùm à posteriori, sicut nec physica, sed tantùm à posteriori, ratio est, quia illæ sunt causæ subjecti primi Metaphysicæ, & sic nihil est prius illis in scientia; Tum, quia sunt partes subjectivæ ejusdem, & per consequens quidquid est evidens de subjecto primo, est evidens, etiam de partibus ejus ergo sicut non fit demonstratio à priori de subjecto, ita non fit de partibus subjectivis; quapropter in hac parte negandus est Averroes, qui contra Aristotelem, & Avicendam tenet tantum ad physicam spectare demonstrare, si est de prima substantia, ex eo, quòd non reperitur alia via efficacior, & evidentior ad hoc demonstrandum, quàm via motus, qui est tantùm de consideratione physica, & quòd metaphysica supponat hoc esse probatum à physica, sed nos ostendimus supra, quòd metaphysica per aliud medium perfectius, licèt non efficaciùs, & evidentiùs, quàm sit medium physicum, probat dari primum ens esse.

CONCLUSIO XI. Deus est infiniti vigoris, idest infinitæ potentiæ secundùm Aristotelem, sic *Scotus in primo dist. 8. quæst. 5., & in quolib. quæst. 7.*, Sed per infinitum vigorem non intelligit Scotus omnipotentiam, eo modo, quo Theologi ponunt omnipotentiam in Deo, quæ est infinita potentia efficiendi quodcunque, etiam immediatè sine causis secundis; tamen omnipotentiam,

tiam, & infinitum in vigore non novit Aristoteles, quia posuit necessarium esse ordinem causarum secundarum, sed per infinitum vigorem intelligit potentiam activam infinitam i[illegible] se, in efficiendo quodcunque, alligatam, tamen causis secundis, ita, quòd, licèt prima intelligentia habeat in se talem infinitatem in actu, tamen illam non exercet per se solùm, idque propter imperfectionem effectuum, propter quàm dantur causæ secundæ, quibus illa potentia infinita est alligata, & imperfectiones effectuum tribuuntur causis secundis; Probat ergo Scotus, quòd sit infiniti vigoris ex Aristotele in 8. physicorum, & in 12. Metaphysicæ; omne illud, quòd movet semper, & à se, habet infinitam potentiam, sed Deus est talis, secundùm Aristotelem, asserentem Deum esse æternum motorem, vel potest esse talis secundùm aliquos Theologos, asserentes non esse impossibile mundum fuisse ab æterno; subsumo, sed, quòd habet infinitam potentiam caret magnitudine, & Deus est infinitæ potentiæ per Aristotelem, ergo caret magnitudine molis, quia ista, vel esset finita, vel infinita, non infinita, quia hæc non datur in actu, ex dicendis in 3. physicorum; nec finita, quia in magnitudine finita non potest esse potentia infinita, ergo caret magnitudine; Itaque vult Aristoteles probare ex eo, quòd primus motor movet semper subintelligendo à se, habet infinitam potentiam, & ex eo, quòd est infinitæ potentiæ, non habet materiam & quantitatem, caret

magnitudine,quia hæc cum sit in actu finita,non potest stare cum potentia infinita; ex istis consequentiis Aristotelis infert Scotus, quòd per infinitam potentiam, non intelligit Aristoteles, tantùm potentiam infinitam in duratione, sed,etiam in virtute,& entitate,nam cęlum est activum, agit enim lumine,calore,& influentia in istis inferioribus; estque infinitum in duratione, & tamen cum tali infinitate,stat,quòd sit quantum,ergo stat infinitas in duratione cum magnitudine finita de facto, sed Aristoteles negat potentiam infinitam posse esse in magnitudine finita, ergo non intelligit de infinitate in duratione tantùm, sed de infinitate in virtute; dicant quicquid velint Adversarii contra Scotum, quia semper malè intelligunt Aristotelem; sed de hac re infra disput. 4. quæst. 2.

CONCLUSIO XII. Deus sivè primus motor, movet mediatè primum mobile;sic Scotus ad mentem Aristotelis in primo dist. 8. quæst. 7. Itaque respectu primi mobilis est duplex motor,unus immediatus,alter mediatus, sicut, & respectu aliorum orbium, scilicèt propria intelligentia,quæ primum mobile movet immediatè,& primus motor, qui movet idem primum mobile mediante propria intelligentia appropriata primo mobili; reliqui verò orbes, etiam habent propriam intelligentiam motricem ultra primum motorem, qui omnibus illis intelligentiis dat esse, & operari, itaque primus motor nullum orbem

bem immediatè movet, sed omnes mediatè. Ratio, quare non movet immediatè hæc est, quia cum sit infinitæ virtutis in movēdo, & agens necessarium, secundùm Aristotelem, moveret in non tempore, quia ageret ad ultimum suæ potentiæ, & sic in instanti, & si non sic ageret, tunc virtus finita posset ei ęquiparari, quòd est falsum, ergo moveret in instanti, sed motus non fit, nisi in tempore, ergo moveret, & non moveret, quòd est falsum, ergo si movet, movet mediatè, & non immediatè; Tum, quia, ille primus motus, qui immediatè procederet ab illa infinita virtute, non esset motus localis, sed tantùm metaphoricus, idest productio intelligentiæ moventis primum mobile immediatè, ideò, ait Aristoteles 12. Metaphysicę, quòd primus motor movet, ut amatus, & desideratus ipsum cęlum, adeoque cum dicit primum motorem movere cęlum; per cęlum intelligit intelligentiam, & orbem, & sic primo mobili assignat unicum motorem; &, quòd hęc sit intentio Aristotelis, probatur, quia Aristoteles in text. 36. 12. Metaphysicę, ait primum motorem movere, ut appetibile, & intelligibile; modo orbis ille, & primum mobile circumscripta intelligentia, non habet intellectum, neque appetitum, & ita non potest moveri ab appetibili, neque ab intelligibili, ergo illud, quòd movetur à primo motore est aggregatum ex intelligentia, & orbe. Tum, quia in calce textus 37., ait, quòd primus motor movet primum mobile, ut amatum, & desid-

ſideratum, cęlum verò, ſivè primum mobile motum reliqua movet, ecce apertè, quòd per primum mobile, & cęlum accipit aggregatum, ex intelligentia,& orbe,& hęc fuit cauſa, per quam Alexander,& alii dixerunt cęlos eſſe animatos, & ideo alios movet orbes, undè inquit cęlum verè motum,alia movet,& movet illos in ratione amati,quia ſemper accipitur aggregatum ex intelligentia,& orbe, movet ergo primus motor omnes orbes, quia movet, ideſt producit intelligentias aſſiſtentes orbibus illis, dicitur appropriatè movere primum mobile, quia cum ab illo cęteri motus pendeant, & ſit nobilius illis, jure, ejus motio tribuitur ipſi primo motori, & ita, quot ſunt orbes,tot ſunt intelligentię, ſi octo, octo; primus motor ſupereſt, eſtque nona intelligentia; quòd, etiam primus motor non ſit appropriatus alicui orbi, ſed ſuper omnia, & omnibus aliis tribuunt vita,patet,ex iis,quæ dixit Ariſtoteles in calce 12. Metaphyſicę; text. 52., ubi illas intelligentias, & mundum comparat familię,in qua alii ſervi ſunt, alii filii, ipſum verò primum motorem comparat patrifamilias, & duci, & principi, non ergo primum ejus munus eſt aliquam ſpheram voluere, ſed prębere virtutem, & potentiam omnibus aliis intelligentiis. Confirmatur, quia nunquàm Ariſtoteles dixit de aliis intelligentiis, quòd moveant in ratione amati, & deſiderati, ſed ſolùm hoc dixit de primo motore, qui non eſt ideò otioſus,ex eo, quòd non moveat motu locali aliquem

quem

quem orbem immediatè; Afferit enim Ariftoteles in 12. Metaphyficę text. Comm. 39., quòd eft vita feliciffima, & , quòd in contemplatione fui beatur,& nullo modo in contemplatione rerum extra feipfum , ne vilefceret intellectus, ejus, & apertè in illo text. 39. ait, quòd in ipfo, idem eft intellectus, intelligens , & intelligibile, & fubinfert, quòd eft fpeculatio fui ipfius,& eft delectabiliffima,& optima; munus ergo primi motoris, & Dei, non eft voluere, vel pellere corpus illud cęlefte, fed fpeculatio fui ipfius, etiam, fecundùm Ariftotelem, & mirum, quòd dum Ariftoteles veritatem ipfam attingit; Efpofitores multi, illam evertere volunt.

CONCLUSIO XIII. Omne aliud citra primam intelligentiam eft caufatum , itaque fecundę intelligentię, Cęlum, & materia prima funt caufata æternaliter, fecundum Ariftotelem; probatur hæc Conclufio; Quia omnes intelligentiæ pendent in effe à primo motore,& confequenter omnes funt caufatæ, præter primam, ficut in familia omnes pendent à patre familias: Confirmatur; fi enim aliquod aliud, ut intelligentiæ fecundę effent infinitæ,& incaufatæ, & æquales primæ non poffent ordinari effentialiter ad aliud, quia infinitum intenfivè, non poteft fubordinari effentialiter alteri, nec, ficut ad finem, quia unum infinitum, non eft propter aliud bonum,neque ad aliud bonum , ut ad principalius , quia nihil eft principalius bono infinito , ergo fi cæteræ intelli-

gen-

gentiæ essent infinitæ, & improductæ, non haberent ordinem essentialem ad primam, quòd est inconveniens, quia bonum universi consistit in ordine, ratio ista ponitur à Scoto, de intelligentiis, sed concludit, etiam de aliis; Nam si intelligentiæ pendent in esse à primo motore, magis Cælum, & materia prima. Confirmatur, authoritate *Aristotelis in hoc 12. metaphisicę text.* 38. in calce, ubi habet hæc verba; à tali ergo principio, tum Cælum, tum materia, tum natura dependet; & primo de Cælo, & mundo text. 100., inter multa habet hæc verba, unde, & aliis communicatum est esse, & vivere, his quidem exactiùs, & clariùs, his autem oscuriùs; ex quibus locis apertè patet, quòd omnia propter primum ens, & primam causam habent entitatem causatam, & dependentem ab illo primo motore.

CONCLUSIO XIV. Modus autem, quo producuntur intelligentiæ, & verus, qui est Aristotelis, est istæ, scilicèt, quòd non producuntur istæ intelligentiæ per motum, & mutationem, sed per creationem, omnesque à prima proveniunt, idque est contra avicendam, volentem, quòd una ab altera proveniat, & à prima solùm unicam provenire, sed in hoc erravit; & *Scotus in quolibetis quęst.* 7. probat, in hunc modum, sicut radii emanant naturaliter à sole, nulla alia causa concurrente, ita intelligentiæ emanant à Deo, nulla alia causa concurrente, sed ista entia dicuntur intelligentiæ, ergo debent produci, quo intelligentiæ

pro-

producitur, sed illa producitur partim ab objecto, partim ab intellectu in nobis, ibi autem, cum non possit concurrere intellectus, dicendum est, produci per emanationem à solo objecto, sicut radius à sole, & hunc esse ejus modum producendi naturalem; & hic modus dicendi est Averrois, qui, & si sit difficilis, est tamen rationabilior, sustinendo efficientiam in primo motore, ut supra. Necesse est enim, quòd si prima intelligentia habet aliquam efficientiam, hanc esse emanationem, oportet enim, quòd efficiat, & producat, veluti objectum intelligibile, producit, & efficit intellectionem de se; hęc enim est productio, & causatio spiritualis, quæ tantùm dat verum esse reale, quoniam producit rem de non esse, ad esse reale; & hoc confirmat, quòd dixit Aristoteles supra, quòd primum movet, ut appetibile, & intelligibile, itaque si movet, movet, & efficit in ratione objecti, quot ergo modis movet immediatè, tot producit intelligentias, quia unusquisque actus, talis, est una intelligentia, nam sicut objectum intelligibile, apud nos, dum movet intellectum meum, producit unam intellectionem, sed dum movet alium, aliam intellectionem producit; itaque, quot actus movendi habet, tot producit intelligentias, quia unusquisque motus est una intelligentia; ita primum appetibile, quot motiones efficit, tot intelligentias producit; differt in hoc ab objecto nostro, quia objectum apud nos ex se non sufficit producere perfectè intellectionem, sed ipsum,


ipſum, ſimul cum intellectu, tamen, quantum eſt ex ſe producit ſuam intelligentiam, ſed objectum illud divinum cum ſit excellentius producit intelligentiam perfectè per ſe ipſum, abſque alio intellectu, & hæc eſt diſtincta realitér, & eſſentialiter ab ipſo, & eſt ſubſtantia, quæ appellatur ſecunda intelligentia; Nam ſecundùm philoſophum, intelligere in abſtractis non eſt accidens; unde etiam adeſt alia differentia, quòd objectum apud nós præſupponit intellectum in eſſe, ſed objectum divinum, quòd eſt primum non præſupponit intellectum ullum, alterius intelligentiæ, ſed per talem actum movendi producit intelligentiam, quæ eſt ipſa ſubſtantia ſecunda intelligens; unde non eſt imaginandum, quòd intelligendo ſe producat alias intelligentias, ut ait Joannes Bacconus Carmelita, quia intellectus intelligere, & intellectio ſunt idem in prima, & in abſtractis à materia, & ſic prima produceret ſeipſam, & ſecunda intelligentia eſſet idem realiter cum prima, quòd eſt falſum, hęc verò ſecunda intelligentia pro tanto intelligit primam pro quanto intelligit ſeipſam, quę eſt ſimilitudo, & imago primæ, & ſic cognoſcunt per ſuam eſſentiam, & ita cognoſcunt primam intelligentiam, quia cognoſcunt ſe ipſas, quæ ſunt imagines ipſius, unaquæque autem inferiora cognoſcit, quia cognoſcit ſe, quæ eſt cauſa illorum, ſivè pro tanto, quia cum ſit perfectior aliis inferioribus, illa in ſe continet eminenter, non tamen, ita perfectè, ſicut prima.

CON-

CONCLUSIO XV. De pluralitate verò intelligentiarum, cur tot sint, & non plures, non habemus causam à priori; sed à posteriori, & ista ratio à posteriori est, quia non sunt plures sphere, &, quia primum agens est necessarium, & operatur entia, quæ sunt necessaria ad regimen mundi, ideò tot producit intelligentias, quot orbes necessariò movendi sunt; hinc est, quòd una materia, & non plures dantur; De inæqualitate verò est difficultas, propter quam causam sint inæquales, quò ad hoc, dico, quòd provenit à prima, ordine quodam; Nam omnes proveniunt immediatè à prima, tamen, non in eadem perfectione, quia entia non possunt æqualiter participare esse divinum, undè ait philosophus in primo de Cælo, & mundo, quòd ab ipso communicatum est esse, & vivere, his quidem clariùs, his verò oscuriùs, undè se habent, sicut numeri, Nam sicut omnes numeri proveniunt ab unitate ordine quodam, ita, etiam entia talia æterna, à quibus postea hæc omnia inferiora causantur, & hæc sint dicta, secundùm intentionem philosophi.

Finis Libri Duodecimi.

Dispu-



Disputationes Metaphysicę ad mentem Subtilissimi Doctoris Ioannis Duns Scoti, juxta supra positas Conclusiones textus Aristotelis.

Autboris R. P. Bonaventuræ à Cancellaria Lectoris Emeriti.

DISPVTATIO I.

De Natura Metaphysicæ.

SVpposito cum comuni consensu philosophorum, metaphysicam appellari nomine scientiæ post naturalis, eo, quòd post poni debet physicæ, quæ dicitur scientia naturalis; Solet etiam appellari scientia transcendentalis, eo, quia transgreditur scientiam naturalem, cum agat de rebus magis abstractis, & perpetuis, trans-

transgreditur enim ad cognitionem substantiarum abstractarum; Solet, etiam dici Theologia, quia de Deo ejusque proprietatibus, ac attributis, & quæ lumine naturali pertingi possunt per se tractat, sit ergo.

QVÆSTIO I.

An Metaphysica sit Sapientia.

SCiendum est ex Aristotele primo metaphysicæ, nec non ex Scoto ibidem exponendo textum Aristotelis, ut etiam nos supra primo metaphysicę conclusione sexta exposuimus, quòd sex sunt conditiones sapientis, & communiter sapientiæ, cum consequentia teneat à conjugatis: prima, quòd sapiens debet scire omnia, ut contigit; secunda, quod sapiens debeat versari circa difficilia; Tertia, quod sapiens debet esse certior de hiis, quæ novit; Quarta, quòd sapiens debeat circa quamcunque scientiam addere, & attingere causas earum scientiarum; Quinta, quòd sapientia sit dirigibilis propter se, & non propter aliud; Sexta, quòd sapientia debeat esse dignior, & præstantior scientia famulante, ex quibus conditionibus deduci potest cum Scoto descriptio sapientis; Sapiens est ille, qui omnia novit, sicut decet, & difficilia certitudinaliter, & per causam, quærens ipsam scientiam, propter scire, persuadere, potens, alios, ac etiam ordinare.

Dico breviter metaphysicam esse sapientiam; *Ita Aristoteles 1.metaphysicæ cap.2.& Scotus ibidē.*

Probatur illa facultas debet dici sapientia, quæ habet conditiones requisitas ad ipsam, hujusmodi est metaphysica, ergo &c. Minor pr.& quo ad primam conditionem, sic, metaphysica est scientia universalissima, cum versetur circa totum ens, sed scientiæ universalissimæ competit scire omnia, ut contigit, aliter non esset universalissima scientia, ergo &c.

Probatur secunda conditio, metaphysica cum sit scientia universalissima, versatur circa universalia, quæ sunt difficilia ad cognoscendum, ergo metaphysicæ convenit secunda conditio sapientiæ; Antecedens, quo ad secundam partem probatur, nam omnis nostra cognitio oritur à sensu, ergo quo magis aliqua distant à sensu, eò sunt difficiliora ad cognoscendum, sed universalia magis distant à sensu, *ex Aristotele in text.* universalia remota sunt à sensibus, ergo universalia sunt difficiliora ad cognoscendum.

Probatur tertia conditio. Quantò ad habendam notitiam sui objecti scibilis, pauca requiruntur ab aliqua scientia, tantò illa scientia est certior alia; sed hujusmodi est Metaphysica, ergo, &c. Major probatur cæteris paribus; faciliùs cognoscuntur pauca, quàm plura, & ideò scientiæ practicæ sunt incertissimæ, quia debent multas circumstantias considerare; minor probatur; nam objectum Metaphysicæ pauciora inclu-

cludit, quàm objectum alterius facultatis naturalis, cum ens sit simpliciter simplex, ergo, &c.

Probatur quarta conditio; Illa facultas est aptior ad docendum, per quam quælibet scientia particularis habet notitiam distinctam, usque ad universalia prædicata; sed talis est Metaphysica, ergo, &c. Minor probatur; nam prima principia Metaphysicæ ratione universalitatis applicari possunt singulis conclusionibus omnium scientiarum, ergo, &c.

Probatur quinta conditio; Facultas, quæ est de maximè scibilibus, dirigitur propter seipsam, & non propter aliud, sed Metaphysica est de maximè scibilibus, cum sit de primis causis, & principiis ergo; major probatur; qui desiderant scire propter se, magis scire desiderant; sed maxima scientia est de maximè scibilibus, ergo maximè desideratur, & dirigitur propter se, ergo, &c.

Probatur sexta conditio; Illa scientia est præstantior cæteris, cujus objectum principale, præstantius est omnibus aliis; sed metaphysica est hujusmodi, ergo, &c. Minor probatur; nam habet Deum pro objecto principalitatis, & ens reale in communi pro objecto adęquato, ut etiam probavi 6. Metaphysicæ con. 2., sed ista sunt priora, & principaliora objectis aliarum scientiarum, ut patet ergo, &c.

Obicies 1., contra primam conditionem; Metaphysica non considerat omnia, ut contingit, ergo, &c. Antecedens probatur, Metaphysica non

non considerat motum generationis, & augumentationis, ergo non considerat omnia, ut contigit.

Respondetur, cum Scoto, ubi supra, dist. antecedens; in communi, nego antecedens; in particulari, concedo antecedens; nam Scotus citatus supra, explicat lii, ut contigit sic, idem, in universali, ut decet, nam sapiens non debet habere scientiam omnium, cum illa sint infinita, & capere non possint in particulari, quare, licet Metaphysica non consideret motum generationis, & augumentationis in particulari, considerat tamen in universali; Metaphysica enim considerat omnia entia, sivè mobilia, sivè immobilia, sivè corruptibilia, sivè incorruptibilia, in quantùm in eis ratio entis reperitur.

Istabis Aristoteles docet, quod sapiens debet scire omnia, ut contigit, sed omnia contigunt, in universali, & in particulari ergo, &c. Respondetur dist. majorem, ut contigit, idest, ut decet in universali, concedo, in particulari nego majorem.

Obicies 2. contra secundam conditionem; Metaphysica est circa res universales, ergo non versatur circa difficiliora. Antecedens patet; consequentia probatur, ex Aristotele, primo physicorum habetur, ab universalibus esse inchoandum, eò quia sunt nobis notitiora, ergo, non sunt nobis difficiliora; sed Metaphysica versatur circa universalia ergo, non est circa difficiliora.

Respon-

Respondetur, concedendo antecedens, & negando consequentiam, ad probationem, cum Scoto primo Metaphysicę cap. 10., distinguo antecedens; sunt nobis notiora, in ordine ad nostram cognitionem intellectivam in se, & absolutè spectatam concedo antecedens; in ordine ad cognitionem sensitivam nego antecedens; universalia enim, quantùm ad cognitionem sensitivam sunt difficiliora singularibus in cognosci, non verò quantùm ad cognitionem intellectivam in se spectatam; juxta illud Aristotelis, intellectus est universalium, sensus verò singularium, & quia omnis nostra cognitio pro statu isto dependet à sensibus, ideò cognitio universalium est difficillima, cum universalia sint à sensibus remotissima, ex Scoto citato.

Obicies 3. contra tertiam conditionem: Sciẽtia, quæ est circa difficiliora, est incertissima, sed Metaphysica versatur circa difficiliora, ergo est incertissima, & consequenter non habet cognitionem certam, ut dicitur in 5. cond.

Respondetur, distinguendo majorem; Scientia, quę est circa difficiliora est incertissima, secundùm cognitionem sensitivam, & intellectivam, concedo majorem, solùm secundùm cognitionem sensitivam, nego majorem; & sic distincta minori, negatur consequentia; nam Metaphysica potest considerari, pro ut tendit circa omne ens, & secundùm istam partem, cognitio ejus est certissima, cum sit cognitio simpliciter simplicis,

quæ aut totaliter scitur, vel ignoratur, vel potest considerari, pro ut tendit in substantias abstractas, quæ licet sint simplices, non tamen sunt simpliciter simplices, & quantùm ad hoc, ista cognitio, non est ita certissima vel dicendũ quod talis cognitio est certissima, quò ad se, nõ quò ad nos.

Obicies 4. contra quartam conditionem, Quęlibet scientia demonstrat rem per suam causam, ergo unaquęque est apta ad docendum in sua materia, ut Metaphysica in sua materia, ergo reddere, & assignare causas, non est proprium Metaphysicę.

Respondetur, distinguendo antecedens, per suam causam particularem, & dependentem, concedo antecedens, universalem, & independentem, nego antecedens; Metaphysica, enim demonstrat per causas primas independentes, & universalissimas passionem cujuscunque includentis rationem entis, ut etiam exposui primo Metaphysicę Conclusione 13.

Obicies 5. contra quintam conditionem. Conditio, quę convenit pluribus, non est propria unius, sed esse gratia sui ipsius competit omnibus scientiis speculativis, tamquam conditio, cum non ordinentur ad opus, ergo, &c. Respondetur cum Scoto in prologo Metaphysicę, distinguendo majorem, non est propria, nec appropriata, nego majorem, propria, concedo majorem; sed distinguo minorem, competit aliis scientiis appropriatè, concedo, propriè, nego; certum est enim, quòd

quòd facta comparatione inter ipsas scientias speculativas, & practicas non solùm metaphysica, sed quælibet alia scientia speculativa est gratia sui ipsius; At facta comparatione inter scientias speculativas, quia metaphysica versatur circa altissimas causas, & circa aliam causam finalem, omnium, ideò concludit Scotus, quòd ista scientia est maximè gratia sui ipsius; ex quibus deduci potest, quòd esse gratia sui ipsius, antonomasticè, Metaphysicę solum competit principaliter, & appropriativè.

Obicies 6. contra sextam conditionem; Imperari, & dominari aliis scientiis est actus voluntatis, & consequenter spectat ad scientiam practicam, & moralem, sed metaphysica non est hujusmodi, ergo non est præstantior aliis scientiis sibi conservientibus. Respondetur; distinguendo majorem; imperari ergo, &c. modo practico, concedo majorem; speculativo, nego majorem, & concessa minori, negatur consequentia; nam metaphysica ostendit finem, in quem omnia dirigenda sunt; & demonstrat etiam Deum esse finem omnium, &, quia hoc dicitur de scientia speculativa, & non morali, ideò, &c.

QUÆSTIO II.

An Metaphysica sit Scientia.

SCiendum primò cum Scoto in prologo suę Metaphysicę 5. not., quòd quinque habitus

intellectuales distinguntur ad invicem, penes objectum, & tres eorum, scilicèt sapientia, intellectus, & scientia, pertinent ad intellectum speculatiuum, prudentia verò, & ars ad intellectum practicum; Item illi tres habitus, etiam inter se distinguntur objectivè, scilicet, & terminativè, ideſt penes terminos, & objecta, ad quæ tendunt, nam intellectus tendit circa res altiſſimas, quę ſunt principia entis, in quantùm entis, sivè illæ causæ ſint principia incomplexa, ut ſubſtantię immateriales, sivè complexa, ut ſunt dignitates, & maximè propoſitiones, quę demonſtrantur, in objecto ingrediuntur, & virtualiter conſtituunt habitum, qui dicitur sapientia; ſi verò tendit circa præmiſſas, quę ſunt principia demonſtrationis, conſtituit habitum, qui dicitur intellectus, ſi verò tendit circa Concluſionem, conſtituit habitum, qui dicitur ſcientia. Sciendùm eſt ſecundò, quòd ſcientia poteſt accipi dupliciter, uno modo, quòd eſt notitia concluſionis, habita ex præmiſſis mediatis, & cauſis, non primis, & ſic metaphyſica, non eſt de ſe ſapientia, ſed ſcientia; alio modo, pro ut dicitur primo poſt. cap. 2. quæ eſt notitia habita ex præmiſſis veris, immediatis, prioribus, notioribus, cauſiſque concluſionis, & ſic metaphyſica eſt de ſe ſapientia, & ſcientia, quia complectitur conditiones ſcientię, & ſapientię, quę verſantur ſimul, & ſemel circa principia, & cauſas concluſionis.

Dico breviter, quòd Metaphyſica eſt ſcientia, pro ut ſcientia definitur ab Ariſtotele primo

poſte-

posteriorum, & simul sapientia; Ita Aristoteles 1. metaphysicæ, & Scotus ibidem.

Probatur. Metaphysicę competunt conditiones sapientię, quę versantur circa causas altissimas, & conditiones scientię, quæ versantur circa conclusionem ipsarum causarum altissimarum, propter quas scit reddere causam alicujus conclusionis, ergo metaphysica, est sapientia, & scientia. Confirmatur ex Aristotele 6. metaphysicæ, scientia speculativa dividitur in physicam, metaphysicam, & mathematicam, ergo metaphysica est scientia.

Obicies, sapientia, & scientia sunt habitus distincti, ex notabili primo; sed metaphysica est sapientia, ex dictis quęstione pręcedenti, ergo non est scientia.

Respondetur distinguendo majorem; sunt habitus distincti objectivè, & terminativè, concedo majorem; subjectivè, & entitativè, nego majorem; nam idem numero actus intellectus, si versatur circa causas altissimas, & prima rerum principia, constituit habitum sapientiæ, si postea versetur circa Conclusiones constituit habitum scientiæ.

QUÆSTIO III.

An Metaphysica sit scientia practica, vel speculativa.

SCiendum, quòd Aristoteles 6. metaphysicę divisit scientiam in communi, in practicam, & spe-

speculativam, & ex dicendis in libris Porphirii, practicum, & speculativum, sunt differentię essentiales dividentes scientiam in communi; & quęstio ista potest intelligi de scientia actuali, & habituali, sivè de partiali, sivè de totali, unde supposito, quòd diximus supra, lib. 1. metaphysicę conclusione 4. quòd scientia speculativa sit nobilior, quàm practica activa, & cum conclusione.

Dico breviter, quòd metaphysica est scientia speculativa; Ita Aristoteles. 1., & 6. metaphysicæ.

Probatur; Illa est scientia speculativa, & non practica, quę non ordinatur ad dirigendam praxim; sed solùm ad speculandam rei veritatem, & nullo modo ad dirigendum actus alterius potentiæ ab intellectu, sed hujusmodi est metaphysica, ergo &c. Major patet, nam cognitio entis, in quantùm ens, est cognitio ordinata ad speculandam rei veritatem, sed cognitio metaphysica est terminata ad cognoscendum ens in quantùm ens, ergo est scientia speculativa &c.

Obicies 1. Illa scientia, quæ ordinatur ad dirigendos actus morales est practica; Sed sic est metaphysica, ergo &c. Minor probatur, nam metaphysica tendit ad felicitatem, quæ est summum bonum, ergo tendit ad dirigendos actus morales, ergo est practica. Respondetur, concedendo majorem, & negando minorem; ad probationem, distinguo antecedens, tendit ad summum bonum speculabile, concedo antecedens, operabile nego antecedens; Nam fęlicitas in sententia Aristoteles, consistit in speculatione, quæ non est praxis, sed actus intellectus.

Obi-

Obicies 2. ordinare est actus scientiæ practicæ; sed metaphysica, cum sit sapientia habet ordinare, ergo est scientia practica. Respondetur, distinguendo majorem; ordinare praxim, idest actus voluntatis, concedo majorem; Actus intellectus, nego majorem.

Obicies 3. Theologia, quæ perficit nos in esse supernaturali est scientia practica; sed hujusmodi est metaphysica, quæ est scientia, seù Theologia naturalis, ergo &c. Respondetur concedendo majorem, nam Theologia perficit nos in esse supernaturali, dirigendo praxim, scilicet actum voluntatis ad Dei amorem, & charitatem, & distinguo minorem; metaphysica perficit in esse naturali, illuminando actus intellectus ad contemplandam veritatem primorum principiorum, & causarum altissimarum, concedo minorem, dirigendo praxim, nego minorem.

QVÆSTIO IV.

An Metaphysica sibi subalternet physicam, & Mathematicam.

SCiendum cum *Scoto in prologo sent. quæst. 2. & 3. & in 3. dist. 24. quæst unica §. quæstio ista*, quòd subalternatio, est subordinatio unius scientiæ ad aliam, & rigorose loquendo, tres conditiones requirit, prima, quòd subjectum unius sit subjectum alterius, addita tamen differentia aliqua acci-

accidentali, secundo, quòd Conclusiones unius, sint principia alterius, Tertia quòd finis unius, practicè dirigatur ad finem alterius, unde supposito, quòd dixi supra lib. 11. metaphysicæ conclusione prima; cum tali Scotica doctrina.

Dico breviter, quòd loquendo de hac subalternatione; Metaphysica non est scientia subalternans physicam, & mathematicam, ita Scotus cum Aristotele, contra Miradulanum.

Probatur, nec objectum mathematicę, nec objectum physicę est sub objecto metaphysicæ; nec ipsi addunt differentiam accidentalem, ut patet; & probatum est supra 11. metaphysicę, conclusione prima, nec principia mathematicę, nec physicę sunt conclusiones metaphysicæ, cum tàm physica, quàm mathematica habeant sua principia independenter à metaphysica, nec finis mathematicæ, & physicæ practicè ordinantur ad finem metaphysicæ, ergo physica, & mathematica non sunt scientiæ subalternatæ metaphysicæ.

Probatur 2. authoritate Aristotelis, qui loquens de physica, metaphysica, & mathematica, ait esse scientias etiam separatim spectatas, sed data subalternatione scientiarum, seorsim sumptæ, istæ non essent scientiæ, ergo &c. Minor probatur. Data subalternatione principia physicę deberent esse conclusiones metaphysicæ, sed hoc non potest esse, ergo &c.

Confirmatur. Istæ tres scientię per Aristotelem ęqualiter dividunt scientiam in communi, er-

go

go inter illas nõ datur ista rigorosa subalternatio.

Obicies primo; Principia ex quibus alię scientię derivant indigent confirmatione metaphysica, ergo cęterę scientię non habent evidentiam in suis principiis, nisi à metaphysica, à qua talia principia confirmantur. Respondetur, concedendo antecedens,& negando consequentia; nam metaphysica confirmat principia aliarum scientiarum, aut explicando terminos, aut per deductionem ad impossibile,quę non infert rigorosam subalternationem, nam statim, ac termini sunt explicati, possunt eadem principia independenter à quocunque alio causare scientiam.

Dices ceterę scientiæ quò ad explicationem terminorum,subalternantur metaphysicę,ergo,& quo ad principia, & conclusiones. Respondetur, distinguendo consequens,remotè,& fundamentaliter,, concedo consequentiam, proximè, & formaliter, nego consequentiam ; Nam talis dependentia solum causat subalternationem impropriam, & remotam, quòd concedi potest, non verò rigorosam,& propriam.

Obicies 2. Metaphysica est scientia universalissima, ergo potest demonstrare conclusiones omnium scientiarum independenter ab illis scientiis ,ergo aliæ scientiæ subalternantur metaphysicæ: Respondetur,concedendo antecedens,& distinguendo consequens , potest demonstrare conclusiones omnium scientiarum, per principia propria illarum conclusionum , nego consequentiam;

tiam; per communissima, concedo, unde, tàm physica, quàm mathematica habent principia propria, ex quibus earum conclusiones demonstrari valent.

QUÆSTIO V.

An ens abstractissimum complectens ens reale, & rationis sit objectum metaphysicæ.

SCiendum, quòd, ut dictum est supra, quarto metaphysicæ conclusione secunda, ens abstractissimum, ac universalissimè sumptum, quòd dividitur per ens reale, & rationis, est divisio vocis in suas significationes, ideſt entis æquivoci in sua æquivocata, ideò,

Dico, quòd ens abstractissimum, complectens ens reale, & rationis non est objectum metaphysicæ; Ita Scotus quæst. 1. metaphysicæ in primo metaphysicæ, cum Aristotele 6. metaphysicæ, contra Durandum, nec non contra lichetum.

Probatur primò; Cujuslibet scientiæ univocæ, univocum debet esse objectum, ideſt importare debet aliquod commune, in quo conveniant omnia, quæ continentur sub eodem objecto; sed ens abstractissimè sumptum, cum non sit univocum, non poteſt importare aliquod commune, in quo conveniant omnia, quæ continentur sub objecto metaphysicæ, ergo &c. Minor probatur; nam ens abstractissimè sumptum dicit ens reale, & ratio-

tionis; sed ens reale, & rationis, nihil commune important, nisi nomen, ergo ens abstractissimè sumptum non potest importare aliquod commune, in quo conveniant, quòd contineatur sub objecto metaphysicæ; Minor patet; nam tale ens, vel esset reale, & tunc non diceretur de ente rationis, vel esset ens rationis, & tunc non diceretur de ente reali.

Probatur 2. Metaphysica est scientia realis, non secùs, ac sunt cæteræ scientiæ, ergo debet habere objectum reale, ergo non potest respicere pro suo objecto particulari ens rationis, ut vult Durandus; consequentia probatur; nam scientia sumit suam denominationem ab objecto, ergo quale est objectum, talis denominatur scientia, ergo si ens rationis esset partiale objectum, &c. Metaphysica non esset scientia realis. Respondet Durandus, quòd ad salvandam scientiam realem, sufficeret aliud objectum partiale, & attributionis, scilicet ens reale. Sed contra est; Metaphysica non partialiter, sed tota, & adæquatè est scientia realis, ergo suum objectum adæquatè, & totale debet esse reale.

Obicies 1. Ens abstractissimum potest esse objectum, ergo maximè Metaphysicæ, quæ esset scientia abstractissima; Antecedens probatur, ens abstractissimum potest esse objectum intellectus, ergo potest esse objectum habitus intellectus; sed metaphysica est habitus intellectus, ergo potest esse objectum metaphysicæ. Respondetur negan-

gando antecedens, ad probationem, transeat antecedens, & nego consequentiam; nam ex Scoto in 2.dist.24.quæst.unica §. ad primum dico, potentiæ non organicæ sunt abstractissimæ, non verò habitus prædictarum potentiarum; Hinc, quia intellectus est potentia inorgonica, potest se estendere ad ens abstractissimum, cum sit potentia illimitata,& quodammodo infinita, objectivè non expestans specificari ab objecto, sicut scientia, præsertim metaphysica, quæ debet specificari à suo objecto, idcircò non benè infertur, quòd si intellectus se estendat ad ens abstractissimum, etiam metaphysica; nam ista cum sit una, & specificari debeat ab objecto proprjè, requirit unitatem aliquam in suo objecto.

Istabis intantùm ens abstractissimum, nõ potest poni pro objecto metaphysicę, inquantùm, non dicit unitatem,& univocationem, sed hoc est falsum,ergo,&c. minor probatur; nam ens reale, & rationis dicunr aliquam unitatem, & univocationem in ratione entis, & in ratione essendi extra nihil, ergo ens abstractissimũ complectens ens reale, & rationis est objectum metaphysicæ. Respondetur concedendo majorem, & negando minorem,ad probationem distinguo antecèdens,dicunt unitatem, & univocationem ad quid nominis tantùm,concedo; ad quid rei,nego, ens enim reale,& rationis, solùm in nomine conveniunt, & sunt extra nihil, non autem in re; nam extraneitas entis realis à nihilo, est subjectiva, ex propria na-

natura ipsius extraneitatis, extraneitas verò entis rationis à nihilo est objectiva, dependenter ab intellectu.

Obicies 2. ens rationis per se spectat ad metaphysicam ergo, &c. Antecedens probatur; ut aliquod per se spectet ad aliquam scientiam, sufficit, quòd possit reduci ad objectum adęquatum illius scientiæ, sed ens rationis potest reduci ad ens reale, quòd assignatur pro objecto adęquato metaphysicæ, ut imperfectum ad perfectum ergo, &c. Respondetur, negando antecedēs, ad cujus probationem, distinguo majorem; sufficit, quòd possit reduci, quomodocunque, nego majorem, tamquam principium, aut tamquàm pars, aut proprietas, aut species, concedo majorem, & distinguo minorem, potest reduci, ut pars, aut, ut principium, nego minorem, alio modo, concedo minorem; scientia enim per se considerat objectum, aut aliquod concernens ad objectum, ut sunt principia, partes, & passiones, cætera verò considerat consecutivè, & per accidens.

Istabis, consideratio entis rationis per se spectare debet ad aliquam scientiam, sed non nisi ad metaphysicam, ergo, minor patet, quia in metaphysica agitur de ente rationis, quia in ipsa agitur de ente reali. Respondetur, negando majorem esse simpliciter veram; non enim consideratio cujuslibet spectare debet ad aliquam scientiam, sed sufficit, quòd talis consideratio, sivè per se, sivè per accidens pertineat ad aliquam scientiam; alias

deberet dari aliqua scientia particularis, ad quam spectaret considerare negationes, & privationes.

Istabis, ex Aristotele 4. metaphysicæ text. 4. Oppositorum eadem est disciplina, idest eadem scientia versatur circa illa, sed metaphysica versatur circa ens reale, quòd est oppositum enti rationis, ergo etiam versari debet circa ens rationis. Respondetur, distinguendo majorem; oppositorum &c. quantùm ad substantiam, concedo majorem; quantùm ad modum, nego majorem; nam utique metaphysica, quantùm ad substantiam, se extendit ad ens reale, & rationis, non sic, quantùm ad modum; nam circa ens reale se extenditur per se, circa verò ens rationis per accidens, nec est verum, quòd eadem scientia per se agit de cæteris oppositis, aliter metaphysica, quæ per se agit de substantia spirituali, deberet per se agere de substantia materiali, sic, etiam physica, quæ per se agit de substantia materiali, deberet, etiam per se agere de substantia immateriali, quòd non conceditur. Istabis; Aristoteles loco supracitatus, docet, quòd unius sit opposita speculari, ergo si metaphysica per se agit de ente reali, per se etiam agere debet de ente rationis. Respondetur, distinguendo antecedens, ut supra, nam etiam Aristoteles, loco citato docet, ad eandem scientiam spectare agere, de forma, privatione, & negatione; & tamen certum est, quòd negatio non per se, sed per accidens spectat ad physicam considerationem. Istabis; Logica per se agit de syllogis-

gismo vero, & falso; physica, de forma, & privatione; Theologia per se de virtute, & vitio, ergo metaphysica per se agit de ente, reali, & rationis; Respondetur, concedendo antecedens, & negando consequentiã; nõ enim logica per se agit de syllogismo falso, quia per se agit de syllogismo vero, nec physica per se de privatione, quia per se agit de forma, nec Theologia per se agit de vitio, quia per se agit de virtute sed, quia cognitio taliũ oppositorum, est necessaria ad cognitionem objecti adæquati; vel ad finem scientiæ; nam cum finis logicę sit tradere modum, quo aliquis benè discurrat, & ad hoc per se requiritur, quomodo malè possit discurrere, & decipi intellectus; idcò logica per se debet agere de syllogismo falso, sivè sophystico, sic etiam, cum tàm privatio, quàm forma sint principium in fieri, idcirco, tàm per se est necessaria cognitio privationis, quàm formę; sic etiam cum finis Theologiæ sit tradere modum, quò possit acquiri, & deperdi Deus, & ad hoc æqualiter conducit cognitio vitii, & virtutis, idcò utrumque spectat per se ad Theologiam.

Obicies 3. ens rationis participat passiones, quas metaphysica assignat de suo subjecto, sed tales proprietates, quæ sunt unitas, bonitas, & veritas, non possunt participari, nisi ab eo, quòd participat rationem objecti metaphysicæ, ergo, ens rationis est objectum partiale in metaphysica, & consequenter &c. Minor probatur; nam valet di-

cere, quòd ens rationis, ſit unum, verum, bonum, diſtinctum, à quocunque, ergo &c. Reſpondetur, diſtinguendo majorem, participat illas ex ſe, nego majorem, ut mutuatas, concedo majorem, ſic diſtinguitur minor, nam ſicut ens reale applicatur non enti, ut fiat ens rationis, ſic etiam applicantur proprietates, ex quo non ſequitur, quòd ens rationis habeat aliquas proprietates demoſtrabiles, quia tales paſſiones ſolùm de ente reali demoſtrantur. Iſtabis, ens rationis independenter ab ente reali habet ſuum eſſe ergo indepẽdenter ab ente reali habet ſuam unitatem, & cæteras paſſiones, quæ conſequuntur ad eſſe, ergo nulla reſponſio. Reſpondetur, diſtinguendo antecedens, independenter ab ente reali, tamquàm à cauſa efficiente, concedo antecedens, tamquàm à cauſa materiali mutuante, nego antecedens, ens enim rationis, cum ſit non ens conceptum ad modum entis realis, ſequitur, quòd totum ſuum eſſe mutuatum ſit ab ente reali, cum revera ex ſe nihil ſit, ſequitur etiam, quòd independenter ab ente reali non habet ſuum eſſe, & conſequenter ſuas paſſiones mutuas.

QVÆSTIO VI.

An ens reale commune entibus per ſe, & entibus per accidens ſit objectum Metaphyſicæ.

SCiendum cum Ariſtotele 6. metaph. text. 5., & 6., quod de ente per accidens nõ datur ſcientia,

tia;ut etiam notavi supra,6.metaphysicæ conclusione 1. & 2. ideò cum ens peraccidens non habeat veram essentiam, & veras passiones, non potest poni objectum metaphysicę.

Dico breviter, quòd ens reale commune entibus per se, & entibus per accidens non est objectum metaphysicæ; colligitur ex Scoto in 2. dist. 3.quæst.1.& in 3.dist.7.quæst.1.contra Vrtadum.

Probatur; illud, quòd non habet veram essentiam, & veras passiones, non potest poni objectum alicujus scientiæ; sed hujusmodi est ens, pro ut dicit ens per accidens,& per se,ergo &c.Major patet; minor probatur; nam vera essentia alicujus consistit in indivisibili, juxta illud Aristotelis 1. metaphysicæ text. 10. essentiæ sunt sicut numeri; sed ens peraccidens non habet essentiam,quæ consistit in indivisibili, ergo nec veras passiones, quæ ab essentia emanare debent; minor pr. nam ens peraccidens est quodam aggregatum ex pluribus entibus, ex dicendis,ergo &c. Confirmatur,quòd non potest definiri, non habet veram essentiam, sed ens per accidens non potest definiri, ergo &c. Minor probatur, ens per accidens non est unum ens, sed plura diversarum operationum, sed,quòd definitur debet esse unum, ex Aristotele 2. metaphysicæ text. 42. ergo cum ens peraccidens, non sit unum, sed plura, sequitur quòd non possit definiri, &, quòd non habet veram essentiam, neç passionem objecti metaphysicæ,scilicet unitatem, non potest esse objectum &c.

Obicies 1. si ens commune entibus per se, & per accidens,non esset objectum metaphysicæ,non se estenderet metaphysica ad considerationem entis per accidens; sed verè metaphysica ad ejus considerationem se estendit, ergo &c. Minor probatur; nam metaphysica est scientia universalissima, ergo in ipsa de ente per accidens tractatur. Respondetur, distinguendo majorem;metaphysica non se estenderet &c. Per se concedo, per accidens nego, & sic distincta minori, negatur consequentia;nam,ex Scoto 6.metaphysicę quęst. 2. ens per accidens,in quantùm per accidens,non est scibile absolute &c.

Obicies 2. Consideratio entis per accidens, ut per accidens per se ad aliquam scientiam pertinere debet, sed non nisi ad metaphysicam, ergo &c. Respondetur, negando majorem; sufficit enim, quòd consideratio talis entis per accidens pertineat per accidens ad scientiam, quæ per se considerat entia per se, ergo &c. Respondetur 2. quòd data gratis majori, nego minorem; nam consideratio ipsius spectabit per se ad illam scientiam, à qua illud ens per accidens possit per se cognosci. Istabis; ista scientia, à qua possit per se cognosci, non est physica, nec mathematica, nec logica, ergo erit metaphysica. Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam; nam supposito,quòd assumitur in argumento,scilicèt, quòd de eo detur scientia, talis scientia vocaretur de ente per accidens.

QVÆ-

QUÆSTIO VII.

An objectum Metaphysicæ sit genus substantiarum abstractarum.

SCiendum, quòd sensus quæsiti est, an substantia immaterialis communis Deo, & Angelis sit objectum adæquatum metaphysicæ, *vide Scotum in 1. dist. 8. q. 3. §. ad arg. pro 2. opin.* Commentator sustinens Deum, & Angelos esse objectum adæquatum metaphysicæ, vel ponit Deum aliquid de genere substantiæ, quòd est erroneum, quia Deus non cadit in genere, propter suam infinitatem, vel non habuit intentionem philosophi qui 4. Metaphysicæ, docet, quòd metaphysica est scientia, quatenus speculatur ens in quantùm ens, unde supposito, quòd diximus supra 10. Metaphysicæ conclusione prima, contra Comment.

Dico, quòd substantia immaterialis communis Deo, & Angelis, non est objectum adæquatum Metaphysicæ; sic *Scotus primo Metaphysicæ quæst. 1. §. contra istam positionem, & quæst. 5. prologi §. ad argum 1. quæst.*

Probatur; unius scientiæ unicum est objectum; sed Deus, & Angeli non sunt unum objectum, cum in nulla ratione communi, præter rationem entis convenire possunt ergo, &c. Minor probatur; nam, vel essent unum in ratione entis, & sic qua ratione essent unum, ea ratione essent

subjectum, vel essent unum in ratione substantię, & sic cum substantia Angelica sit in prędicamento substantię sub genere, sequeretur Deum esse in prędicamento substantię, & sub genere, quòd est falsum, ut probatum supra 10. Metaphysicæ conclus. 1.

Probatur 2. Nulla scientia potest ferri ultra suum objectum adęquatum; sed metaphysica fertur in aliud, quàm in substantia immateriali, scilicèt circa substantiam ut sic, præscindentem, ergo signum est; substantiam immaterialem, non esse subjectum adæquatum metaphysicæ; minor probatur; nam metaphysica speculatur ens in quantum ens, & ea, quæ sub ipso insunt, ergo, &c.

Probatur 3. Passiones, quas de suo objecto demonstrat, & considerat metaphysica, non adæquātur cum substantia immateriali ergo, &c. Probatur antecedens; nam etiam competunt alsi materialibus, & accidentibus, quia cum entia sint, valet dicere, quòd habeant unitatem, veritatem, & bonitatem, &c.

Obicies 1. pro Averroe; Aristoteles in prohæmio Metaphysicæ probat metaphysicam esse circa prima principia, & primas causas; sed substantia immaterialis complectitur hæc omnia ergo Aristoteles probat metaphysicam esse circa substantiam immaterialem; minor patet ergo. Respondetur ex doctrina Scoti primo Metaphysicæ ubi supra; distinguendo majorem; metaphysica versatur circa prima principia, & primas

cau-

causas, tamquàm circa objectum adæquatum, nego majorem, tamquàm circa causas, & partes principales subjecti, concedo majorem, & concessa minori, negatur consequentia; nam etiam in physica tractatur de natura, & tamen, nec Commentator, nec Avicenda ponunt naturam esse subjectum illius scientiæ; sed aliquod, cujus natura est principium.

Obicies 2. Substantiæ separatæ non sunt nobis omninò ignotæ, cum de ipsius multa signa habeamus, ergo cognitio earum ad aliquam scientiam pertinere debet, sed non ad physicam, nec ad mathematicam, ergo ad metaphysicam. Respondetur ex Doctrina Antonii Andreę, quæstione prima Metaphysicæ, distinguendo antecedens; quantùm ad conceptus communes, concedo antecedens; quantùm ad conceptus proprios, nego antecedens, & distinguo consequens; cognitio earum pertinere debet ad aliquam scientiam intellectus, qui potest talem cognitionem habere, concedo, respectu intellectus nostri, nego; nam licèt substantiarum separatarum sint multæ proprietates cognoscibiles, quantùm est ex parte illarum, non tamen nobis via sensus, hinc proprietates, quæ sunt nobis notæ via sensus sunt passiones entis.

Obicies 3. Scientia universalissima, & nobilissima debet esse circa objectum nobilissimum, sed metaphysica est scientia nobilissima, ex Aristotele in prohemio, & substantiæ separatæ sunt ob-

objecta nobilissima, ergo metaphysica versari debet circa substantias separatas,& abstractas, tamquam circa objectum nobilissimum, & non circa ens. Respondetur, cum Bargio, distinguendo majorem, debet versari circa objectum nobilissimum,sivè,permissivè, sivè positivè, concedo majorem,solùm permissivè,sivè positivè solùm,nego majorem, & distinguo minorem, substantiæ separatæ sunt nobilissimum objectum positivè, concedo minorem permissivè, nego minorem, ideò, negatur consequentia quia metaphysica versatur circa ens,quod est nobilissimum permissivè. Istabis; quò objectum est universalius, eò est imperfectius,& ignobilius,cum pauciores gradus entitatis possideat; nam ex quadam paucitate, vel pluralitate reperta in aliquo objecto, nobilitas, vel ignobilitas illius objecti arguitur, ergo cum ens,unum solum gradum entitatis possideat, non potest esse nobilius substantiis abstractis. Respondetur,ut supra disting. antecedens, positivè,concedo antecedens, permissivè, nego antecedens, & distinguo consequens positivè, concedo,permissivè,nego; nam ex doctrina Scoti in 4. dist. prima, quæst.prima lit. C. aliquod esse perfectius, potest sumi dupliciter,vel,scilicèt positivè, vel permissivè; secundo modo, quantò objectum est universalius, eò perfectius, & nobilius, primo modo è contra,quò universalius,eò imperfectius, & ignobilius; sit exēplū,animal est perfectius musca permissivè, eò, quia animal potest esse in aliquo perfe-

fe-

fectiori,quam musca, puta in homine; sed musca est perfectior animali positivè, eò, quia includit animal,& aliquid aliud,quòd addit supra animal.

Obicies 4. Ex Aristotele 6. Metaphysicæ, Metaphysica appellatur Theologia; sed non posset esse Theologia,nisi consideraret Deum, & Angelos ergo,&c. Respondetur, cum Scoto 1. Metaphysicæ quæst. 1., concedendo majorem, & negando minorem; nam scientia metaphysica potest dici Theologia,non à subjecto; sed à causa principali subjecti, quæ est Deus in metaphysica, sicut scientia naturalis à natura,quæ non est subjectum illius scientiæ, sed principium illius subjecti.

Obicies 5. Illud est subjectum ad quòd omnia dicunt attributionem; sed in metaphysica omnia dicunt attributionem ad substantiam immaterialem, ad differentiam physicę ergo, &c. Respondetur,cum Scoto, ubi supra distinguendo majorem; quando illud habet cæteras conditiones requisitas ad subjectum in tali scientia, concedo majorem; quando non habet, nego, & concessa minori,negatur consequentia; nam inter cęteras conditiones, quas debet habere objectum, requiritur, quòd ipsi objecto adæquatè, & per se primò conveniant primæ passiones metaphysicæ; sed istę per se primò, non dicuntur de Deo, quatenus Deus est, sed quatenus ens est, aliàs non convenirent omni enti, ergo, non potest esse subjectum metaphysicæ; licet ad ipsum, tamquà m

ad primam causam omnia attribuantur. Instabis; Scotus 1. Metaphysicæ quæst. 1 §. his fractis docet; quòd Deus est objectum hujus scientię metaphysicæ ergo, &c. Respondetur, cum Mastrio Scotum problematicè hoc defendere ad mentem Averrois, non vero in mente propria, quam exprimit in libris sententiarum, quos composuit post metaphysicam, & præsertim quæst 5. prologi, ubi ait, quòd metaphysica non est de Deo, tamquam de subjecto. Respondetur 2., cum Antonio Andrea, dist. antecedens, Deus potest dici primum subjectum primitatè perfectionis, quatenus est ens perfectius, & nobilius positivè ente in communi, concedo antecedens, primitate adæquationis, ut est ens, nego antecedens.

Colligite Deum non esse objectum adæquatum metaphysicæ; quia scientia attingit objectum suum adæquatum, quantum ad conceptus proprios, sed metaphysica non potest sic attingere Deum, cum solum attingat Deum, quantum ad conceptus communes ergo, &c. Tum, quia, ex Aristotele 1. posteriorum, objectum scientię præsupponitur, & non probatur; sed Deus in metaphysica, probatur, quòd sit substantia sempiterna, ergo non potest esse subjectum metaphysicæ.

QUÆ.

QUÆSTIO VIII.

An ens reale commune Deo, & Creaturis, substantię, & accidenti sit subjectum adęquatum metaphysicę.

Sciendum cum Scoto 1. Metaphysicę quæst. 1., & quæst.3.prologi, lit.S. ubi ait;de principio subjecti dico, quòd non oportet principia scibilia esse principia in se ipsius subjecti, quia entis, inquantùm ens, quòd ponitur objectum metaphysicę, nulla sunt principia; unde supposito, quòd probatum est supra sexto metaphysicę 2. conclusione, quòd ens in quantùm ens est objectum in metaphysica,& 4.metaphysicę 3. conclusione, quòd conceptus entis realis est, unus unitate transcendentali, univocus, analogus, Deo, & Creaturæ.

Dico, quòd adęquatum subjectum metaphysicæ est ens reale,commune Deo,& Creaturis, substantiæ, & accidenti; ita Aristoteles 4.metaphysicæ text.1., Scotus 1.metaphysicæ quæst. 1., & quæst.3.prologi.

Probatur metaphysica ex Aristotele versatur circa maximè scibilia; sed ens, ut ens, est maximè scibile, ergo ens inquantum ens commune Deo,& Creaturis,substantię,& accidenti est objectum adęquatum metaphysicæ, minor probatur; nam maximè scibilia dicuntur, tùm ea, quæ primò

mò omnibus sciuntur, & in se scibilia sunt, hujusmodi sunt communissima, ut ens in quantum ens, tum illa, quæ habent perfectissimam entitatem, cujusmodi sunt principia, & causæ; sed ista non dicuntur sic cognosci disjunctim, & sine unitate, cum objectum scibile debeat esse unum propter unitatem scientię, ergo debet cognosci sub aliqua ratione communi, quæ non est aptior, nisi ratio entis cōmunis Deo, & Creaturis, substantię, & accidenti, ergo, sub ratione entis cognoscūtur.

Probatur 2. Objectum adæquatum alicujus scientiæ debet adæquari omnibus his, quæ per se tractantur in scientia, sed in metaphysica per se tractatur de substantia, & accidente, de Deo, & Creatura, & ens, ut ens adęquatur istis, cum sit unicum respectu istorum, ut dictum est, 4. metaphysicæ, 2. conclusione, & infra dicemus, ergo, &c.

Obicies 1. Aristoteles primo posteriorum docet, quòd de objecto debet esse notum, si est, & quid est, sed in metaphysica non est notum de ente quid est ergo, &c. Minor probatur; nam ex Porphirio cap. de specie, ens est ęquivocum, & ęquivocum, ex Aristotele non habet quid est, & dato, quòd sit univocum, non habet veram definitionem, cum non habeat genus supra se, nec differentiam per quam definiri possit, ergo ens non est objectum. Respondetur primo, negando minorem, ad probationem, distinguo antecedens, ens est ęquivocum physicè, concedo antecedens, metaphysicè, sivè logicè, nego antecedens; nec officit

cit data univocatione metaphysica, quòd non habeat verum genus, & veram differentiam, nam sufficit, quòd habeat ista æquivalenter sicut revera habet, cum ens describi possit per extraneitatem à nihilo ut sic, sivè simpliciter, quæ extraneitas realis stat loco generis, cum talis extraheneitas competat substantiæ, & accidenti, lii verò ut sic, sivè, simpliciter stat loco differentiæ, nam extraheneitas substantiæ dicitur per se, accidentis verò in alio. Respondetur secundo cum Antonio Andrea; quòd antecedens est insufficiens, cum non semper subjectum debeat habere diffinitionem propriè dictam, per genus, & differentiam, quia, ut sic nullum genus generalissimum haberet quidditatem propriè dictam, eò, quòd non datur genus supra genus generalissimum, & tamen quodlibet habet quid, cum quodlibet in quid de alio prædicetur, quare si illa propositio intelligatur de vera diffinitione, tunc solum verificabitur de quidditate speciei, cujus est propria diffinitio.

Obicies 2. ex Aristotele 1. posteriorum habetur, quòd subjectum debet habere passiones de ipso demostrabiles; sed hujusmodi non est ens, ergo &c. Minor probatur; nam subjectum differt realiter à sua passione, cum sit causa ipsius; sed ens à nullo potest differre realiter, cum in quodlibet includatur realiter, ergo &c. Respondetur, concedendo majorem, & negando minorem, cum sua probatione, & cum dicitur subjectum esse

cau-

causam suæ passionis, distinguo, metaphysicæ, concedo; physicę, nego; Axioma autem illud, quòd causa debet distingui realiter à causato, est verum, loquendo de causalitate physica, non autem metaphysica, quæ sunt causata non per verum, & realem influxum physicum; sed per simplicem emanationem, ut etiam explicatum est supra 7. metaphysicæ conclusione 13. unde, quòd causatur physicæ realiter distinguitur à sua causa, non autem, quòd causatur metaphysicè, vide supra 4. metaphysicæ con. 7. supra text. Istabis proprietas metaphysicè causata est accidens; sed accidens realiter distinguitur à suo subjecto substantiali, ergo, nulla responsio; Respondetur, distinguendo majorem; est accidens physicum, & extrinsecum, nego majorem, metaphysicum, & intrinsecum, concedo majorem; & distinguo minorem; accidens physicum, quòd habet rationem rei, concedo minorem, metaphysicum, quòd habet rationem realitatis, seù formalitatis, nego &c.

Obicies 3. subjectum saltem formaliter est extrà essentiam suæ passionis, sed ens non potest esse formaliter extrà essentiam alicujus rei, ergo, ens non potest habere suas passiones, minor probatur; alias illa res non esset ens, quòd est falsum. Respondetur concedendo majorem, & negando minorem, ad probationem, distinguo assumptum; illa res non esset ens idempticè, nego; formaliter, concedo; nam non implicat ens, formaliter esse extrà essentiam alicujus rei. Istabis, quòd est, formali-

maliter est ens, ergo ens formaliter non est extrà essentiam alicujus rei, ergo non potest habere propriás passiones. Respondetur distinguendo antecedens, quòd est, formaliter est ens, formaliter concedo, quòd est sic simpliciter, sivè identicè est formaliter ens, nego antecedens, ideo negatur consequentia; nam cum passiones entis sint extra nihil, sequitur, quòd formaliter non sint entia; sed aliquitates entis.

Obicies 4. omne subjectum debet habere sua principia, sed ens commune Deo, & Creaturis substantiæ, & accidenti, non habet sua principia, ergo, &c. Minor probatur; nam principia debent esse priora principiato; sed enti nihil est prius, ergo &c. Respondetur cum Scoto quæst. 3. prologi; ut etiam exposui supra 4. metaphysicæ conclusione 4 & 5. distinguendo majorem, debet habere principia, sivè complexa, sivè incomplexa, concedo majorem, tantùm incomplexa, nego majorem, sed distinguo minorem, non habet principia incomplexa, concedo minorem, complexa, nego minorem; principia enim complexa, dicuntur principia cognoscendi, & talia principia habet ens, in quantùm ens commune Deo &c. principia verò incomplexa sunt principia essendi, & talia principia non habet ens commune &c. aliàs Deus haberet principia sui esse; sed de hoc infra. Istabis, ens, quòd repetitur in Creatura, non solùm habet principia cognoscendi, sed etiam essendi; nam est ens dependens, ergo falsum est, quòd

ens in quantùm ens, non habeat principia essendi, & incomplexa; Respondetur, concedendo antecedens, & distinguendo consequens; accipiendo, lii in quantùm specificativè, concedo, reduplicativè, nego consequentiam; nam specificativè loquendo, sensus est, quòd enti, in quantùm enti, scilicèt enti, secundùm suam entitatem, non repugnat habere principia incomplexa, & hic sensus est verus; aliter si enti secundùm suam entitatem repugnarent principia incomplexa, sequeretur, quòd in Creatura ratio entis esset imparticipata; loquendo verò reduplicativè, sensus est, quòd ens in quantùm ens habeat principia essendi, & sic sensus est falsus; Tum quia Deus si includeret ut sic rationem entis haberet principia sui esse; Tum, quia ut infert Scotus 4. metaphysicę, si ens in quantum ens haberet principia essendi daretur processus in infinitum in causis, & causatis, quia principium est causa entis, ut ens, & si hoc ens haberet principia essendi, de novo illa principia, cum essent entia deberent etiam habere principia essendi, & sic in infinitum. Istabis; in illo sensu debet habere principia essendi, in quo statuitur objectum metaphysicę; sed in sensu reduplicativo ponitur objectum metaphysicæ, ergo in sensu reduplicativo debet habere principia essendi; minor probatur ex Scoto quęst. 3. prologi, ubi ait, quòd scientia metaphysica, quæ speculatur ens, in quantùm ens, lii in quantùm accipitur reduplicativè, ad denotandum, quòd ratio particularis entis,

tis, est ratio formalis objectiva huius scientiæ; secundùm quam, omnia in scientia considerantur. Respondetur cum Scoto, ubi supra, negando majorem esse simpliciter veram; nam non est necesse, quòd si reduplicativè ens, in quantum ens est objectum metaphysicæ, quòd reduplicativè etiam habeat principia essendi, aliter Deus, ut Deus, non posset esse objectum in Theologia, cum non habeat principia essendi; habet Scotus hæc verba, quòd *lii* in quantum ens, potest accipi dupliciter, ut dictum est, vel specificativè, vel reduplicativè, specificativè habet principia essendi, non verò reduplicativè.

Obicies 5. Unius scientię unicum debet esse objectum reale; sed ens commune acceptum, Deo & Creaturis, non est sic, ergo &c. Minor probatur; nam, quæ sunt se totis distincta, nihil commune reale habent, in quo conveniant, sed sic est Deus & Creatura, ut patet &c. Respondetur; Cum Antonio Andrea, concedendo majorem, & negando minorem, ad cujus probationem, nego minorem; nam Deus, & creatura non distinguntur in conceptu reali entis.

Obicies 6. Objectum scientiæ debet constare ex parte materiali, & formali, sed ens, ut ens, cum sit simpliciter simplex non est hujusmodi, ergo non est objectum &c. Respondetur, concedendo majorem, & distinguendo minorem, in se ipso, concedo minorem, in ordine ad intellectum metaphysicum ipsius entis speculativum, nego

minorem &c. Modò, licèt ens in se ipso sit simpliciter simplex, tamen in ordine ad intellectum metaphysicum dicitur constare ex parte materiali, & formali, constat enim ex parte materiali, quatenus est illud, quòd consideratur ab intellectu, constat ex parte formali, quatenus ratio considerandi ens est ipsa formalitas entis, scilicèt in quantùm ens. Istabis ratio formalis debet esse diversa à ratione materiali; sed formalitas entis, non est diversa ab ente, ergo non possumus distinguere ab ente partem formalem, & materialem. Respondetur distinguendo majorem, in scientiis particularibus, concedo majorem, in scientiis universalibus, ut est metaphysica, subdistinguo majorem, quantùm ad modum considerandi, concedo, quantùm ad rem consideratam, nego, & distinguo minorem, quantùm ad modùm considerandi nego minorem, quantùm ad rem consideratam, concedo minorem; ut enim diximus cum Scoto, ens in quantùm ens accipitur reduplicativè, ad denotandum, quòd ratio formalis entitatis est ratio formalis objectiva hujus scientiæ.

QUÆSTIO IX.

An metaphysica versetur circa rerum omnium quidditates in particulari, vel in universali.

SCiendum est primò ex Aristotele 6. metaphysicę, & ex Scoto ibidem, quod istæ tres scientiæ

tiæ reales; scilicet physica, metaphysica, & mathematica, distinguuntur pænes modùm considerandi objectum; nam physica est circa inseparabilia, & mobilia; mathematica circa immobilia, & inseparabilia, metaphysica verò, circa separabilia, & immobilia; item distinguntur per hoc, quia physica considerat entia, pro ut non sunt separabilia à materia, & pro ut mobilia sunt; mathematica, adhùc considerat entia conjuncta materiæ, tamen, secundùm esse, non secundùm rationem; metaphysica verò considerat entia, secundùm esse, & secundùm rationem abstracta à materia, & motu, idcircò, dicitur physica considerare res immersas in materia, re, & ratione; mathematica immersas re, & non ratione; metaphysica verò considerat res abstractas à materia, re, & ratione.

Sciendum 2. ex Trombeta in prologo metaphysicę quęst. 1. §. quantùm ad primum, quòd quando dicitur, quòd metaphysica considerat quidditates rerum in universali, potest sumi duobus modis, uno modo, quòd ipse quidditates consideratę à metaphysica in se sint tales; secundo modo, quòd non considerantur sub ratione particulari, sed solùm universali, & similiter potest dici, quòd considerare quidditatem in particulari potest esse duobus modis, uno modo, quod ipsa quidditas sit particularis; alio modo, quòd ultra hoc consideretur, etiam sub ratione particulari, hæc Trombetta; & subdit in ultimo notabili, quòd consideratio metaphysica de aliqua quidditа-

ditate particulari poteſt eſſe duobus modis, uno modo abſolute, ſiſtendo ultimatè in tali conſideratione particulari, alio modo reſpectivè referendo talem conſiderationem ad ens, ut etiam ſupra expoſui in primo metaphyſicę concluſione 12. & 13., & quia quidditates rerum, aliæ ſunt materiales, & alię immateriales.

Dico primò, quòd loquendo de quidditatibus materialibus, metaphyſica conſiderat quidditates in univerſali ſolùm, & non in particulari; Ita Ariſtoteles in prohęmio metaphyſicæ, eſt contra Egidium Romanum, & Mirandulanum, aſſerentes metaphyſicam conſiderare omnia inferiora entis in communi, ſecundùm propriam rationem eorum, &, quòd pejus inferunt, unam tantùm eſſe ſcientiam omnium rerum.

Probatur primò authoritate Ariſtotelis 4. metaphyſicę text. 1, ubi ait; eſt ſcientia quædam, quæ ſpeculatur ens, ut ens eſt, & quæ ei per ſe inſunt, cæteræ verò ſcientiæ, ſolùm aliquam partem entis conſiderant, ergo in ſententia Ariſtotelis ſcientiæ particulares, rerum quidditates in particulari conſiderant, & loquitur ſpecificativè, ut indicant illa verba, ſolùm aliquam partem entis conſiderant; ſed metaphyſicus conſiderat, ens in quantùm ens, & conſequenter omnium rerum quidditates ſub conceptu entis, ergo metaphyſica non in particulari, ſed in univerſali omnes quidditates rerum materialium conſiderat.

Probatur 2. ratione; metaphyſica rerum om-

omnium materialium dicitur ſcientia univerſalis, & communis, ergo habet conſiderare illarum quidditates in univerſali, & in communi aliter eſſet ſcientia particularis, & non communis, cum ſcientiæ ab iſtis rebus ſpecificantur. Confirmatur; nam ſi metaphyſica conſideraret quidditates rerum materialium, ſecundùm proprias rationes, & in particulari, ergo aliæ ſcientiæ eſſent ſuperfluę; conſequentia patet, nam in tantum datur ſcientia phyſica, inquantùm datur conſideratio corporis naturalis, habentis principium motus, & quietis, & in tantùm datur ſcientia mathematica, inquantùm datur conſideratio quantitatis, fundantis ęqualitatem, & inæqualitatem, ergo ſi metaphyſica conſideraret corpus naturale, ut habet principia motus &c., & corpus quantum &c. fruſtra daretur ſcientia phyſica, & mathematica, cum fruſtra fiunt per plura, quæ poſſunt fieri per pauciora, ergo metaphyſica non debet conſiderare quidditates omnium rerum in particulari.

Obicies 1. Scotus in primo diſtinct. 2. quæſt. 2. lit. A. arguendo contra D. Thomam docet, quòd metaphyſica ſit, ad quòd genus pertinet linea, &, quòd metaphyſicus conſiderat iſtam propoſitionem, linea eſt ſpecies quantitatis continuę diſtincta à corpore, & ſuperficie; ſed iſta propoſitio non cognoſceretur à metaphyſico diſtinctè, niſi conciperet lineam in particulari, ergo metaphyſicus conſiderat, non ſolùm in univerſali; ſed etiam in particulari quidditates rerum. Reſpondetur

detur cum Trombeta; diſtinguendo majorem, Metaphyſicus conſiderat lineam diſtinctam à corpore,&c. indutus ſolùm habitu metaphyſico nego majorem, indutus etiam habitu mathematico, concedo majorem; in caſu conſideratur linea,ut diſtincta à corpore, & ſuperficie, quia intellectus metaphyſicus habet habitum ſcientiæ phyſicæ,& mathematicæ.

Obicies 2. Conſiderans doctrinam aliquorum extremorum, ſecundùm proprias rationes, debet conſiderare illas partes, ſecundùm rationes particulares ipſorum extremorum, ut deducitur ex Ariſtotele 2. de anima capite de ſenſu, & ſenſato; ſed metaphyſica conſiderat doctrinam ſubſtantiæ corporeæ, & incorporeæ, cùm dividat ſubſtantiam, &c., ergo debet conſiderare ſubſtantiam corpoream,& incorpoream,ſecundùm gradus particulares. Reſpondetur, concedendo majorem, & diſtinguendo minorem, conſiderat doctrinam ſubſtantiæ corporeæ, & incorporeæ, ſecundùm proprias rationes, nego minorem, ſecundùm rationes communes, concedo minorem, nam ut dicemus,licet metaphyſicus poſſit cognoſcere ſubſtantiam particularem incorpoream,&c. non tamen poteſt ſub conceptu proprio, & particulari. Iſtabis,ille verè dicitur artifex,qui ponit differentiam inter ſubſtantiam corpoream, & incorpoream, ut ſunt,ſed talis artifex, non eſt mathematicus,nec phyſicus,ergo erit metaphyſicus, qui conſiderat in particulari quidditates. Reſpon-

spondetur, concedendo majorem, & distinguendo minorem, non est physicus, solitariè acceptus, concedo minorem, non solitariè acceptus, nego minorem; nam talis artifex erit habens habitum metaphysicæ, & physicæ.

Obicies 3. Potentia intellectiva non solùm cōsiderat quidditates materiales in universali, sed etiam in particulari, ergo etiā sic metaph.; conseq. patet, à simili; nam ita se habet potētia inferior ad superiorē, ac habitus inferior ad superiorē, ergo si potētia superior poterit cognoscere quidquid cognoscit inferior, poterit etiā habitus superior, quicquid poterit inferior, sed scientia metaphysica est habitus superior, & physica inferior, ergo metaphysica poterit cognoscere quidditates rerum in particulari, sicut cognoscit physica, quæ est habitus inferior. Respondetur, cum Scoto primo Metaphysicæ; concedendo antecedens, & negando consequentiam, cum sua probatione; nam potentia superior intellectiva est ratio cognoscendi mediantibus sensibus, & quia in intellectu possunt dari species rerum universalium, & particularium, ideò potest se extendere ad universale, & particulare. Habitus verò non est ratio cognoscendi, nisi repræsentando rem, & quia habitus conclusionis non est repræsentativus particularium, ideò paritas non currit, nam contigit aliquod sciri in universali, absque eò, quòd sciatur in particulari, quòd non eveniret, si habitus esset repræsentativus illorum particulariū, & sic satisfit Egidio Romano.

Obi-

Obicies 4. Ex Aristotele 6. Metaphysicæ; nulla scientia præter metaphysicam considerat quodquid est, ergo ipsa debet considerare quidditates omnium rerum in particulari. Respondetur cum Scoto citato distinguo antecedens in universali concedo antecedens, in particulari, nego antecedens; Istabis; ergo in universali est imperfecta cognitio, & confusa; sed cognitio metaphysica est distincta, & perfecta ergo, &c. Respondetur ex doctrina Scoti, ubi supra, concedendo majorem, & distinguendo minorem, est perfecta, & distincta pro ut se extendit ad cognitionem universalium in se, concedo minorem, pro ut per accidens tendit ad cognitionem universalium includentium materiam, & motum, nego minorem ergo, &c. Non enim repugnat metaphysicam esse distinctam in ordine ad objectum, quòd respicit per se, seclusa verò ea, qua per accidens contemplantur. Istabis; Cuicunque competit unum oppositorum per se; reliquum oppositum ei non competit, neque per se, neque per accidens, ut patet in hac propositione, non per se, est rationalis; sed confusum, & distinctum sunt opposita; & metaphysicę competit per se cognitio distincta in ordine ad omnes quidditates universales in se, ergo per accidens sibi competere non potest cognitio confusa in ordine ad quidditates particulares, & motus, & sic nulla responsio. Respondetur cum Trombetta, distinguendo majorem, quando lii per se determinat inhærentiam, concedo majorem; quan-

quando determinat solum inhærens, nego majorem, & eodem modo distinguitur minor; nam in casu, lii per se determinat inhærens, & non inhærentiam; ista enim particula,per se,aliquando determinat inhærentiam,scilicèt copulam unientem subjectum,cum prædicato; aliquando determinat inhærens, scilicèt prædicatum, & ut docet Anglicus Scotista, in expositione logicæ Scoti; Tunc lii per se determinat inhærentiam, quando denotat, quòd tale prædicatum conveniat per se subjecto,ita,quòd illa inhærentia est per se,& non per accidens, ut in hac propositione, homo est rationalis; tunc verò non determinat inhærentiam, sed inhærens, quando non denotat tale prædicatum per se convenire subjecto;sed solùm per accidens, ut in hac propositione, homo est per se species; modò in casu,quòd metaphysica habeat per se distinctam cognitionem universalis in se, est, quia,lii per se denotat inhærens; scilicet cadit supra quidditatem universalem in se, quæ, ut in se, est distinctè cognoscibilis, non verò lii per se denotat inhærentiam,quasi,quòd distincta cognitio sit prædicatum per se, & ex natura rei competens metaphysicæ.

Dico secundò,quòd metaphysica considerat substantias separatas immateriales,scilicèt,Deum, & Angelos,non solùm in universali, sed etiam in particulari, non tamen, quò ad conceptus proprios,& divisibiles, conclusio cõtinet tres partes,

Probatur 1. pars. Eus, inquantùm ens est ob-

objectum in metaphysica, ergo omnia, quæ includunt rationem entis, & abstrahunt re, & ratione à materia, & motú debent ad metaphysicam pertinere; sed sic se habent substantiæ separatæ, ut probatum est supra ergo, &c.

Probatur 2. pars; Substantię separatę consideratę sub conceptu particulari, intelliguntur, vel sub conceptu independentiæ, ut est substantia separata Dei, vel sub conceptu simplicis actualitatis, ut est substantia Dei, & Angeli, sed isti conceptus pertinent ad metaphysicam, cum sint abstracti, re, & ratione à materia, ergo, metaphysica non solùm considerat res immateriales abstractas in universali, sed etiam in particulari.

Probatur 3. pars. Ad metaphysicam Aristotelis pertinent, illi conceptus, qui considerantur sub rationibus abstractibilibus, & immaginabilibus à sensibus, nec non sub passionibus entis, qui possunt oriri via sensuum, & phantasmatum, sed conceptus proprii, & specifici substantiarum abstractarum non sunt abstrahibiles à sensibus, ergo non possunt pertinere ad metaphysicam Aristotelis. Minor probatur; nam conceptus proprii, & specifici Dei, & Angeli non fundant respectu intellectus nostri, aliquod motivum sensibile, à quo sumpta abstractione possit intellectus ipsos considerare.

QUÆ-

QUÆSTIO X.

An Metaphysica possit probare dari substantias astractas.

SCiendum, quòd supra dictum est 12. Metaphysicæ in explicatione text. conclusione 8., 9., & 10., quòd metaphysicus potest probare substantias separatas esse, non à priori; sed tantùm à posteriori, contra Averroem substinentem substantias abstractas probari à scientia naturali, non autem à metaphysica.

Dico, quòd metaphysica potest probare dari substantias abstractas; sic Scotus quæst. 3. prologi, lit. 5., & 6. metaphysicæ, quæst. 4.

Probatur, à Scoto, multitudo entium, dependentia, & compositio, quę sunt passiones metaphysicę ostendunt aliquod esse simpliciter, seù simplex, & independens actu, & necesse esse, ergo de mente ipsius, metaphysicus potest probare dari substantias abstractas.

Probatur 2. Ex illo axiomate Aristotelis 6. physic. text. 1., illud, quòd melius est semper arbitramur in natura esse, si possibile est, unde sic arguò; Datur aliqua substantia materialis, & corporea, V. G. Equus; Datur aliqua substantia, quę partim est corporea, & materialis, partim incorporea, & immaterialis, ut homo, ergo debet dari aliqua substantia merè incorporea, & intellectualis,

lis,ut Deus,& Angelus, quia hoc est primum in natura. Confirmatur; nam ex Aristotele, dato uno oppositorum, debet dari, & reliquum; sed dantur substantię materiales creatę, ergo debent dari substantię immateriales; sed hoc fusius probatum est supra, 1. metaphysicæ conclusione 11.

Obicies 1. Non potest dari medium, quo metaphysicus probet dari substantias abstractas, ergo,&c. probatur antecedens; nam medium deberet esse abstractum, cum omnia, quæ considerat metaphysicus, sint abstracta; sed per medium abstractum posse probari dari abstractum, est petitio principii, ergo metaphysicus non habet medium, quo probet dari substantias abstractas. Respondetur, cum Fabro Faventino, negando antecedens,ad probationem,concedo majorem,& distinguo minorem; per medium abstractum æqualiter ignotum,ut est illud abstractum,quòd debet probari, concedo minorem; per magis notum, nego minorem;nam, licèt omnia metaphysicalia sint abstracta à materia, & motu, non tamen sunt ejusdem rationis, quædam enim media sunt magis nota, & sic per magis nota devenimus ad cognitionem eorum, quæ sunt minus nota, & per hoc non fit petitio principii, arguendo de abstracto magis noto, ad abstractum minus notum. Instabis, nos non intelligimus, nisi mediantibus sensibus, ergo omnia, quæ sunt insensibilia, ut sunt abstracta à materia,& motu,sunt æquæ nobis incognoscibilia, & ignota, ergo medium metaphy-

physicum, ut nobis æquè ignotum, non potest per tale medium aliud probari. Respondetur, cum Trombetta, distinguendo antecedens, ut supra, in ordine ad notitiam simplicem terminorum, concedo antecedens, complexam, nego antecedens; Habet enim Trombetta, hęc verba; licet enim intellectus dependeat à sensibus, quo ad notitiam simplicem terminorum, non tamen, quo ad notitiam complexam principiorum, & conclusionum deductarum, seù deducendarum, ut patet in hoc principio, omne totum est majus sua parte, cognita natura extremorum hujus principii, via sensus, & præsupposita tali cognitione, adhùc intellectus assentiret firmiter huic principio, dato, quòd nunquam sensus percipiat extrema hujus principii.

Obicies 2. substantię abstractę non probantur, nisi per motum, ut docet Aristoteles in pluribus locis; sed metaphysicus abstrahit à motu, ergo non potest probare substantias abstractas. Respondetur, distinguendo majorem, à physico, concedo majorem, à metaphysico, nego majorem.

Obicies 3. substantia materialis non potest cognosci pro statu isto, ex Scoto in primo dist. 3. quęst. 3. ergo, à metaphysico non possunt probari substantię separatę; consequentia probatur; nam in tantùm substantia materialis non potest cognosci pro statu isto, in quantùm non immutat intellectum nostrum ad aliquam intellectionem sui, ex eò, quia non est sensibilis, ergo à fortiori cum substantię abstractę sint magis insensibiles,


sunt

sunt minus cognoscibiles, ergo &c. Respondetur ex doctrina ejusdem Scoti,quæst.prima prologi,& in 1. dist.3.quæst.3.distinguendo antecedens; non potest cognosci sub conceptu proprio,& particulari, concedo antecedens; sub conceptu communi,nego antecedens; sufficit enim metaphysicę, ut cognoscat substantias abstractas sub aliquo conceptu communi, ad hoc,ut probet illas dari.

Collige primò, substantiam materialem pro statu isto, sub proprio conceptu naturali desumpto à particularibus, non posse à nobis naturaliter cognosci; nam ut dicemus in tract. animastico, objectum nostri intellectus pro statu isto ex natura potentiæ, secundùm naturalem attingentiam est quidditas rei sensibilis;sed ipsa substantia sub proprio conceptu substantiæ non est sensibilis,cum non sit quanta,nec qualis ergo &c.

Collige 2. pro statu isto substantiam cognosci à posteriori, scilicèt ab effectibus; seù accidentibus, undè nos cognoscimus accidentia, scilicèt quantitatem, & qualitatem, & concedimus esse aliquod illorum subjectum, quòd semper manet, etiam accidentibus corruptis, & ideò hoc subjectum appellamus substantiam, & sic mediis accidentibus devenimus ad cognitionem substantiæ.

DI-



DISPVTATIO SECVNDA

De natura entis.

ENs ſecundum etymologiam nominis ſignificat id, quòd eſt, aut id, quod habet eſſe, & ſumi poteſt quinque modis ; primò communiſſimè, pro ut ſe extendit, tùm ad entia realia, tum entia rationis ; ſecundo poteſt ſumi pro veritate propoſitionum, in quo ſenſu dicebat Ariſtoteles, ex eo, quòd res eſt, vel non eſt, oratio dicitur vera, vel falſa, tertio pro entitate rerum, ſcilicèt, pro omni poſitivo, quarto pro ente per ſe diſtincto ab ente in alio, in quo ſenſu dicebat Ariſtoteles 6. metaphyſicæ ; quòd ſubſtantia eſt ens, accidens verò non eſt ens, ſed entis ens, ſeù aliquid entis ; quinto poteſt ſumi pro ente reali, tàm prædicamentali, quam extra prædicamenta, & in hoc ſenſu eſt præſens diſputatio ; unde ſuppoſito, quæ dicta ſunt ſupra in explicatione text. 4. metaphyſicę conc. 1. 2. 3. 4. 5. & 6. & ſexto metaphyſicę concl. 2., & 3. quæritur.

QUÆSTIO I.

Quęnam sit prima divisio entis.

Sciendum cum Syrrecto quæst. 2. suarum formalitatum, quòd ens ut sic primò dividitur in ens reale, & rationis,& quòd ens reale sit illud, quòd habet esse seclusa quacumque operatione intellectus, sivè quocunque actu collativo cujuscunque potentiæ, sivè intellectus, sivè voluntatis, ens verò rationis est illud, quòd habet esse dependenter ab intellectu; modo queritur,quęnam sint prima membra,quę dividunt ipsum ens reale. Aliqui Tomistę sequentes Soncinnam 7.metaphysicæ quæst.1. substinent, ens dividi in unum, & multa, sivè in ens per se, & per accidens. Neuterici sequentes Suarez;tom. 1.metaphysicæ disp.4. sess.1. docent primam divisionem entis esse per finitum, & infinitum; Scotistę sequentes Scotum quolib. 5.docent ens reale in prima sui divisione dividi in ens quantum, & non quantum; sic etiam docet Scotus in primo dist.3. quæst.3.

Sciendum 2. quòd ens quantum duplex est, scilicèt molis, & virtutis primum est ens extensum; secundum est ens habens aliquem gradum perfectionis, unde Augustinus lib.de fide ad petrum ait, in his,quæ carent mole, idem est majus, quòd melius; ens verò non quantum, nec quantitate molis, nec quantitate virtutis, est illud,quòd nul-

nullam extenſionem, nullamque perfectionem importat, ſed à perfectione, & imperfectione abſtrahit, ut ſunt relationes originis in divinis, quę, quia nec formaliter finitę, nec formaliter infinitę ſunt, ideo nec perfectę, nec imperfectę.

Sciendum 3. ex Scoto quolibeto *6.*, quòd quantitas virtutis, & perfectionis, ſolùm nata eſt competere entitati, quę ad alias comparata, poteſt excedere illas, vel exceditur, quia omnis res, cui quantitas virtutis competit, vel eſt finita formaliter in perfectione, vel infinita; ſi eſt finita comparata ad infinitam exceditur ab ipſa, ſi verò eſt infinita excedit ipſam, & quia relationes divinę non excedunt, neque exceduntur, cum omnes perſonæ divinæ ſint æquales in perfectione, ideò ſunt entia non quanta, nec quantitate molis, nec quantitate virtutis.

Dico, quòd prima diviſio entis, ut communis Deo, & creaturis eſt in ens quantum, & non quantum, cæteræ verò diviſiones ſunt poſteriores, & minus intimæ ipſi enti; ſic Scotus quolibeto 5. Trombeta in prol. metaphyſicæ quæſt. 1. ſyrectus ubi ſupra, & omnes Scotiſtæ contra Thomiſtas, & Neutericos, ut etiam expoſui 4. metaphyſicę conc. 1. Probatur primò; Illa eſt prima diviſio entis realis, ſub cujus membris diviſis, omnia alia membra in quę poteſt dividi ens continentur, & è contra, illa non eſt prima diviſio entis, quę non adęquat omnia membra dividentia; patet de prima diviſione ſubſtantię in corpoream,

O 2 & in-

& incorpoream; sed divisio entis in quantum, & non quantum est hujusmodi & non sic divisio entis in finitum, & infinitum; & per unum, & multa, ergo &c. Minor probatur; nam nulla sunt entia, quę non contineantur sub aliquo istorum membrorum, scilicèt, aut sub quanto, aut sub non quanto, si verò ens primò divideretur in ens finitum, & infinitum, sub istis membris non continerentur relationes divinę quę non sunt, nec formaliter finitæ, nec formaliter infinitæ, & si divideretur per unum, & multa, sub istis membris non contineretur ens ultima abstractione abstractum, quòd ut sic non est neque unum, neque plures, ergo prima divisio entis est per quantum, & non quantum.

Probatur 2. à Trombeta, Quod competit rei in esse quidditativo, est intimius illo, quòd non competit rei in tali esse quidditativo, sed quantitas virtutis competit rei in esse quidditativo, unitas autem, & multitudo non sic, ergo quantitas virtutis est intimior enti, quàm sit unitas, & multitudo, ergo prius ens est quantum, quàm sit unũ, aut multiplex; Major est certa; nam homini competit rationalitas in esse quidditativo, & non risibilitas, ergo est intimior illi, & prius illi competit, quàm risibilitas; Minor probatur; nam unitas, & multitudo, aut competunt rei in secundo modo, aut saltem non competunt rei in esse quidditativo, ex Avicenda 5. metaphysicæ, ubi docet, quòd equinitas, nec est per se una, nec plures quã-

titas

titas autem virtutis competit in esse quidditativo ipsius rei, saltem, ut modus intrinsecus, ergo quidditati intimior est quantitas virtutis, quàm unitas, & multitudo; consequentia probatur; nam quantitas virtutis non distinguitur realiter, nec formaliter positivè ab eo cujus est quantitas virtutis, unum verò, & multa, cum sint passiones entis distinguntur formaliter ab ipso, aut saltem competunt ipsi in 2. modo, aut saltem non competunt in esse quidditativo, ergo &c. Confirmatur; nam accepta aliqua quidditate in sua ultima abstractione, V. G. humanitas, adhùc ipsa est perfectior asinitate, & imperfectior Deitate, non tamen est una, vel plures, secundùm dictum Avicendæ, ergo quantitas virtutis intimior est ipsi quidditati, quàm unitas, & multitudo, ergo ens dividitur primò, & per se in ens quantum, & nō quantū.

Obicies 1 pro Thomistis. Accipiatur illa natura, scilicèt equinitas, verè, & ut sic abstracta est distincta ex natura rei à suo modo intrinseco, ergo est indivisa in se, & divisa à quocumque alio, quòd non est ipsa, ergo est una, & tamen ut distincta à suo modo non est quanta. Respondetur, cum Vallone, questione prima de divisione entis, negando antecedens, nam illa quidditas, ut prior suo modo intrinseco, nec formaliter distinguitur, nec non distinguitur, tamen considerata fundamentaliter, scilicèt in quantum sibi advenit talis passio, & modus intrinsecus, tunc distinguitur formaliter positivè, in sententia Vallonis; vel for-

formaliter præscindat ab unitate, & diversitate.
Istabis, ex Aristotele 4. metaphysicę, omne ens enti comparatum, aut est idem, aut diversum, sed quidditas in illo priori est ens comparatum enti quanto, & non quanto, ergo in illo priori, aut est idem, aut diversum, ergo, non potest formaliter pręscindere. Respondetur distinguendo majorem, quando nullum intermediat syncathegorema, concedo majorem, quando intermediat, nego majorem, & concessa minori, negatur consequentia; nam verum est, quòd omne ens, enti comparatum, aut est idem, aut diversum, ut sic absolutè, tamen non sic formaliter in illo priori in quo præscindit, nam homo V. G. licèt sit diversus ab equo, formaliter non habet, nec, quòd sit idem, nec quòd sit diversus, formaliter enim solum habet dicere humanitatem.

Obicies 2. Ex Pasqualicio; ens non quantum in sententia Scoti, est illud, quòd nullam dicit perfectionem; sed hoc ens, quòd nullam dicit perfectionem, non potest dari, ergo neque potest dividi ens, in quantum, & non quantum, cum divisum debeat habere membra dividentia; minor probatur; nam non potest dari ens, quòd non sit bonum, cum ens, & bonum convertantur, ergo non potest dari, ens quòd sit non quantum. Respondetur, concedendo majorem, & negando minorem; ad probationem distinguo antecedens, non potest dari ens, quòd non dicat bonitatem trascendentalem, concedo antecedens, quantita-

tivam,& formalem,nego antecedens,& distinguo consequens; non potest dari ens, quòd non dicat perfectionem trascendentalem, concedo, quòd non dicat perfectionem quantitativam, & formalem,nego; bonitas trascendentalis excludit negationem perfectionis, licèt non includat affirmationem perfectionis; bonitas verò quantitativa,& formalis addit positivam perfectionem, prętet quàm, quòd potest distingui illa probatio minoris, bonitas convertitur cum ente quanto, cognito ab Aristotele,concedo,cum ente non quanto, & non cognito ab Aristotele, ut sunt relationes divinę,nego;Hinc non valet simpliciter dicere, non potest dari ens, quòd non dicat bonitatem, cum hoc verum sit de ente cognito ab Aristotele, non verò de ente in tota sua communitate accepto. Istabis; non potest dari ens quin habeat suam essentiam, ergo quin habeat suam perfectionem, ergo non potest dari hoc ens, non quantum prima consequentia patet; nam perfectio essentialis alicujus rei non distinguitur ab essentia illius rei. Respondetur distinguendo antecedens, quin habeat suam essentiam, sivè quantam, sivè non quantam, concedo antecedens, quantam solùm, nego antecedens; nam relationes divinæ, ut in Trinitate,pater habet suam essentiam, non tamen suas peculiares perfectiones. Istabis. Relationes creatæ sunt quantæ, cum verè excedantur in perfectione ab entibus absolutis creatis, ergo à fortiori relationes originis increatæ debent esse

quan-

quantæ. Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam; nam relationes creatę, quia formaliter finitæ, & capaces perfectionis, & imperfectionis, ideò quantæ; relationes verò, originis, quia nec formaliter finitæ, nec formaliter infinitę, nec capaces perfectionis formalis, vel imperfectionis, ideò non sunt quantę. *Instabis*, si relationes originis non essent quantæ, scilicèt haberent negationem perfectionis, illis repugnaret perfectio, ergo propter aliquam imperfectionem in eis repertam; non repugnatia enim in aliquo positivo fundari debet, sed falsum est relationes divinas esse imperfectas, ergo falsum est habere negationem perfectionis. Respondetur, distinguendo antecedens, si positivè haberent perfectionis negationem, illis repugnaret perfectio, concedo antecedens; si solùm præcisivè, nego antecedens; nam animal, quia ex se, nec est positivè rationale, nec positivè irrationale, dicitur habere negationem rationalitatis, non tamen positivè, quia si sic, repugnaret sibi rationalitas; sed solùm negativè, & pręcisivè, ita pariformiter discurrite de relationibus divinis.

QVÆSTIO II.

An ens ut sic ante divisionem dicat conceptum univocum enti reali, & rationis.

SCiendum, quod dictû est supra in expositione text. in 4. metaphysicę conclusione 2., quòd

ens

ens ante divisionem per quantum, & non quantum, non dicit conceptum univocum; sed tantum vocem, & nomen entis ęquivoci in sua ęquivocata, & est communis sententia omnium Scotistarum; Thomistarum, & Neutericorum, excipitur Bonetus, & etiam Mauritius Scotista, à quibus non dissentit Bargius in primo dist. 25. quæst. unica, & probabilem hanc opinionem defendit.

Dico ergo, quòd ens ut sic, non est univocum enti reali, & rationis; sic Scotus 9. metaphysicę quęst. prima.

Probatur; non potest assignari conceptus entis, cui, vel non repugnat, vel repugnat existentia realis, ergo non potest assignari conceptus communis univocus enti reali, & rationis consequentia probatur, nam, si illi repugnat existere à parte rei, ergo est conceptus entis rationis; si non repugnat, ergo est conceptus entis realis, ergo non datur conceptus communis enti reali, & rationis. Confirmatur, ens reale, secundùm se totum, & secundùm quamlibet rationem ejus est quid reale, & non rationis, & ens rationis, secundùm se totum, & secundùm quamlibet rationem ejus, est quid rationis, & non reale, ergo implicat, quòd ab ente reali abstrahatur conceptus non realis, & ab ente rationis conceptus non rationis; consequentia sequitur; nam ille conceptus non esset realis, quia tunc non diceretur de ente rationis; non esset rationis, quia non diceretur de ente reali ergo, &c. Respondet Mauritius, quòd ille con-

conceptus entis ex se præscinderet, neque enim dicerer repugnantiam, ad existendum realiter, neque non repugnantiam, sicut animal, non dicit rationale, nec irrationale.

Contra iste conceptus entis non potest præscindere ab hoc, quòd sit dependens ab intellectu, & ab hoc, quòd non sit dependens ab intellectu, ergo nulla responsio; Antecedens probatur dupliciter, & primò; quia ista sunt pura contradictoria, sine syncathegoremate, & sine medio; secundò, quia si quæratur, est nè talis conceptus eò, quia intellectus considerat ipsum, an est eò, quia non considerat ipsum, non potest respondere, neque hoc, neque illud; sed præscindit, quia non potest explicari quisnam esset ille conceptus, ergo talis conceptus non potest esse univocus enti reali, & rationis. Respondet denuò, quòd ens in suo conceptu dicit non repugnantiam ad essendum, præscindendo, an per intellectum, an à parte rei: Contrà, vel illa non repugnantia competit enti nullo intellectu cogitante, vel per intellectum; si primum erit conceptus realis, si secundum erit conceptus rationis, ergo nulla responsio.

Obicies 1. Scotus quolibeto 3. docet, ens, ut commune enti reali, & rationis esse objectum intellectus, ergo in sententia Scoti, ens ut sic, est univocum enti reali, & rationis, consequentia sequitur, aliter non posset esse objectum intellectus. Respondetur, cum Vallone, distinguendo antecedens, ut commune enti reali, & rationis est obje-

ctum

ctum motivum, nego antecedens, purè terminativum, concedo antecedens; Objectum enim motivum, & per se primò terminativum, ficuti est ens reale, utique est univocum, non sic verò objectum secundariò terminativum, sicut est ens rationis, ad quod intelligendum, intellectus per accidens, & indirectè se extendit.

Obicies 2 Omnis intellectus certus de uno conceptu, & dubius de duobus, habet conceptum de quo est certus, alium de conceptibus, quibus est dubius, ex Scoto in 1. dist. 3. quæst. 2. lit. B., sed intellectus potest esse certus de aliquo, quòd sit ens dubius verò, an sit ens reale, vel rationis, ergo habet conceptum de quo est certus alium à conceptibus de quibus, est dubius, ergo datur conceptus communis enti reali, & rationis. Respondetur, concedendo majorem, & distinguendo minorem, in hoc casu potest esse certus de voce alicujus quòd sit ens, concedo minorem, de conceptu signato ipsius vocis, nego minorem; In casu enim, ut docet Maironus, intellectus solùm est certus de vocabulo entis, non autem de aliqua re, nec de aliqua ratione una formali. Istabis, cum Bargio; si hæc responsio valeret, ergo sic posset respondere Henricus ad rationem Scoti, dicendo, quòd intellectus viatoris potest esse certus de vocabulo, & de voce entis, non verò de conceptu, & ratione formali una ipsius entis. Respondetur, negando consequentiam, nam Scotus utitur illo principio in ordine ad duo extrema realia, quibus corre-

spon-

spondere potest, non solùm vocabulum, seù vox entis, sed etiam conceptus, & ratio formalis, una, ideo intellectus potest esse certus de illo conceptu, non solùm, quantùm ad nomen; sed etiam quantùm ad rem importatam per nomen; At verò in casu, cum enti dependenti solùm ab intellectu, & enti non dependenti ab intellectu, non possit esse quid commune, & corrispondere, nisi ens, quantùm ad vocem, non quantùm ad rem importatam per vocem; ideò fit, quòd intellectus sit certus solùm de voce entis, non vero de conceptu, & ratione formali entis.

Obicies 3. Ens reale per Scotum est univocum Deo, & Creaturæ, ergo à fortiori ens ut sic est univocum enti reali, & rationis; consequentia pr. probatur; nam magis distant Creaturæ à Deo, quàm ens rationis ab ente reali, sed Deus, & Creatura in aliqua ratione entis univocantur ergo, &c. Major probatur, nam ex Scoto in 4. dist. prima quæst. 1. §. ratio secunda, distantia Dei à Creatura etiam supræma est infinita, quia tanta est distantia, quanta est Deus ipse, qui est extremum distantiæ, distantia verò entis realis ab ente rationis est finita, cum ens reale, quod est extremum distantiæ sit finitum. Respondetur, concedendo antecedens, & negando consequentiam, ad cujus probationem distinguo antecedens, considerando Deum, & Creaturam, secundùm conceptus proprios, concedo antecedens, communes, nego antecedens, ergo negatur consequentia;

Deus

Deus enim,ut Deus reduplicativè,utique infinitè distat à Creatura,ut Creatura, utique reduplicativè considerata; At Deus,ut ens, non infinitè distat à Cretura, etiam considerata sub ratione entis; Deus enim nullo intellectu cogitante est ens, & Creatura etiam est ens, ideo potest intellectus abstrahere ab illis rationem entis communem ipsis; At verò ens reale non habet in se, nisi conconceptum entis realis, & ens rationis, non nisi conceptum entis rationis, ideò non potest intellectus abstrahere ab illis rationem entis, communem,& univocam.

Obicies. Omnis conceptus communis pluribus, & superior eis includitur per se in quolibet eorum, sed conceptus entis, ut sic est communis pluribus,& superior enti reali, & rationis ergo includitur per se in conceptu utriusque, ergo univocantur in ente, ens reale, & rationis. Respondetur distinguendo majorem, eodem modo quo est communis, eodem modo includitur per se in quolibet eorum, concedo majorem; diverso modo, nego majorem, & distinguo minorem, est communis, communitate vocis; concedo minorem, communitate rei importatæ per quodquid est enti, nego minorem.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

An ens reale ſit univocum omnibus entibus tàm poſitivis, quàm privativis, & negativis.

SCiendum eſt cum Scoto quolibeto. 3. §. de primo, juxta expoſitionem Patris Vulpis tom.1.partis 1,diſput.28. art.3., quòd ens reale ſolet dici aliquando ens reale nominaliter, & aliquando ens reale verbaliter, ſivè participaliter; primum eſt illud, quòd, licèt non habeat exiſtentiam realem,ei tamen non repugnat, ut modo eſt antichriſtus; ſecundùm eſt illud, quòd, actualiter habet exiſtentiam realem;primùm dicitur ens nominaliter,quia ſignificat exiſtentiam,præſcindentem à differentia temporis,hic,& nunc, eò, quia nominis eſt ſine tẽpore ſignificare; ſecundùm dicitur ens verbaliter, quia connotat ſuam entitatem tempore, hic, & nunc exiſtentem, quia verbi eſt,cum tempore ſignificare,& ſuppoſito,quòd dictum eſt 4. metaphyſicæ, conc. 10. de negatione.

Dico;quòd ens reale eſt quid univocum entibus poſitivis,privativis, & negativis, colligitur ex Scoto in 1. diſt. 3. quæſt. 2. lit. O., & diſt. 23. quæſt.unica §.ad quæſt., & quolib.3.

Probatur 1. Intellectus certus de uno, & dubius de duobus, habet conceptum de quo eſt certus,alium de conceptibus, quibus eſt dubius,

ex

ex Scoto in 1.dist.3.quæst.2.lit. B., Sed intellectus est certus, quòd id, quòd est extra animam, sit ens reale; dubius verò, an sit extra animam, modo positivo, vel negativo, ergo conceptus entis realis est alius, ab entibus positivis, privativis, & negativis. Minor probatur; nam tàm entia positiva, quàm privativa sunt extra animam ex Scoto in primo dist.23. §. ad quæstionem, ergo intellectus potest esse certus de eo, quòd est extra animam, dubius tamen, an sit quid positivum, vel negativum, ergo ens reale dicit conceptum univocum, &c.

Probatur 2. Potest metaphysicus à positivis, & privativis, & negativis abstrahere unam rationem communem realem illis, ergo ens positivum, privativum, & negativum dicuntur in illa ratione convenire, & univocari; Antecedens probatur, potest intellectus metaphysici considerare ens solùm, pro ut dicit esse extra animam, sivè, pro, ut dicit repugnantiam ad existendum realiter, præscindendo ab hoc, quòd consideret talem existentiam, vel positivam, vel negativam; potest etiam considerare privationes, quæ dicuntur esse extrà animam, sivè, quæ dicunt talem non repugnantiam, præscindendo ab hoc, quòd existant positivè, vel privativè, vel negativè, ergo potest intellectus abstrahere hanc rationem illis communem ergo, &c. Antecedens probatur; nam esse extra animam non solùm convenit entibus positivis, sed etiam privativis, & negativis ergo, &c.

Probatur 3. Quoties intellectus potest esse cer-

certus de uno,& dubius de duobus, habet conceptum de quo est certus alium de conceptibus de quibus est dubius,sed nos sumus certi, quòd persona creata terminans dependentiam naturæ humanæ creatæ sit ens reale, dubitatur postea, an dicat quid positivum, vel negativum, (& hoc in omni schola), ergo cum possit assignari conceptus personæ,assignatur conceptus realis,ens reale est commune univocum entibus positivis, privativis, & negativis, hic discursus formatur à Scoto in 3.dist.1.quæst.1.

Obicies 1. Esse positivum, & negativum sunt contradictoria, ergo ab ipsis non potest aliqua ratio communis præscindi, ergo ens non est univocum positivis, & privativis, & negativis. Antecedens probatur; nam affirmatio, & negatio sunt contradictoria, sed esse positivum est affirmatio,& esse negativum est negatio ergo,&c. Respondetur negando antecedens; nam contradictoria sunt illa, quæ in nullo conveniunt, ut sunt ista,est, & non est, homo, & non homo, tamen ens positivum, & negativum conveniunt in aliquo, scilicèt in esse independenter ab intellectu;ad probationem distinguo antecedens, affirmatio,& negatio respectu ejusdem sunt contradictoria, concedo, respectu diversorum, nego, & sic distinguitur minor; Verum est enim, quòd negatio hominis,& affirmatio hominis sunt contradictoria; at verò affirmatio hominis,& negatio Asineitatis in homine, non sunt contradictoria; ita ens positi-

vum, & negativum non se habent, ut affirmatio, & negatio respectu ejusdem; sed respectu diversorum, ut patet in ista propositione, homo, non est homo, & homo non est asinus.

Obicies. Homini, & non homini, nihil est commune univocum; sed homo est ens positivum, non homo negativum, ergo ens non est univocum enti positivo, & negativo: Respondetur, distinguendo majorem, pro ut lii negativum hominis accipitur extra genus, concedo majorem; pro negatione in genere, nego majorem; Negatio enim, quam nos dicimus esse ens reale negativum, non est negatio extra genus, quæ verificatur tàm de non ente, quàm de nihilo, sed est negatio in genere, quæ requirit subjectum de quo dicatur; Prima enim non est realis, quia applicata V. G. hyrco cervo, nihil reale negaret, ut patet, dicendo hyrcus non est homo; Secunda est realis, quia applicata subjecto reali, verè aliquid reale negat, ut patet dicendo, sortes non est equus.

QUÆSTIO IV.

An ens reale sit univocum substantiæ, & accidenti.

Sciendum pro intelligentia, quòd sicut in æquivocis duo distingui possunt gradus æquivocationis, unus respectu illorum, quæ ita sunt æquivoca, ut nullo modo analoga dicantur, ex

ex eò,quòd nullam dicunt proportionem, seù attributionem inter se, ut sunt æquivoca à casu; & alius respectu illorum, quæ dicuntur analoga, ex eo, quia, aliquam proportionem, vel attributionem dicunt,ut sunt æquivoca à concilio; ita in univocis, quæ sunt immediatè opposita æquivocis, dicimus posse esse quatuor gradus univocationis,quos in 4.metaphysicæ conc.4. in explicatione textus posuimus.

Dico, quod ens est univocum substantiæ, & accidenti, loquendo de univocatione metaphysica, &, secundùm quartum modum univocationis,quæ potest stare, cum aliqua analogia, secundùm prius,& posterius,sic Scot.in 1.dist. 3. quæst. 2.,& alibi,contra Cajetanum, & alios Thomistas.

Probatur. Univoca sunt illa quorum nomen est commune, ratio verò substantiæ, idest essentiæ, nomini accommodata est eadem; sed præter nomen entis commune substantię, & accidenti,ratio substantię, scilicèt essentię signatę per nomen entis est eadem, ergo substantia, & accidens univocantur in ente; Minor patet; nam tàm substantia, quàm accidens habent communem rationem entis realis contra distincti ab impossibili,& chimerico: ergo, &c. Confirmatur; nam illud est univocum respectu aliquorum, quòd ab illis æqualiter participatur, tàm secundùm nomen, quàm,secundùm rationem; sed ratio entis realis ęqualiter participatur à substantia,& ab accidente,tàm secundùm nomen, quàm secundùm ratio-

nem,ergo, &c. Minor probatur, nam essentia entis realis consistit in indivisibili, ergo si substantia est ens, accidens est ens, necessario ens participabitur ęqualiter; Antecedens probatur; nam Aristoteles comparat rerum essentias cum numeris propter eandem indivisibilitatem,ergo aut essentia entis, ęqualiter participabitur à substantia, & accidente,aut nullo modo participabitur, non potest dici secũdùm,cum valeat dicere substantia est ens,accidens est ens,ergo primum,ergo ęqualiter participabitur ratio entis à substantia,& accidente,ergo univocum.

Probatur 2. Illud est univocum respectu aliquorum,quod habet conceptum per se unum distinctum à conceptu illorum, inclusum tamen in illis, sed conceptus entis est ita, ergo, &c. Minor probatur, nam audito hoc nomine (ens) intellectus non distrahitur ad plura, ergo talis conceptus est unus, nec formaliter est conceptus substantiæ, nec formaliter conceptus accidentis,nec formaliter conceptus utriusque ergo, &c. antecedens probatur, non primum, quia sic accidens non esset ens, non secundum, quia sic substantia non esset ens,non tertium,quia sigillatim istæ propositiones essent falsæ, substantia est ens, accidens est ens, ergo cum conceptus entis sit inclusus in istis,& distinctus ab istis,sequitur, quòd sit univocus illis,&c.

Probatur ultimò; Conceptus ęquivocus non potest assumi pro medio syllogistico, sine fal-

fallacia æquivocationis, benè tamen conceptus univocus, ut patet, in hoc syllogismo, omne ens est bonum; Animal est ens, ergo animal est bonum, argumentum concludit, sine fallacia æquivocationis, ergo signum est, quòd ens, quòd est medium in hoc syllogismo sit nomen univocum, & non æquivocum.

Obicies 1. Univoca sunt illa, quæ non habent diversitatem in eo, in quo sunt univoca; sed substantia, & accidens habent diversitatem in ratione entis, ergo, &c. Minor probatur; substantia, & accidens, secundùm eorum differentias habent diversitatem in ratione entis per perseitatem, & inhaleitatem, ergo non sunt univoca in ratione entis. Respondetur, concedo majorem, & negando minorem, ad probationem, distinguo majorem identicè, concedo majorem; formaliter, nego majorem; nam, ut dicemus, infra, perseitas, & inhælitas sunt solùm identicè entia, non formaliter, sic enim sunt modi terminativi entis, sivè aliquitates entis.

Obicies 2. Quidquid participatur inæqualiter à suis inferioribus non est univocum; sed sic est ens respectu substantię, & accidentis, ergo, &c. Minor probatur; nam ens priùs descendit ad substantiam, quàm ad accidens ergo. Respondetur distinguendo majorem. Quidquid, &c., quantùm ad rationem formalem, concedo majorem, quantùm ad rationem modalem, nego majorem, & eodem modo distinguitur minor; nam esse,

prius, & posterius sunt modi entis, non verò habet formalitatem entis. Quapropter, quando adducuntur authoritates Aristotelis, quæ negant univocationem entis; dicite, quòd loquuntur de univocatione physica, non verò metaphysica, quę potest stare cum analogia, ut videbimus in libris Porphirii.

QUÆSTIO V.

An ens sit univocum Deo, & Creaturis.

Sciendum cum Scoto in primo dist. 3. quæst. 3., & did. 8. quæst. 3. lit. P., & in 3. dist. 7. quęst. 1. lit. D., quòd est differentia inter univocè prædicari, & univocum prædicatum; univocum prędicatum, est quando unum prædicatur de pluribus, secundùm idem nomen, ac eandem rationem accidentalem, ut album de cygno, & nive, & vocatur à formalistis univocum accidentale; univocè prædicari, est quando unum prædicatur de pluribus inferioribus, secundùm idem nomen, ac eandem rationem essentialem, ut Animal de homine, & equo, & vocatur univocum essentiale, sic etiam ens prædicatur de Deo, & Creaturis, &c., undè supposito, quòd dictum est supra in explicatione text. in 4. metaphysicæ conclusione 3. quòd conceptus entis realis est unus unitate transcendentali, univocus analogus Deo, & Creaturæ, non univocatione physica, in quarto gradu, sed metaphysica in primo gradu univocationis, cum qua stat anologia.

Di-

Dico, quòd loquendo de univocatione metaphysica, & imperfecta, quæ stare potest cum anologia, ens est univocum Deo, & Creaturæ. Ita Scotus in primo dist. 3. quæst. 2. lit. B., & dist. 8. quæst. 2., & quolib. 14., quem sequuntur omnes Nominales Ocham, Gabriel, Arriaga, Oviedus tract. 2. metaphysicæ punct. 4., ubi citat multos Recentiores; est contra D. Thomam, & Thomistas, necnon contra Suarez.

Probatur. Quibus univocè competunt passiones inseparabiles alicujus subjecti, illis univocè competit ratio illius subjecti; sed Deo, & Creaturæ univocè competunt passiones inseparabiles entis, ergo Deo, & Creaturę univocè competit ens. Major patet; nam quibus univocè compatit risibilitas, univocè, etiam competit rationalitas; Minor probatur; nam passiones entis sunt unum, verum, bonum, sed istę univocè competunt Deo, & Creaturę, ergo ratio entis debet esse univoca; Minor etiam probatur, nam sicut demonstrantur de Creatura, ita etiam demonstrantur de Deo per rationem entis ergo.

Obicies primò pro D. Thoma; Nullus effectus inadęquatus virtute suæ causæ recipit ejus similitudinem, secundùm rationem univocam, exemplum de auro, quòd non adæquat virtutem solis, ideò est effectus æquivocus respectu solis, sed omnis Creatura est effectus inadæquatus respectu virtutis primæ causę, ergo Deus, & Creatura non univocantur in ente. Respondetur, negando

majorem esse simpliciter veram; nam potest dari effectus ęquivocus, qui habeat in aliquo univocationem cum causa, ut patet de auro, quòd est effectus ęquivocus solis, & tamen convenit univocè cum sole in ratione substantię; Ideò potest retorqueri argumentum contra Thomistas, sic. Aurum est effectus ęquivocus solis, ratione, qua aurum est per vos, & tamen convenit univocè cum sole ratione, qua substantia est, ergo potest etiam Creatura esse effectus ęquivocus Dei, ratione, qua Creatura est, & tamen convenire cum Deo univocè ratione, qua ens est; undè non repugnat eadem ratio secundùm diversas formalitates, disconvenire, & esse ęquivoca, & convenire, & esse univoca. Instas cum Recupito, nullus effectus ęquivocus, secundùm suam rationem, secundùm quam est ęquivocus, potest fundare univocationem cum sua causa, aurum enim, secundùm perfectionem specificam, secundùm, quàm est effectus ęquivocus solis, non potest fundare univocationem cum sole, sed esse, prædicatum, quòd est in Creatura, & secundùm omnem rationem, est effectus ęquivocus respectu Dei, ergo secundùm nullam rationem potest fundare univocationem cum Deo; Minor probatur, quia omne prędicatum, quòd est in Creatura, secundùm omnem suam rationem est quid participatum, & omne prędicatum, quòd est in Deo, secundùm omnem suam rationem est quid imparticipatum, ergo omne prędicatum, quòd est in Creatura, secundùm

dùm omnem suam rationem est effectus ęquivocus respectu Dei. Respondetur concedendo majorem,& negando minorem; ad probationem distinguo antecedens, reduplicativè, & identicè, concedo antecedens;specificativè, & formaliter, nego; nam licèt ratio entis in Creatura identicè sit quid participatum, sicut est ipsa Creatura, & in Deo sit quid imparticipatum, sicut est ipse Deus; formaliter, & specificativè, ipsa formalitas entis in seipsa considerata præscindit ab esse participato,& imparticipato,esse enim participatum, & imparticipatum, non sunt differentię entis, ut sic,sed talis entis,scilicèt Creaturę,& Dei. Instas. Omnis ratio entis, quę est in Creatura est à Deo, ergo nulla est ratio entis in Creatura, quę non sit participata,ergo non potest dari ratio entis, quę formaliter pręscindit. Respondetur, ut supra, distinguendo antecedens,realiter, & identicè, concedo antecedens,formaliter,& specificativè,nego antecedens; Formaliter enim ens, nec constituitur per esse dependens, & participatum, nec per esse independens,& imparticipatum, nō primum, nam tunc Creator non esset ens formaliter, cum nō dependeret;nō secundū, nam sic Creatura nec esset ens formaliter, cum dependeret, quare ratio formalis entis constituitur per esse,sivè per nō repugnantiā per realiter esse, ex dicēdis, & ideò fit, quòd ratio entis formaliter cōsiderata,in Creatura,nec sit formaliter participata,nec imparticipata.

Obicies 2. Ens, quòd est in Deo differt ab en-

ente, quod est in Creatura, sed non differunt per nihil, ergo per aliquod, ergo formaliter per differentias, ergo istę differentię sunt formaliter entia, ergo Deus, & Creatura, non possunt univocari in ente; Respondetur, concedendo majorem, & distinguendo minorem, identicè, & realitèr positivè, concedo minorem, pręcisivè, nego minorem, ergo, &c. Ultimę enim differentię, licèt positivè non sint nihil, formaliter tamen in statu præcisivo præscindunt ab esse formaliter nihil, & ab esse formaliter ens, sunt enim formaleter aliquitates entis, identicè verò, & realiter entia.

Obicies 3. Ratio entis prius contrahitur ad Deum; quàm ad creaturam; ergo Deus, & creatura non recipiunt æqualiter rationem entis, ergo ratio entis, nec æqualiter respicit Deum, & Creaturam, ergo analogicè, & non univocè. Respondetur, concedendo antecedens, considerata creatura in statu existentiæ, & distinguo consequens, non recipiunt ęqualiter ens, quantùm ad rationem formalem ipsius entis, nego consequentiam, quantùm ad ordinem habendi ipsam rationem entis, concedo consequentiam; nam etiam numerus in communi, est quid univocum binario, & ternario, & tamen prius descendit in binarium, quàm in ternarium, & in conceptu entis est aliqua anologia; ex dicendis in libris Porphirii. Istabis, ens creatum est posterius formaliter entę increato, ergo Deus, & creatura respiciunt ipsum ens non solùm inęqualiter, quantùm ad rationem ha-

ben-

bendi,sed etiam;quantùm ad rationem formalem entis. Respondetur ; distinguendo antecedens, ut ens increatum est reduplicativè , concedo antecedens,ut ens est, nego antecedens; nam ratio illa entis,ut abstracta,neque dicit esse prius,neque esse posterius,sed abstrahit ab utroque (loquendo de prioritate durationis) ut postea contrahitur ad species entis,accipit rationem prioris,& posterioris,prioris, ut contrahitur ad Deum , posterioris, ut contrahitur ad creaturam; Istabis . Ratio entis abstracti petit priùs contrahi per rationem independentiæ ad ens increatum , & posteriùs per rationem dependentiæ ad ens creatum , ergo ratio entis non est formaliter eadem in Deo, & in creatura , ergo non est univoca , antecedens probatur; nam,eo modo petit contrahi , quo modo contrahitur; sed primo contrahitur ad Deum , quàm ad creaturam , ergo &c. Respondetur , gratis concedendo antecedens, nam posset negari, cum in illo statu abstrahat, negatur tamen consequentia,ratio enim illa entis , quæ petit priùs contrahi ad ens increatum , & posterius ad ens creatum , secundùm rationem,secundùm quam petit, hoc ordine contracti,non includit, nec formaliter rationem entis increati,nec formaliter rationem entis creati, non primum , nam non posset contrahi ad posterius ens creatum,non secundum;nam nullo modo posset contrahi ad ens increatum , quia in illo statu non habet aliquid ratione cujus non sit eadem omninò in Deo,& creaturis.

Obi-

Obicies 4. si ens esset univocum Deo, & creaturis, daretur aliquod reale prius Deo; sed hoc est falsum, cum Deus sit primus omnium, ergo id, unde sequitur; major patet; nam prius secundùm naturam, ex Aristotele, in post prędicamentis, dicitur illud, à quo non convertitur subsistendi cõsequentia, sic in casu, valet dicere, est Deus, ergo est ens, non tamen è contra, ergo ens est prius natura ipsi Deo. Respondetur, cum Rada prima parte controversia 21. articulo 2. § ad argumenta; ad secundum; distinguo majorem, esset prius prioritate consequentię, concedo majorem, prius prioritate durationis, sivè existentię, nego majorem, & eodem modo distincta minori, negatur cõsequentia; non enim implicat, quòd ens, ut præscindens dicatur prius Deo prioritate, à quo non convertitur subsistendi consequentia, ut est prioritas secundùm communitatem, & secundùm rationem prædicandi; benè tamen implicat, si ens ut existens reduplicativè sit prius Deo; at ens, ut sic non est prius, sed posterius, valet enim dicere, est ens existens à parte rei, ergo existit Deus, qui illud causavit, & non valet, è contra, existit Deus, ergo existit aliquod ens, pręter Deum à parte rei; cum ab æterno, & pro æterno valebat dicere Deus existit, & tamen, non valebat dicere à parte rei existit aliquod ens, pręter Deum, ergo signum est, quòd Deus est prius ens, quocunque ente reali existente præter ipsum.

QUÆ-

QVÆSTIO VI.

An ens habeat unum conceptum formalem pręcisum ab inferioribus.

SCiendum cum Scoto theorem ata 8. quæst. 9. quòd conceptus formalis sit ipsa intellectio, sivè ipse actus intelligendi, & dicitur conceptus, quia est proles mentis,& formalis,quia per ipsum intellectus formaliter intelligit. Conceptus verò objectivus est ipsa res mente concepta, vel saltem mente pręsentata per speciem, & dicitur conceptus à denominatione extrinseca desumpta à conceptu formali,qui dicitur concipi, dicitur etiam conceptus, quia cum res concipitur, non se habet, ut materia inhærens illi potentiæ,quæ concipit, sed quia, ut materia considerata ei obicitur.

Sciendum 2. quòd sensus quæstionis est idē, ac ille supra expositus,iàm supra 4. metaphysicæ conclusione 3. An intellectus noster intelligendo ens habeat unum actum, qui solùm sit repręsentativus unius rationis conceptibilis,scilicèt entis,ut sic; An verò sit repręsentativus plurium inferiorum, quę contineantur sub ente, scilicèt Dei, & creaturę,substantię, & accidentis.

Dico,quòd ens habet unum conceptum formalem, distinctum, & pręcisum à suis inferioribus; sic Scotus in primo dist.2.quæst.3. & dist. 8. quæst.3. contra Thomistas.

Pro-

Probatur à Scoto; intellectus certus de uno conceptu,& dubius de duobus, habet in se conceptum unum formalem, prçcisum, & distinctum à conceptibus illorum duorum, aliter idem conceptus esset certus,& dubius,& intellectus de eodem esset certus,& incertus; sed potest intellectus esse certus,quòd aliquod sit ens, dubius autem, an sit Deus, vel creatura,substantia,vel accidens, ut patet de philosophis, qui cognoverunt primum motorem esse ens,& de hoc certi erant,non autem cognoverunt,an ille motor sit Deus,vel alia intelligentia, & ideo de hoc dubii erant, & etiam cognoverunt lucem esse ens, dubitaverunt autem,an esset accidens,vel substantia, ergo intellectus intelligendo ens habet conceptum in se unum formalem, præcisum, & distinctum à suis inferioribus. Confirmatur, quando ad prolationem alicujus vocis experimur intellectum, nostrum uniri, concipiendo aliquod unum,& non distrahitur ad diversa,tunc signum est,quòd illi voci correspondet unus conceptus formalis,distinctus, & præcisus ab inferioribus,& è contra,quando intellectus distrahitur,signum est, quod illi voci, unitas conceptus non correspondet, sed ad prolationem hujus vocis, ens, experimur intellectum nostrum uniri, & non distrahi ad diversa, ergo signum est, quòd ens dicit unum conceptum &c. Major probatur,nam quia ad prolationem hujus vocis,animal,experimur intellectum nostrum uniri ad concipiendum principium sensitivum, sivè substan-

tiam

tiam sensibilem, deducimus, animali in mente nostra correspondere unum conceptum formalem, precisum, & distinctum ab inferioribus; è contra verò, quia ad prolationem hujus vocis, canis, experimur, intellectum non uniri in aliquo uno, sed distrahi ad diversa, scilicèt ad Canem Marinum, Terrestrem, & Cælestem, ideò deducimus, quòd illi nomini non correspondet unus conceptus formalis præcisus, & distinctus à suis inferioribus, ergo &c. Minor probatur; nam ens ex vi suæ impositionis non significat aliqua plura sub propria ratione, & ut plura, sed significat rationem generalissimam, in qua illa plura conveniunt, ergo audito hoc nomine entis, intellectus non distrahitur ad diversos conceptus, nec ad plura excogitanda, ut plura, sed affirmat illa uniri in conceptu, exprimente rationem illam generalissimam, in qua illa plura conveniunt.

Probatur 2. à Scoto in primo dist. 8. quæst. 3. Quando aliqua plura, & diversa habent aliquam convenientiam inter se, possunt in aliquo communi repræsentari, sed Deus, & Creatura, substantia, & accidens sic se habent, ergo, &c. Major probatur; intellectus habet virtutem præcisivam, ergo, cum viderit fundamentum differentiæ, & convenientiæ, potest concipere illa plura, secundùm illam rationem in qua conveniunt, præscindendo ab eis, in quibus differunt; Minor probatur, nam Deus, & Creatura, substantia, & accidens differunt quidem inter se, non tamen adeò dif-

differunt; ut sint omninò primò diversa, ita ut, neque in conceptu conveniant, sicut ens, & nihil, ergo potest intellectus,&c. consequenter,&c.

Obicies 1. Contra fundamentum Scoti; Potest intellectus esse certus de uno, & dubius de duobus, absque eo, quòd habeat conceptum formalem,& præcisum ab illis duobus,ergo falsa est maxima Scòti; Antecedens probatus; nam sint tres, qui vocentur nomine fortis, inclusi in uno cubiculo obscuro, & unus ipsorum me existente in illo cubiculo percutiat; in isto casu, intellectus meus est certus, quòd fortes me percussit,dubitat verò,an iste, vel ille fortes,& tamen,nulli dubium est, fortem non importare conceptum communem, & præcisum ab illis duobus; Item sint duo canes in sacco,terrestris, & marinus, & unus istorum moveatur in sacco, in isto casu, certus sum, quòd canis movetur, & dubito quisnam illorum sit, ergo cum canis non dicat conceptum unum præcisum à suis inferioribus, falsa est maxima Scoti,&c. Respondetur, ex doctrina Trombettæ 4, metaphysicæ quæst. 3., negando antecedens,ad probationem dico, quòd in prædictis casibus, vel considerantur fortes, ut fortes reduplicativè, & sub propriis rationibus individualibus, & canes existentes in sacco sub rationibus specificis, vel solùm considerantur sub rationibus specificis, & generibus; si considerantur primo modo, tunc, intellectus non certus, nisi de voce fortis, & dubius de voce talis fortis, aut ad plus non est certus,

tus,

tus, nisi de individuo vago fortis, & tunc eo modo, quo est certus, & dubius, eo modo habet conceptum unum, & præcisum ab inferioribus; si considerentur secundo modo, tunc intellectus est certus de homine, cui impositum est hoc nomen fortis, & de animali, cui impositum, est hoc nomen canis, & sic verum est, quòd illi fortes in ratione humanitatis fundant hunc conceptum communem, & præcisum ab inferioribus. Instabis; in primo casu, non solùm sum certus de conceptu hominis, & in secundo de conceptu animalis, sed etiam sum certus de conceptu fortis, & de conceptu canis, ergo nulla responsio. Respondetur, cum Cavello quæst. 21. de Anima, distinguendo antecedens, sum certus de conceptu fortis, ut individuum hominis, concedo antecedens, ut tale individuum hominis, nego; sic etiam sum certus de conceptu canis, hoc est de aliquo animali in individuo, tamen vagè accepto, cui impositum est nomen canis, concedo; De tali individuo canis, nego; modo non repugnat, ut etiam docet Mastrius disp. quinta logicæ quæst. 2. art. 4. abstrahere ab individuis signatis rationem aliquam communem individui, vagè accepti. Instabis secundo; cum eodem; In prædictis casibus non solùm sum certus, quòd individuum aliquod me percussit, sed etiam, quòd est aliquis fortes; sic etiam sum certus, non solùm, quòd individuum animalis movetur, sed etiam, quòd est aliquis canis, ergo nulla responsio. Respondetur, negando

antecedens; nam propter certitudinem, quàm habemus de individuo vagè accepto, nobis non inest, nisi certitudo de nomine canis, & de voce fortis.

Obicies 2. Intellectus est certus de universali, quòd sit ens, dubitat verò, an sit ens reale, vel rationis, sed intellectus non habet conceptum univocum præcisum entis, ab ente reali, & rationis, ergo falsa maxima Scoti. Respondetur cum Trombeta, distinguendo majorem, est certus, quantùm ad id, quòd importat propter quid nominis, concedo majorem, quòd ad id, quòd importat, propter quid rei entis, nego majorem, nam si intellectus dubitat de ente reali, & rationis solùm est certus de nomine, & de voce entis. *Instabis*, ergo sic possunt respondere Thomistæ ad argumentum Scoti, dum probat conceptum entis, esse aliud à Deo, & Creatura; Respondetur, negando consequentiam; nam philosophi non poterant disputare, & certi esse solùm de voce, & non de ente reali, nam motus realis primæ sphæræ, non poterat provenire, nisi ab ente reali, quia philosophi erant certi de motore, tamquàm de ente reali, dubii verò, an talis motor erat prima intelligentia increata, an verò creata.

Obicies ultimo; Ego sum certus de aliquo, quod sit animal, si à longingo tantùm ejus motum video, dubito tamen, an sit rationale, vel irrationale, & tamen ab istis differentiis ultimis, non abstrahitur conceptus communis univocus, ergo fal-

falsa est maxima Scoti, probatur 2. pars antecedentis; nam per Scotistas, genus non prædicatur univocè de ultimis differentiis, ergo &c. Respondetur, negando secundam partem antecedentis, ad probationem, concedo antecedens, & nego consequentiam; nam ex doctrina Scoti in 3. dist. 7. quęst. 1. §. 4. videndum; Aliud est esse univocum prædicatum, & aliud est esse univocè predicari; nam univocum dicitur illud, cujus conceptus est in se unus, ut album dictum de ligno, lapide &c. Est prædicatum univocum; univocè autem prædicari, est illiud cujus ratio, ita est una, quando prædicatur, quòd includatur in ratione subjecti essentialiter, hæc Scotus, & quia ratio animalis non includitur in ratione ultimæ differentiæ, ideò non dicitur de illis univocè, verum, quia secundùm eandem rationem, secundùm quàm dicitur de una, dicitur de alia, ideò de illis dicitur prædicatum univocum.

QUÆSTIO VII.

An ens habeat unum conceptum objectivum præcisum à suis inferioribus.

Sciendum, quòd conceptus formalis, & objectivus inter se valdè differunt, nam conceptus formalis semper est res positiva, scilicèt cognitio intellectiva inhærens intellectui, conceptus verò objectivus, non semper est quid positivum,

dum possunt concipi, etiam entia rationis, negationes, & privationes; Item conceptus formalis semper est singularis, conceptus verò objectivus potest esse universalis confusus, & communis; In præsenti, sensus quæsiti proportione servata est idem, ac sensus quæsiti præcedentis; quæritur enim, an quando intellectus concipit ens commune Deo, & Creaturæ, substantiæ, & accidenti, detur in nostro intellectu una ratio objectiva cognita, quæ sit communis Deo, & Creaturæ, substantiæ, & accidenti.

Dico, quòd conceptui formali correspondet conceptus objectivus præcisus à suis inferioribus, est Scoti in primo dist. 2. quæst. 3. & dist. 8. quæst 3. contra Thomistas sequentes D. Thomam part. 1. quæst. 15. art. 5. & quæst. 7. de pot. art. 7.

Probatur primò, datur una ratio conceptibilis ab intellectu, & præcisa ab inferioribus rationibus, ergo conceptui formali, nempè nostro correspondet conceptus objectivus entis; antecedens patet; nam si intellectui repræsentaretur hostia, & ignoraret an sit consecrata, vel non, in tali casu intellectus haberet unam rationem conceptibilem, non conceptis rationibus particularibus, scilicèt cognosceret ipsam hostiam, ut ens, & non conciperet ipsam, ut substantia sivè, ut accidens, ergo in tali casu haberet unam rationem communem, & conceptibilem, præcisum ab inferioribus, ergo sibi correspondet objectivus conceptus.

Confirmatur primo; Datur conceptus formalis

re-

repræsentativus solum entis, & non suorum inferiorum, ut probatum est, quæstione præcedenti, ergo etiam datur conceptus objectivus entis repræsentabilis, sine suis inferioribus; consequentia probatur, nam implicat esse intellectionem, & non esse respectu alicujus rei intellectæ, ergo si datur una intellectio entis in communi, ut præcisa ab intellectione suorum inferiorum, debet etiam dari una res intellecta in communi, ut præcisa à re intellecta in particulari, ergo datur unus conceptus objectivus præcisus. Confirmatur 2. Esse entis est esse repræsentabile, ut indifferens ad prædicari de substantia, & accidente, Deo, & Creatura, cum valeat dicere substantia est ens, accidens est ens, Deus est ens &c. Et è contra posteà, tàm esse substantiæ, quàm esse accidentis &c. Non est repræsentabile, ut indifferens, cum non valeat dicere, substantia est Deus, Deus est Creatura &c. Ergo signum est, quòd conceptus entis est distinctus, & præcisus à conceptibus inferiorum, ergo sic etiam objicitur intellectui.

Probatur 2. Ideò abstrahitur ratio communis, & objectiva animalis, ab homine, & equo, quia in homine, & equo experimur aliqua prædicata communia animalis, V.G. sensibilitas, sed etiam in substantia, & accidente, Deo, & Creatura experimur aliqua prædicata communia entis, ergo à substantia, & accidente potest abstrahi ratio communis, & objectiva entis; major conceditur ab Adversariis; minor patet; nam in substantia, & ac-

cidente, Deo, & Creatura experimur oppositum, cum chymera, scilicèt esse independens ab intellectu, quòd est prædicatum entis realis, ergo tàm à substantia, quàm ab accidente, tàm à Deo, quàm à Creatura possumus abstrahere rationem entis objectivam.

Obicies 1. & est fundamentum Thomistarum; nullus gradus communis, & præcisus potest esse trascendens; sed gradus entis est transcendens, ergo non potest esse præcisus; minor probatur, quia transcendens dicit necessariam, & essentialem inclusionem conceptus transcendentis in omnibus rationibus particularibus, ergo implicat, quòd gradus sit transcendens, scilicèt inclusus in inferioribus, & sit præcisus ab illis, scilicèt non inclusus in illis. Respondetur, negando majorem, cum sua probatione; nam ex doctrina Scoti in primo dist.8.quæst.3. lit.O. De ratione transcendentis non est includi in omnibus inferioribus, sed, solum non habere genus sub quo contineatur, hinc accidit ipsi transcendenti, quòd dicatur de multis inferioribus, nam substantia in communi ad Deum, & Creaturam, utique transcendens dicitur, cum non sit in aliquo prædicamento, & tamen non est in omnibus rebus, quare transcendens constituitur per hoc, quòd dicat exclusionem à prædicamento, & indifferentiam ad finitum, & infinitum, hinc Scotus ubi supra, sapientissimè ait; sicut de ratione generis generalissimi, non est sub se habere plures species, sed non habe-

habere aliud supraveniens genus supra se, ita transcendens à pari, per hoc constitui debet, unde, quòd ipsum transcendens ad plura dicatur inferiora, hoc accidit.

Obicies 2. Ideò animal dicit unicum conceptum objectivum, & præcisum à suis inferioribus, quia non est de essentia illorum, sed ens est de essentia omnium suorum inferiorum, cum non possint concipi sine gradu entis. ergo &c. Respondetur, negando causalem, nam ens in ultimis differentiis, & modis intrinsecis non includitur quidditative, ut videbimus in suo loco.

Obicies 3. si daretur iste conceptus objectivus entis communis suis inferioribus, deberet etiam dari quædam natura communis, quæ reperiatur in omnibus; sed hæc non datur. Ergo &c. Minor probatur; nam in unaquaque re reperitur tantum esse ipsius rei, ut V.G. in substantia solùm esse substantiæ, in accidente solùm esse accidentis ergo &c. Respondetur distinguendo majorem deberet dari quædam natura absoluta, vel respectiva, finita, vel infinita, nego majorem, transcendens, concedo, sed hæc propriè non dicit naturam, seù realitatem, sed tantùm conceptum præcedentem, operationem collativam intellectus; sed de hac difficultate in disputatione sequenti. Ad antecedens distinguo; identicè, nego antecedens; formaliter, & reduplicativè, concedo, nam in esse metaphysico in substantia, & accidente plures formalitates distingui debent, nimirum, talis modus essen-

di, qui est constitutivus substantiæ, & est perseitas, in accidente inhaleitas, & ratio ipsius entis, ut sic, quæ est constitutiva entis.

Obicies; si ens haberet unam rationem obiectivam, sequeretur illam prescindere à determinatis rationibus entium particularium, V. G. ab ente absoluto, & ab ente relativo, sed hoc est falsū ergo &c. Minor; patet ens ad se, & ens ad aliud sūt contradictoria, quæ nequeunt habere rationem communem hoc modo. Respondetur, negando minorem, ad probationem, respondeo, quòd ens ad se, & ens ad aliud formaliter sunt disparata, non verò contradictoria, virtualiter præseferunt rationes contradictorias, & ideo possunt habere unam rationem communem transcendentem. Instabis, quando intellectus concipit unam rationem communem entis, aut illam concipit sine termino, aut illam concipit cum termino; nam non potest dari medium, si primum, ergo ista ratio erit entis absoluti, si secundùm erit entis relativi, ergo non erit ratio communis utrique enti. Respondetur, quòd intellectus concipit illam rationem communem, sine termino, & cum infertur, quòd talis ratio est entis absoluti, negatur consequentia, nam dupliciter contigere potest aliquam rem esse sine termino, uno modo, quòd talis ratio concepta sit formaliter ad se, ita ut non possit intelligi in ordine ad aliud formaliter, & hæc ratio necessario erit entis absoluti, alio modo, quòd talis ratio, nec sit formaliter ad se, nec formaliter ad aliud,

aliud, sed quòd possit ad utramque partem contrahi, & ista ratio non est entis absoluti, sed præscindentis ab absoluto, & relativo, & hoc modo concipitur ratio entis, præscindentis ab absoluto, & relativo. Instabis nulla ratio inferior est absolutior ratione sui superioris, sed substantia est inferior ad ens, & est ratio absoluta, ergo multò magis ens, quòd est superius debet esse absolutum, & non præscindens ab absoluto, & relativo. Respondetur, distinguendo consequens, debet esse absolutum quidditativè, & formaliter, nego consequentiam; permissivè, concedo consequentiam, ut enim ratio entis sit absolutior ratione substantiæ, satis est, quòd non sit contracta formaliter ad esse ad se, & ad esse ad aliud, sed præscindat, tùm ab esse ad se, tùm ab esse ad aliud.

QUÆSTIO VIII.

An ens perfectè præscindat à suis inferioribus.

Sciendum, quòd tunc conceptus est per se unus, & perfectè præscindit ab inferioribus, quando, ita concipitur in se, ut nihil concipiatur de inferioribus, à quibus abstrahitur, nec explicitè, nec implicitè, ut patet de conceptu animalis, qui dicitur perfectè unus, perfectèque præcisus, quia, quando ab homine, & ab equo abstrahitur, ita concipitur solus, ut nihil de rationalitate, & irra-

irrationalitate concipiatur, tunc vero conceptus non est perfectè unus, nec perfectè præscindit ab inferioribus, quando non ita concipitur in se, ut, nec implicitè, nec explicitè aliquid de inferioribus concipiatur, breviter ergo conceptus perfectè præcisus, dicit unam naturam pluribus communicabilem, imperfectè verò præcisus dicit plura me diatè, & confusè cõcepta per modũ unius.

Dico, quòd ens perfectè præscindit à suis inferioribus. Ita Scotus in primo dist. 3. quæst. 1. & 2. contra Thomistas.

Probatur 1. ex Doctrina Scoti, in primo dist. 8. quæst. 3. Quando aliqua habent aliquam convenientiam, secundùm unam rationem, & disconvenientiam, secundùm aliam rationem, potest intellectus considerare solùm convenientiam illorum, non considerata illorum disconvenientia; sed Deus, & Creatura, substantia, & accidens, secundùm rationem entis, ut sic conveniunt, & secundùm tales rationes entis disconveniunt, ergo potest intellectus solùm considerare convenientiam, non considerando illorum disconvenientiam; subsumo, sed considerando tantùm convenientiam, considerat solùm rationem entis, & rationes convenientiæ inferiorum, ergo in casu ens perfectè præscinderet ab inferioribus, consequentia patet, paritate animalis perfectè præscindentis ab equo, leone, &c., per hoc, quia, potest intellectus considerare solùm convenientiam equi, & leonis, in ratione animalis, non consideratis eorum

rum disconvenientiis, in ratione talis animalis, probatur etiam ratione consequentia; nam in intellectu non deficit virtus præcisiva, quæ potest illa plura concipere, secundùm illam rationem, secundùm quam conveniunt, præscindendo ab aliis rationibus à quibus differunt. Minor probatur; nam Deus, & Creatura, substantia, & accidens reduplicativè, qua entia sunt non disconveniunt, sed solùm differunt, quà talia entia sunt, ergo quà entia, conveniunt; Antecedens patet; nam nullo intellectu cogitante, magis conveniunt Deus, & Creatura, quàm ens, & nihil, sed hæc major convenientia, non potest esse fundata, nisi in ratione entis, ergo, potest intellectus perfectè considerare rationem entis, non considerata ratione inferiorũ entis, & consequenter potest intellectus perfectè præscindere rationẽ entis à suis inferioribus. Respondent aliqui ad primum fundamentum Scoti, (quòd intellectus certus de uno, & dubius de duobus), quòd intellectus non potest habere conceptum entis implicitè, sed solùm explicitè, & sic solùm explicitè est alius, & præscindit à cõceptibus de quibus est dubius, & sic nõ perfectè, & adæquatè, sed imperfectè, & inadequatè præscindit: Contra intellectus nullo modo debet quærere conceptum primi principii; Tum, quia primum principium supponitur; Tum, quia primum principium nulli potest esse dubium, sed conceptus entis est primum principium, vel saltem subjectum primi principii, ergo intellectus nullo modo debet quærere

rere conceptum entis, ergo est certus de concepta entis, non solùm implicitè, sed etiam explicitè. Contra 2. habere conceptum certum solùm explicitè alicujus rei, est solùm habere conceptum vocis illius rei; sed intellectus non solùm est certus de voce entis realis; sed de quidditate ipsius, quia primum principium est, ergo intellectus non solùm explicitè, sed etiam implicitè est certus de ente,& dubius de inferioribus entis. Respondent. Thomistæ, quòd conceptus objectivus entis,nihil aliud importat immediatè, nisi omnia, & singula sua inferiora,non tamen absolutè, sed copulativè accepta, scilicèt Deum, & Creaturam, substantiam, & accidens, & sic conceptus objectivus entis,non perfectè præscindit: Contra primò; ratio entis ut sic non potest constitui per rationes copulativè oppositas;sed Deus, & Creatura, substantia,& accidens constituuntur per rationes oppositas, ergo ens non potest ista immediatè importare, &c. Contra 2. vel ens includit omnia ista, secundùm proprias rationes, vel secundùm rationes communes, secundùm quas entia sunt, si primùm,non potest evitari,quin includat rationes oppositas, cum Deus dicat esse à se, & Creatura ab alio,si includit omnia ista, secundùm rationes communes,secundùm quas entia sunt,ergo, non includit illa secundùm proprias rationes ergo sic præscindit perfectè ab illis. Respondent. Thomistæ, quòd ens importat immediatè hoc disjunctivum,Deum,vel Creaturam,substantiam, vel acci-

cidens, & sic importat disjunctivè sua inferiora, non copulativè, & per hoc sequitur, quòd non perfectè præscindat à suis inferioribus, & quòd non constituatur per rationes oppositas. Contra primo, data tali responsione præcluderetur omnis via probandi unitatem rationis genericè; sed hoc est falsum ergo, &c. Major probatur; nam pari ratione possent dici, quòd cum concipitur substantia, non concipitur una ratio communis, sed corpus, vel altera species, cum concipitur quantitas, non concipitur una ratio communis, sed aut linea, aut superficies, aut corpus; nam sicut non datur ens, quòd non sit, vel Deus, vel Creatura, ita non datur substantia, quæ non sit corporea, vel incorporea, & quantitas, quæ non sit, vel linea, vel superficies, vel corpus, & animal, quòd non sit rationale, vel irrationale, ergo præcluderetur via, &c., quæ omnia quam ridicula sint, judicio Lectoris remitto. Contra 2. Si ens formaliter, solùm importaret sua inferiora disjunctivè accepta, ergo non daretur differentia inter propositionem identicam, & formalem. Consequentia probatur; nam hę propositiones, Deus est Deus, Creatura est Creatura, &c. sunt propositiones identicæ, & istæ aliæ, Deus est ens, Creatura est ens, sunt propositiones formales, ergo si ens dicit sua inferiora disjunctivè accepta, quando dicitur Deus est Deus, dicitur formaliter, Deus est ens, & è contra, quando dicitur Deus est ens, dicitur formaliter, Deus est Deus, & sic etiam

di-

dicendum de Creatura, ergo propositiones identicæ confunderentur cum formalibus, sed hoc est falsum, ergo id unde sequitur. Respondent convenientiam inter Deum, & Creaturam non esse perfectam, quia in eadem ratione entis inferiora partim conveniunt, & partim differunt, & sic non potest intellectus perfectè præscindere ens à suis inferioribus: Contra; nam Deus, & Creatura in ratione entis reduplicativè accepti perfectè cōveniunt, ut probatum est supra, ergo nulla respōsio.

Obicies 1. Quando ens perfectè præscindit à suis inferioribus, vel adhùc ipsum ens remanet in ipsis inferioribus, vel non, si primum, ergo, non est perfecta præcisió, quæ postulat, ut ratio præcisa ab inferioribus, ita abstrahatur, ut non amplius in eis remaneat, si secundum, ergo, ipsa inferiora non essent aliquod reale, cum non habeant rationem formalem constitutivam entis: Respondetur, quòd à parte rei remanet ipsum ens in inferioribus, at verò respectu intellectus abstrahentis ipsum ens ab inferioribus in illo signo in quo abstrahit, ens, nec dicitur remanere positivè, nec non dicitur remanere positivè in inferioribus, quia pro illo signo, non relucerent, tunc inferiora in ipso intellectu considerante solum ens, nihil considerando de inferioribus, & hoc sufficit ad perfectam, & adæquatam præcisionem.

Obicies 2. Ex Aversa, & est fundamentum oppositæ sententiæ. In tantum conceptus superior dicitur perfectè præscindere à differentiis con-

contrahentibus in quantum differentiæ imbibunt essentialiter ipsum superiorem conceptum, sed omnia inferiora entis essentialiter imbibunt ipsum ens, ergo non potest ens perfectè præscindere à suis inferioribus; Major patet; nam perfecta præcisio, necessariò dicit exclusionem, & separationem unius ab alio, ergo, si ens perfectè præscinderet à suis inferioribus excluderet à suo conceptu inferiora, & inferiora excluderent à suis conceptibus ipsum ens; Minor probatur, nam inferiora non possunt non esse inferiora, ergo non possunt excludere conceptum entis. Respondetur, negando majorem, cum probatione; nam conceptus hominis imbibit essentialiter conceptum animalis, & tamen animal perfectè præscindit ab homine, & equo; Ad perfectam enim præcisionem, sufficit, quod gradus superior in se, & in suo immediato significato, percipi possit, non conceptis inferioribus, nec est necessaria præcisiva exclusio unius ab alio; sed sufficit præcisiva exclusio, idest, non est necessariò, quòd, quando intellectus præscindit gradum animalis à rationali, consideret ipsum animal, non esse rationale, sed sufficit, quòd intelligatur ipsum animal, quod est in homine, non intellecto rationali.

Obicies 3. ex eodem Aversa; vel ens præscindit ab inferioribus, quæ sunt entia, vel, quæ non sunt entia; si primum, ergo præscindit à se ipso; si secundùm, ergo abstrahitur à nihilo. Respondetur, quòd ens præscindit à modis, qui sunt entia

rea-

realiter, non tamen formaliter, & quidditativè. Respodetur 2. quòd quamvis inferiora essent entia realia,& formaliter,non tamen ens prȩscindens ab eis præscinderet à seipso, quia non præscinderet ab ipsis, quatenus entia formaliter sunt, sed quatenus sunt rationes determinatè entis. Instabis. Quidquid est extrà nihil, & contra distinguitur à non ente formaliter, est formaliter ens, sed quidquid est in inferioribus entis est extra nihil, & contradistinguitur à non ente formaliter, ergo quidquid est in inferioribus entis est formaliter ens. Respondetur,negando majorem, nam in sententia Neutralium modi intrinseci entis sunt extra, & contradistinguntur formaliter à non ente, & ipsi non sunt formaliter entia;sed aliquid entis, ita in proposito dicimus, quòd modi intrinseci entis, licèt non sint formaliter entia, & in concreto, sunt tamen entia identicè, sivè in obliquo, scilicèt aliquid entis, sivè non sunt entia,sed sunt essentialia.

Obicies 4. Scotus in primo dist. 8. quȩst. 3. docet conceptum entis, sine modo contrahente, esse conceptum, sed inadæquatum, ergo conceptus entis non perfectè præscindit à suis inferioribus. Respondetur primo, distinguendo antecedens; conceptus entis, sine suo modo est imperfectus, si ens consideretur modaliter,concedo antecedens, si consideretur formaliter, nego antecedens, & eodem modo distinguitur consequens. Respondetur 2. dist.antecedens, relate scilicèt in ordi-

ordine ad ens intellectum cum suo modo, concedo, absolutè, nego. Respondetur 3. dist. antecedens, est imperfectus, quia communis, concedo antecedens, quia non concipitur, sicuti est intelligibile, subdistinguo antecedens, in ordine ad cognitionem abstractivam, nego antecedens, intuitivam, concedo antecedens; nam conceptus hominis, ut intelligitur, ut substantia, est imperfectus, quia communis, non tamen, quia non concipitur sicuti est intelligibilis, in ordine ad cognitionem abstractivam; nam revera homo est intelligibilis cum gradu substantiæ, in quo non relucet gradus rationalis; sic etiam ens est intelligibile sine suo modo, & ideo quantum ad cognitionem abstractivam perfectè ab illo præscindit.

QUÆSTIO IX.

An ens perfectè præscindat ab ente reali, & rationis.

SCiendum, cum Scoto in 3. dist. 22 quæst. unica §. ad primum argumentum alterius opinionis; æquivocationem nominis multoties intellectum decipere, ideo, cum eodem Scoto quolibeto. 3. §. de primo, quia de æquivoco non est simpliciter respondendum, & hoc nomen res, seù ens est æquivocum, & ad propositum, ens reale potest sumi dupliciter, scilicèt largè, nimirum, pro omni, eo quòd habet entitatem, sivè à parte rei, sivè per

intellectum, & strictè, scilicèt pro omni eò, quòd habet entitatem à parte rei tantum; similiter, purum nihil, potest sumi dupliciter, scilicèt largè, pro omni eo, quòd negat entitatem, sivè realem, sivè rationis, & strictè, prò omni eo, quòd negat solùm entitatem realem, modo ens rationis numquam est medium inter duo contradictoria, quia est aliquid in intellectu, licèt nihil à parte rei, quapropter sequitur ens reale, & rationis, non possunt convenire in aliquo conceptu communi, neque à parte rei, neque per intellectum, ex dictis supra in expositione text. Aristotelis 4. metaphysicæ concl. 2. & disput. 2. metaphysicæ quæst. 2. contra Bonetum, Mauritium, & Bargium.

Dico, quòd ens non potest perfectè prescindere ab ente reali, & rationis, sic Scotus 9. metaphysicæ quæst. prima.

Probatur; quòd non est ens univocum suis inferioribus, non potest ab illis perfectè præscindere, sed probatum est, ens, ut sic non dicere conceptum univocum disp. 2. quest. 2. enti reali, & rationis, ergo; minor probatur; nam talis conceptus, vel esset à parte rei, & non diceretur de ente rationis, vel esset per intellectum, & non diceretur de ente reali, ergo &c.

Obicies; possumus habere perfectè conceptum relationis, absque eò, quòd habeamus conceptum relationis realis, vel rationis, ergo possumus perfectè præscindere conceptum entis ab ente reali, & rationis; antecedens probatur, nam possu-

mus

mus perfectè considerare conceptum relationis, absque eo, quòd consideremus conceptum entis realis, & rationis, ergo &c. Respondetur distinguendo antecedens; possumus habere conceptum ultimatum relationis, absque eo, quòd habeamus conceptum relationis realis, vel rationis, nego antecedens, non ultimatum; concedo antecedens; solùm enim possumus habere conceptum imperfectum relationis, absque conceptu relationis realis, vel rationis, non verò habere conceptum, qui abstrahatur ab ipsa relatione; sic enim, vel esset dependenter ab intellectu, & esset conceptus relationis rationis, vel independenter ab intellectu, & sic esset conceptus relationis realis.

QVÆSTIO X.

An ens perfectè præscindat ab ente positivo, & negativo.

SCiendum, quòd tota difficultas in præsenti quæstione consistit in hoc, an ens in suo conceptu præcisivo includat positivum. Mastrius disput. 2. metaphysicæ quæst. 9. art. 3. docet ens in suo conceptu præcisivo includere positivum, & negationes, & privationes, licèt sint à parte rei, non tamen entia realia. Ex opposito Faber Faventinus 4. metaphysicæ disput. 2. Fuentes 1. physicorum quæst. 3. difficul. unica, & multi alii docent, quod ens in suo conceptu non includit posi-

tivum, sed præscindit à positivo,privativo,& negativo,& ideo negationes,& privationes, non solum sunt à parte rei, sed etiam entia realia, unde supposito,quòd explicatum est supra 4.metaphysicæ conclu. 10., quòd negatio habet distinctam formalitatē, & conceptibilitatē ab affirmatione.

Dico, quòd ens perfectè præscindit ab ente positivo,& negativo;Colligitur ex Scoto quolib. 3 §.de primo, & in primo dist. 23.quæst. unica, §. ad primum istorum;est conc. Mastrium.

Probatur primo. Ex Scoto in quolibetis quæst. 3. §. de primo habetur; ens reale esse illud, quòd habet aliquam entitatem extra considerationem intellectus,& in primo distinct. 23. quæst. unica, docet negationes esse entia realia negativa, ergo ens ut sic potest perfectè præscindere, à positivo, & negativo.

Probatur 2. Scotus in primo dist. 23. quæst. unica, §. ad quæstionem,postquam definierit cum Ricardo personam, quæ est intellectualis naturæ incommunicabilis existentia; habet hæc verba; nihil propriè est in hac definitione Ricardi, quòd significet intentionem secundam, quia ex natura rei,sine omni operatione intellectus, est in patre natura intellectualis, & entitas incommunicabilis,hæc Scotus, ergo in sententia Scoti, nihil est in definitione personæ,quòd sit rationis,ergo remanet,quòd sit ens primæ intentionis, & sic ens reale; subsumo; sed in definitione personæ includuntur negationes importatæ per illam particulam

(in-

(incommunicabilis) ergo negationes non ſignifi-cant ſecundas intentiones, ſed primas, ergo ſunt entia realia negativa &c.

Probatur 3. ex Scoto in reportatis, habetur, quòd, ſicut homo eſt homo, ex natura rei, ſic non eſt aſinus, & in primo diſt. 23. quæſt. unica litera, E, habetur, quòd, ſicut ſortes eſt ſortes, ex natura rei, ita non eſt aſinus ex natura rei; ſed homo, per hoc, quòd ex natura rei eſt homo, & ſortes per hoc, quòd ex natura rei eſt ſortes, tàm homo, quàm ſortes ſunt entia realia poſitiva, ergo negationes aſineitatis, per hoc, quòd ex natura rei ſunt in homine, & in ſorte dicuntur eſſe entia realia negativa, ergo ens poteſt &c.

Probatur 3. ratione, quòd ens reale perfectè præſcindat ab ente reali poſitivo, & negativo; intellectus certus de uno conceptu reali entis, & dubius de duobus, habet conceptum unum in ſe, præciſum, & diſtinctum à conceptibus illorum duorum, ſed intellectus noſter eſt certus in ſententia Scoti de perſonalitate creata, quòd ſit ens reale, dubius verò, an talis entitas realis dicat quid poſitivum, vel negativum, ergo habet conceptum unum præciſum, & diſtinctum à poſitivo, & negativo. Confirmatur, nam tàm Scotus, qui ſubſtinet perſonalitatem addere quid negativum, quàm D. Thomas, qui ſubſtinet addere quid poſitivum, ſunt certi de perſonalitate, quòd ſit ens reale, dubii verò, an ſit quid poſitivum, vel negativum, & de hoc dubitant, ergo tàm in intellectu

Scoti, quàm Divi Thomæ, alius est conceptus entis realis, & alius est conceptus positivi, & negativi, ergo ens perfectè præscindit ab ente positivo, & negativo.

Obicies primo, ex Mastrio; Scotus in 4. dist. 11. quæst. 1. §. quantùm ad tertium negat privationem esse entitatem, ergo in sententia Scoti non potest dari ratio communis enti positivo, & negativo; antecedens patet afferendo verba Scoti, quæ sunt hæc, hoc non concludit, quia subjectum nunc existens sub privatione, & prius sub forma, dicitur aliter se habere, & tamen esse sub privatione, non est aliter se habere, quia privatio non est aliqua entitas, ergo privatio non dicit entitatem. Respondetur, negando, antecedens ad probationem, dico, quòd illa verba, non sunt Scoti, ut patet benè ponderanti textum; sed Varronis, defendentis transubstantiationem esse mutationem totalem, quàm opinionem impugnat Doctor subtilissimus per hoc, quòd mutatio potest aliter se habere nunc, quam prius, ex Aristotele 6. physicorum cap. 32. text. 73. Hec ratio ait Scotus non convenit, nisi subjecto tantum, non termino, quia terminus non se habet nunc aliter, quàm prius, quia si est terminus ad quem, nunc primò est, & ita non se habuit prius aliter, quàm nunc, si est terminus à quo, nunc non est, & per consequens non se aliter habet nunc, quàm prius, ergo nihil mutatur, nisi subjectivè, hæc Scotus, & sic adducendo duas responsiones Varronis, habet illa verba,

ba, quòd subjectum existens sub privatione, non est aliter se habere &c. Ergo privatio non est aliqua entitas, igitur sunt verba Varronis, vide etiam impugnationem; Varronis responsionis. Respondetur 2. quòd dato, & non concesso, quòd sint verba Scoti, possunt glosari, ergo privatio non est entitas positiva, concedo, non est entitas simpliciter nego.

Obicies 2. Ex Mastrio. Ens reale ut sic ex suo reali conceptu, dicit quid positivum, ergo implicat ens reale dicere negationem; Antecedens patet, quia negativum, & positivum contradictoriè opponuntur, ergo nō solum opponūtur secundùm rationes positivi, & negativi, sed etiam in ipsa ratione entis; Consequentia patet, quia si non opponerentur secundùm rationem entis, tunc non opponerentur, ut pura affirmatio, & pura negatio, sicut petit contradictoria oppositio. Respondetur, cum Fabro Faventino, negando antecedens, habet enim Faber, hæc verba; revera illud, quòd decipit adversarios, provenit ex hoc, quòd non distingunt inter positivum, & ens reale, sed putant, omne ens reale esse positivum, quòd est falsum, & subdit inferius. Ens reale, & positivum distinguntur pænes hoc scilicèt, quòd est quid communius ens reale, quam ens positivum, communiter enim, illud, quòd est in rerum natura seclusо opere intellectus dicitur ens reale, & tamen non sunt entia positiva, quia privationes sunt entia in rerum natura, sine opere intellectus, hæc

Faber, quare ad probationem antecedentis Mastrii, nego, quòd ens positivum, & negativum sint contradictoria, cum in ratione entis conveniant, & sic liberè concedimus, quòd esse positivum, & negativum non opponuntur sicut pura affirmatio, & pura negatio, ut pro certo videtur supponere Mastrius. Instat Mastrius; negationes sunt non entia, ergo negationes, etiam non sunt entia realia, ergo contradictoriè opponuntur; Respondetur, cum Fabro, distinguendo antecedens, sunt non entia positivè, concedo antecedens simpliciter, nego antecedens, negationes enim sunt entia realia privativè, seù negativè, & & distinguntur per hoc ab ente reali positivo, quia ens positivum est illud, quòd ponit entitatem aliquam rerum natura, negativum verò tollit. Instat Mastrius; positivum, & negativum contradictoriè opponuntur, ergo, in nullo conveniunt, ergo, intellectus non potest aliquam rationem communem prescindere ab ipsis; Antecedens probatur; nam ens ut positivum ponit, & affirmat aliquid in rerum natura, ergo ens negativum tollit, & negat aliquid in rerum natura, ergo contradictoriè opponuntur; Respondetur; negando antecedens, ad cujus probationem, distinguo, antecedens, positivum, ratione, qua positivum, & quatenus reduplicatio cadit solùm supra illi positivum, concedo antecedens, quatenus cadit supra ens, nego antecedens; sic etiam ens negativum, quatenus reduplicatio


ca-

cadit solùm supra lii negativum, concedo antecedens, quatenùs cadit supra lii ens, nego antecedens; positivum, ut positivum, & negativum, ut negativum, contradictoriè opponuntur, tamen ens positivum, & ens negativum, non sic opponuntur, sed conveniunt in aliquo, scilicèt in esse in rerum natura, absque opere intellectus. Instat Mastrius. Negatio, ita opponitur positivo, ut tollat, quidquid positivum ponit, sed in ratione positivi involuitur etiam ratio entis realis, ut sic ergo negatio non solùm tollit esse positivum, sed etiam esse entis realis ut sic, ergo ens reale non involuitur in ratione entis negativi. Respondetur, distinguendo majorem, ut supra, ut tollat quidquid positivum ponit, sub ratione, quà positivum, & reduplicativè, concedo majorem, ut tollat quidquid positivum ponit, ratione qua ens, nego majorem, & distinguo minorem, ratio entis realis, ut sic, involuitur in ratione positivi, ut positivum est, nego minorem, specificativè, concedo minorem; Ratio enim entis realis, ut sic, quæ consistit in esse independenter ab intellectu, non solùm includitur in raione positivi, sed etiam negativi.

Obicies 3. Ex eodem Mastrio. Ens negativum dicitur tale, ex eo, quia excludit à se omnem rationem realem entis, ergo contradictoriè opponitur cum positivo. Respondetur negando antecedens; non enim dicitur tale, quia negat omnem entitatem realem, ut sic abstractum à principio contrahente; sed quia negat omnem entitatem

tem realem positivam. Instat Mastrius, Ens negativum est negatio, non quia negat omnem entitatem ut sic, sed, quia negat talem entitatem realem positivam, ergo affirmat entitatem realem, ut sic, ergo ens negativum est affirmativum: Respondetur, concedendo antecedens, & distinguendo ultimum consequens, ergo ens negativum est affirmativum in ordine ad aliud est affirmativum, nego consequentiam; in ordine ad se, concedo consequentiam, ergo simpliciter loquendo, quòd est affirmativum, est negativum, nego consequentiam; Negationes enim, & privationes, cum à subjectis negant formas oppositas, affirmant seipsas existere in subjectis, & in hoc sensu dici potest, quòd ens negativum sit affirmativum.

Obicies ultimo; Si daretur ratio entis abstracta, à positivo, & negativo, sequeretur, quòd ens reale negativum esset majus, & perfectius, quàm ens reale ut sic, sed hoc est falsum, quia ratio entis, ut sic, ut superior est major, & perfectior, quàm ratio entis negativi. Respondetur, concedendo majorem, & negando minorem; nam non est absurdum, quòd species sit perfectior genere, & quod individuum sit perfectius specie, modo illa ratio entis realis abstracta, esset, quasi generica in ente negativo, postea esset specifica, & sic perfectior.



DISPVTATIO TERTIA

De realitate entis.

MAgnum semper fuit prælium inter Scotistas circa realitatem entis; nam Trombeta, Canonicus; Poncius in sua Metaphysica disput.18. quæst.3 concl. 4., & alii, quorum dux est Faber Faventinus, Theoremata 94. cap.1., & 2. affirmant, quòd ens dicat realitatem à parte rei,& colligunt, ex Scoto in 1.dist.8.quæst.3.§.ad primum, & dist.3.quæst. 2.,& in 2.dist.3. quæst. 1. E' contra verò alii Scotistæ,ut Bargius,Licchetus,& alii,quorum dux est Mastrius disput.2.ede natura entis, quæst.4.art.1., & 2., negant de mente Scoti in 1.dist.3.quæst.2., & dist.8. quæst. 3. lit. E. Et solùm ens dicere conceptum communem. Verùm,quia in realitate entis sunt maximæ difficultates, tum pro una, tum pro altera parte; Ego licèt supra 6. Metaphysicæ, concl. 3. assertivè exposui, non dari realitatem entis,

entis, nunc problematicam relinquo, ut unusquisque opportunè ad libitum sui ingenii substinere possit probabilitatem hujus difficultatis; hoc tamen unum consulo quòd Scotus magis inclinat, quòd ens non dicat unam realitatem communem Deo,& Creaturæ.

QUÆSTIO I.

An ens dicat realitatem à parte rei communem suis inferioribus, an solum conceptum.

SCiendum, quòd hæc quæstio non habet locum apud illos authores, qui dicunt, quòd ens est æquivocum, vel purum analogum, quos supra 4. metaphysicæ concl.3.,& 4., & disput. 2. metaphysicæ quæst 4. confutavimus, quia, secundùm istos authores clarum est, quòd ens non potest importare unam realitatem communem Deo, & Creaturæ; sed versatur inter Scotistas, & alios Doctores admittentes univocationem inter ens, & sua inferiora.

Sciendum 2.,quòd jàm supra visum 4 metaphysicæ concl.3., & 4., & disput. 2. metaphysicæ quæst.3. 4., & 5. quòd ens habet conceptum realem communem,& univocum Deo, & Creaturis; ideo quæritur, an talis conceptus entis fundetur in aliqua realitate, sivè natura communi à parte rei reperta in omnibus entibus, & ex natura rei

for-

formaliter distincta à suis contrahentibus, saltem negativè, taliter, quòd Deus, & Creatura, qui dicuntur convenire in ratione entis, conveniant in aliqua realitate independenter ab intellectu; An verò talis conceptus entis immediatè abstrahatur ab intellectu à propriis realitatibus Dei, & Creaturæ, taliter, quòd Deus, & Creatura, qui dicuntur convenire in ratione entis, conveniant communitate rationis, ut vult Bargius, & cum eò multi Scotistæ, quatenus intellectus perfectè concipit ens in Deo, & Creaturis, non verò conveniunt à parte rei communitate reali, respectu intellectus perfectè concipientis, tàm rationem creati, quàm increati.

Sciendum est, 3. cum Scoto, in primo dist. 8. quæst. 1. lit. G., quòd inter alias rationes, ob quas Deus non est componibilis, nec compositus, est quia ipse Deus est ens infinitum, cujus esse non potest excedi, &, quia componibile debet esse pars alicujus compositi, & pars potest excedi, ideò sequitur, quòd Deus, ut ens infinitum, nequit esse pars componibilis. Confirmatur, quia omne componibile caret perfectione illius, cum quo componitur, ita, quòd illud aliud componibile non habet in se omnem perfectionem, & omnimodam identitatem, cum eò, quia tunc non posset cum illo componi, sed nullum infinitum caret eo, cum quo potest aliquo modo esse idem, immò habet in se omne tale, secundùm perfectam identitatem, hæc Scotus, ex cujus doctrina habe-

tur,

tur, quòd rationes, quæ faciunt compositionem, debent esse finitæ, ita, ut si finitæ non sint, compositionem non faciunt, & insuper, quia finitæ *sunt*, etiam sequitur, quòd componibile careat perfectione illius, cum quo componitur; si enim res infinita esset, nihil sibi deficeret, quare, quia Deus est in omni genere, & in omni ratione consideratus infinitus, sequitur, quòd in nullo genere, & in nulla ratione sit componibilis.

Sciendum est. 4. cum Tatareto in primo dist. 3. quæst. 1., quòd realitas duplex est, subjectiva, & objectiva, realitas subjectiva est res, quæ existit, vel potest in natura existere, realitas autem objectiva est ratio aliqua ex natura rei conceptibilis, & nata terminare actum intelligendi, & movere ad intellectionem sui, ante quemcunque actum intellectus, sivè collativum, sivè absolutum.

Dico primò, quòd non datur realitas entis à parte rei, quæ sit communis Deo, & Creaturæ, substantiæ, & accidenti; ita Scotus citatus, cum Scotistis, contra primos Scotistas.

Probatur 1. Quidquid est in Deo est de se hoc, & singulare, sed si daretur talis realitas entis communis à parte rei, Deus non esset de se hic, & singularis, ergo, ens non importat talem realitatem communem; Major patet, quia Deus est singularissimus; minor probatur, quia talis realitas entis verè esset contrahibilis, cum sui divisione, divideretur enim in Deum, & Creaturam, sed, quòd contrahitur, & dividitur, non est de se hoc, & sin-

& singulare, ergo talis realitas entis, non esset de se hæc, & singularis, & consequenter, Deus non esset de se hic, & singularis.

Probatur 2. Si ens importaret hanc realitatem communem à parte rei, respectu Dei, & Creaturæ, sequeretur in Deo dari saltem metaphysicam compositionem, sed hoc est falsum, ergo ens non importat, &c. ; sequela majoris probatur, quia ad compositionem metaphysicam requiruntur duæ realitates; quarum una sit contrahibilis, & alia contrahens, patet de homine metaphysicè composito, ex animalitate, tamquàm ex realitate contrahibili, & rationalitate, tamquàm ex realitate contrahente; sed supposita tali realitate entis à parte rei, verè darentur in Deo duæ realitates, scilicèt, entis, & Deitatis, quarum una esset contrahibilis, & altera contrahens, ergo verè daretur in Deo compositio metaphysica, si ens importaret unam realitatem communem Deo, & Creaturis.

Probatur 3. Deus, & Creatura sunt primò diversa in realitate, sed si ens importaret realitatem communem, Deus, & Creaturę non essent primò diversa, ergo ens non importat unam realitatem communem à parte rei Deo, & Creaturæ.

Probatur 4. Si ens importaret unam realitatem communem, præcisam à suis inferioribus scilicèt à Deo, & Creatura, vel talis realitas esset summè necesse esse, vel esset possibile esse, sed neutrum dici potest, ergo, &c. Minor probatur, non

po-

potest dici primum, quia tunc aliquod summè necesse esse includeretur in Creatura, quòd est falsum; non potest dici secundùm, quia tunc aliquod possibile esse esset in Deo, quòd est falsum, ergo ens non importat unam realitatem communem Deo, & Creaturæ, substantiæ, & accidenti.

Obicies pro primis Scotistis, quòd ens importet unam realitatem communem Deo, & Creaturæ. Ratio, cur ens non importat talem realitatem à parte rei communem Deo, & Creaturæ, est, quia tunc daretur compositio in Deo ex illa realitate communi entis, & modo intrinseco, sed ista cōpositio ex realitate, & modo intrinseco non repugnat Deo, ergo, nec repugnabit, quòd dicat realitatem communem; Minor probatur; nam ens; per Scotistas negantes realitatem importat unum conceptum objectivum communem Deo, & Creaturæ, & contrahibile ad Deum, & Creaturam per modos intrinsecos, scilicèt per finitatem, & infinitatem, ergo non repugnat in Deo compositio ex realitate, & modo intrinseco: Respondent secundi Scotistæ, concedendo majorem, & negando minorem, ad probationem concedunt antecedens, & negant consequentiam, & paritatem, disparitas est, quia conceptus objectivus quem importat ens est opus intellectus, pro quanto intellectus concipit rationem entis, sine suo modo; realitas verò communis, quam ens importaret à parte rei per primos Scotistas esset realis, at quia compositio realis repugnat Deo, non ve-

rò

rò compositio rationis, ideò repugnat compositio in Deo ex realitate,& modo,non tamen repugnat in Deo compositio ex conceptu objectivo, & modo.

Obicies 2. Datur à parte rei natura communis dicens realitatem formaliter distinctam à suis inferioribus, ergo debet dari realitas entis, &c. Antecedens probatur de qualibet natura communi, V. G. Animali, colore, hominis, &c. Consequentia probatur,quia,sicut conveniunt in animali,homo,& leo,ita conveniunt in ente Deus, & Creatura, ergo si homo, & leo conveniunt in natura reali, scilicèt in animalitate, ita etiam Deus, & Creatura conveniunt in realitate entis. Respondetur, concedendo antecedens, & negando consequentiam,ad probationem, nego antecedens; Animal enim importat formalitatem adæquatam,quæ potest adequatè concipi,sine suis inferioribus, cum semper accipiatur cum suo modo,scilicèt finitate,sicut,&, quælibet natura communis; Conceptus verò entis est inadæquatus, cum ratio entis ut sic numquam possit concipi cum suo modo,scilicèt,cum finitate,vel infinitate.

Obicies 3. Si ens diceret eandem realitatem à parte rei, quàm dicit Deus, V. G. sequeretur, quòd ens non posset prædicari de Creatura, ergo, ens importat unam realitatem, sequela probatur, quia Deus non prædicatur de Creatura, ergo signum est,quòd realitas entis prædicatur de Deo, & Creatura. Respondent secundi Scotistæ, distin-

guendo sequelam, si ens diceret realitatem Dei adæquatam, concedunt sequelam; inadæquatam, negant; Ens enim, quando concipitur inadæquatè, potest prædicari de Deo, & Creatura, si vero concipiatur adæquatè, tunc prædicatur solùm de Deo, vel Creatura, vel substantia, vel accidente.

Collige, quòd ens solùm importat conceptum objectivum communem Deo, & Creaturæ, substantiæ, & accidenti, non verò unam realitatem communem, & ratio est, quia conceptui formali entis debet corrispondere unus conceptus objectivus, sed hic conceptus objectivus, non est realitas distincta, sed conceptus per intellectum abstractus à suis entibus particularibus, quapropter adverte, quòd commune est induplici differentia, determinatum unum, & indeterminatum alterum, commune determinatum est illud, quòd, secundùm suam rationem formalem perfectè præscindit à suis inferioribus, ut Animal perfectè præscindit, & adæquatè à rationali, & irrationali, nam istæ differentiæ non sunt de quidditate illius, quia sunt extra ejus essentiam, quæ est, ut sit principium sentiendi; sic etiam scientia in communi, perfectè, & adæquatè præscindit à practico, & speculativo; Commune indeterminatum, ab opposito est illud, quòd inadæquatè, & imperfectè præscindit à suis inferioribus, & non potest intelligi sine ipsis; sic linea ad rectum, & curvum, & numerus ad par, & impar, quæ adæquatè, & perfectè non possunt concipi, sine ipsis, nam differen-

tiæ,

tiæ,seù modi sunt de quidditate ipsius;sic ens ad finitum,& infinitū,ad substantiā, & accidens, &c.

Dico 2. quòd non est impossibile asserere in via Scoti, quòd ens importet unam realitatem communem respectu Dei,& Creaturæ,substantiæ, & accidentis, Contra secundos Scotistas.

Probatur primò,ex Scoto in 1. dist.8. quæst. 3.§.ad primùm argumentum;ubi habet, hæc verba; requiritur distinctio inter illud, à quo accipitur conceptus communis, & illud, à quo accipitur conceptus proprius,non ut distinctio realitatis,& realitatis, sed, ut distinctio realitatis,& modi proprii,& intrinseci ejusdem;quæ distinctio sufficit ad habendum perfectum conceptum,vel imperfectum de eodem, quorum imperfectus sit cōmunis,& perfectus sit proprius; ergo,in sententia Scoti, illud in quo conveniunt Deus, & Creatura est realitas entis; consequentia patet; nam Scotus docet, quòd illud à quo accipitur conceptus cōmunis sit distinctum ab eò, à quò accipitur conceptus proprius, sed talis distinctio non versatur inter duas realitates, sed inter realitatem, & modum, ergo illud à quo accipitur conceptus communis,sivè convenientiæ Dei, & Creaturę est realitas, & illud à quo accipitur conceptus proprius est modus, ergo ens dicit realitatem.

Probatur 2. per Scotum in 1.dist.3. quæst.2. datur univocatio realis inter Deum, & Creaturā, sed negata realitate objectiva communi entis,non daretur univocatio realis metaphysica, ergo &c.

 Mi-

Minor probatur, negata realitate entis, Deus, & Creatura in nihilo convenirent à parte rei, ergo, non daretur univocatio realis &c. Consequentia probatur; nam Deus, & Creatura solùm convenirent, in nomine, nempè inconceptu abstracto à nomine communi, non vero à realitate communi entis.

Probatur 3. conceptus entis incommuni, qui est alius à conceptu entis creati, & increati est univocus, ut probatum est supra; sed negata realitate objectiva,& communi entis Deo,& Creaturæ, non posset assignari hic conceptus, qui esset alius à conceptu entis creati,vel increati,vel conceptus, qui esset neuter, & inclusus in ente creato, & increato, ergo negata realitate, negatur quoque conceptus entis;minor patet,nam negata realitate communi entis, non remanerent, nisi realitates particulares, ergo conceptus, qui assignaretur, vel esset conceptus entis creati, vel increati, ergo non alius, & distinctus, ergo non assignatur conceptus neuter, & consequenter, nec univocus.

Probatur 4. Scotus in 2. dist. 3. quæst. 1. §. contra, admittit naturam communem lapidis, hominis &c.à parte rei, ergo etiam naturam entis à parte rei, consequentia probatur;nam illæ rationes, quæ probant dari naturam à parte rei, V.G. hominis, lapidis &c. Probant etiam dari realitatem entis, & communem à parte rei; antecedens patet; nam prima ratio Scoti, qua probat naturam lapidis esse communem, & non de se hanc est

ista; Quia natura lapidis, quando intelligitur sub ratione universali, non intelligitur sub ratione opposita suæ rationi, quòd necessariò eveniret, si natura lapidis esset de se hæc, & singularis, ergo secundum Scotum,eò, quòd natura lapidis potest intelligi,ut universalis, sivè, ut communis, cum non sit de se hæc,nam, aliter intelligeretur sub ratione opposita suæ naturæ; sequitur, quòd dum ens intelligitur esse à parte rei, tunc est objectum intellectus,& per consequens,prius naturaliter ipso actu intellectus; sed hoc modo Scotus discurrit de natura communi, ergo si in illo priori per Scotistas adversarios negatur realitas; ens est de se singulare, & intellectus intelligendo ens sub ratione universali,intelligeret ens sub ratione opposita suæ naturæ, quòd in sententia Scoti non est verum.

Probatur 5.Scotus in 2. dist.3.quæst.1.lit.B. concludit inter Petrum, & Paulum dari identitatem realem, & convenientiæ in unitate humanitatis, quæ relatio realis, non est nisi supra fundamentum reale; hoc supposito, sic arguo; inter Deum, & Creaturam nullo intellectu cogitante, in ratione entis,datur relatio convenientiæ realis, sicut inter Petrum, & Paulum, in ratione humanitatis, ergo sicut inter Petrum, & Paulum datur unitas realis formalis, quæ est fundamentum convenientiæ realis, ita pariter inter Deum, & Creaturam debet dari unitas formalis, realis entis,quæ sit fundamentum convenientiæ realis, ergo

go datur realitas entis communis Deo, & Creaturæ.

Probatur 6., ex Scoto Theoremate 4. Cuilibet universali correspondet in re aliquis *gradus* entitatis, in quo conveniunt contempta sub universali; sed conceptus communis entis est universalis metaphysicæ, cum sit realis, ergo tali conceptui debet correspondere aliquis gradus entitatis in re, in quo conveniant contempta sub universali, ergo cuilibet universali correspondet in re, una realitas; sed ens est universale, ergo &c. Confirmatur; nam omnes expositores, commentando verba Scoti, quod cuilibet universali correspondet in re aliquis gradus entitatis adducunt pro ratione hoc absurdum; quia dato opposito, non magis diceretur homo universalis, quam sortes; sed si enti, ut universali metaphysico non corresponderet in re aliquis gradus entitatis, ergo non magis diceretur ens universale, quam tale ens. Tum quia aliter universale non posset prædicari in quid de re extra, sed conceptus entis prædicatur in quid de re extra scilicet de Deo, & Creatura, ex Scoto in 1. dist. 8. quæst. 3. §. ad primum argumentum, ergo in sententia Scoti, conceptui entis correspondet in re aliquis gradus entitatis, in quo conveniunt &c. & consequenter &c.

Obicies 1. pro secundis Scotistis, authoritate Scoti in primo dist. 8. quæst. 3. §. ad argumenta, solvendo argumentum Henrici probantis, non posse dari aliquod commune univocum Deo, & Crea-

Creaturæ, quia primò diversa in nullo conveniũt, & Deus, & Creatura sunt primò diversa; habet hæc verba, ad secundum patebit ex 2. articulo, quòd Deus, & Creatura non sunt primò diversa in conceptibus, sunt tamen primò diversa in realitate, quia in nulla realitate conveniunt, & quòd possit esse conceptus communis, sine convenientia in re, vel realitate, in sequenti dicetur, hæc Scotus, ergo in sententia Scoti, non datur ista realitas &c. Respondet Faber Faventinus Theomate 94. distinguendo consequens sunt primò diversa in realitate prædicamentali, & generica, concedo, in realitate transcendentali, & præscindente à potentialitate, nego, de prima loquitur Scotus, non de 2. Respondet Canonicus, primo physicorum quæst. 3. § per evidentiam; distinguendo consequens; non datur realitas subjectiva entis, concedo consequentiam, quare Deus, & Creatura sunt primò diversa, & se totis distinguntur, secundum realitatem metaphysicam, objectivam, nego; sic exemplum, conceptui specifico hominis correspondet uno modo realitas naturæ animalis, non determinatè ad hoc, vel ad illud suppositum; alio modo correspondet illi realitas, ut participata & determinata in diversis suppositis; primo modo, ista realitas non habet esse, nisi objectivum, & unitatem propriam correspondet soli realitati; secundo modo habet esse subjectivum in effectu, & sic non correspondet sibi aliqua unitas, sed potius pluralitas, cum sit in illis plurificata, ista tamen

plura ponunt fundamentum remotum dictæ unitatis; similiter conceptui entis correspondet duplex realitas, uno modo ipsa entitas non determinata ad hanc, vel illam entitatem, nec ad existere, vel non existere, nec ad hunc modum essendi, vel illum, & sicut habet realitatem, habet propriam entitatem, & esse objectivum præcisè, & secundùm hanc accidit sibi omnis entitas singularizata, & omnis modus essendi determinatus; Alio modo correspondet sibi entitas ut determinata, & plurificata in diversis suppositis actu existentibus, & secundùm hanc, non habet esse objectivum, nec aliquam unitatem, immò totalem diversitatem, hæc Canonicus, & nihil clarius, ait quidam novus Scotista.

Obicies 2. In Deo quid quid est, est singulare, ergo in Deo non datur ista natura entis, ut communis, consequenter &c. Respondetur primò, distinguendo antecedens, quid quid est in Deo est singulare in esse subjectivo, concedo antecedens, in esse objectivo, nego antecedens, ergo &c. Nam realitas entis in esse objectivo, non subjectivo, est communis Deo, & Creaturæ. Respondetur 2. distinguendo antecedens, quid quid existit in Deo, ut incommunicabile ad extra est singulare à se, concedo antecedens; quid quid existit in Deo, ut communicabile ad extra est singulare, nego antecedens; nam ut ait Trombeta quæst. 2. metaphysicæ ad tertium principale; omne, quòd est in Deo, incommunicabile ad extra, sicuti est Deitas, im-

men-

mensitas, immutabilitas, quæ competunt ipsi Deo, & non aliis, sunt de se necesse esse, & singularia; sed rationes aliquæ formales, quæ sunt in Deo, & non repugnant Creaturis communicari, non oportet, quòd sint de se necesse esse, & singulares, cujusmodi est in casu realitas entis.

Obicies 3. Prædicata quidditativa Dei non distinguntur ex natura rei inter se; sed realitas entis est prædicatum quidditativum, ergo in Deo non distinguitur ex natura rei à Deitate, ergo, sicut Deitas non est communis Deo, & Creaturæ à parte rei, ita nec realitas entis; Major probatur, ex Scoto in primo dist. 8. quæst. 4. lit. S. ubi habet hæc verba, ad secundùm exemplum de homine, qui non uno modo, nec una consideratione dicit hæc tria, corpus, rationale, homo, ergo, sic dicendum est de realitate entis, & Deitatis, scilicèt, quòd sola consideratione distinguantur. Respondetur ex doctrina Boneti, argutissimi Scotistæ, lib. 2. suę Theologiæ naturalis, §. amplius autem, ubi habet hæc verba; patet autem in istis principiis positis, quòd essentia primi motoris propter suam infinitatem, non identificat sibi omne compossibile cum ea, quia non identificat sibi quidditatem entis omninò, absque omni non identitate, sivè distinctione, nec quidditatem substantiæ, nec aliquod prædicatum commune sibi, & aliis, hęc Bonetus, quare ad probationem majoris, dico, quòd textus ille non est Scoti; sed est addictio quædam aliorum, ut videre est.

Obi-

Obicies 4. si conceptus entis fundaretur in una natura communi Deo, & Creaturæ; sequeretur dari compositionem saltem metaphysicam in Deo ex actu, & potentia; sed hoc est falsum, ergo &c, sequela majoris patet; nam data realitate entis esset in Deo realitas contrahibilis,& contrahens,ergo compositio metaphysica; Consequentia etiam patet, tum ratione, quia, ex contrahibili, & contrahente habetur metaphysica compositio; Tum authoritate Scoti, in 2.dist.3. quæst.6.lit.G. ubi respondens ad primum argumentum,ait, quòd individuum in quo est natura contrahibilis est compositius illa natura, ergo Scotus concedit, in quo est natura contrahibilis, sit individuum aliqua compositione compositum, ergo si in Deo esset ista realitas contrahibilis,esset Deus magis metaphysicæ compositus, quàm natura communis entis. Respondetur cum Boneto, lib. primo Theologiæ naturalis cap.primo,& lib.2. cap.8. negando sequelam majoris, ad probationem, distinguo antecedens, ex contrahibili, & contrahente finitis fit compositio metaphysica, concedo antecedens; non finitis, nego antecedens, & quando Scotus docet individuum esse compositum in natura contrahibili,supponit, quòd tàm natura contrahibilis, quàm differentia individualis contrahens sint entia positivè finita, ut etiam deducitur ex titulo quæstionis, in qua citatur Doctor subtilissimus, nam ibi quæritur, utrum substantia materialis sit individua, per aliquam entitatem positi-

vam

vam determinantem per se naturam ad singularitatem, cum ergo omnis substantia materialis sit finita, benè concedit Scotus, quod individuum, in quo est natura contrahibilis sit compositum in natura; sed non sic potest dici de natura entis in Deo; Tum quia non est finita positivè; Tum quia radix, ex qua componentia dicuntur habere rationem partis est ex eo, quia debent esse finita, & ideò Deus non est compositus.

Instabis, realitas entis, quia communis Deo, & Creaturæ ex se non est finita, ergo in Deo poterit habere rationem partis, & componere. Respondent, cum Boneto concedendo antecedens, sed negant consequentiam; nam ad habendam rationem partis non sufficit ex se non habere infinitatem, sed requiritur, quòd habeat finitatem positivam pro gradu intrinseco; modo quidditas entis, substantiæ, & spiritus in quibus univocatur Deus non habent finitatem pro gradu intrinseco, hæc Bonetus.

Instabis, si requiritur, quòd illud, quòd componit sit ex se finitum positivè, ergo realitas entis in Creatura non facit compositionem metaphysicam, & sic simplex erit Creatura, sicut Deus, quòd est falsum. Respondent, cum eodem Boneto, negando consequentiam; nam, ut aliquod faciat compositionem, sufficit, quòd ambo extrema composita sint finita formaliter, vel, quòd alterum eorum sit finitum formaliter, & alterum, nec finitum, nec infinitum, licèt ergo realitas entis ex

se

se non sit finita positivè, quia tamen id, quò d eam contrahit est finitum, & limitatum, ideò ens in Creatura facit compositionem.

Obicies 5. Data ista realitate in Deo ab ipsa Deitate distincta formaliter, talis entitas se haberet, ut potentia, & actus, ergo Deus esset compositus: patet hæc consequentia, ex Aristotele 6. metataphysicæ, cap. ultimo, ubi ait, quòd unitas compositi est ex ratione actus, & potentiæ; probatur antecedens; nam omnis realitas, quæ, secundùm se est indifferens ad aliqua est potentialis ad illa, pro eo tunc, pro quo est indifferens, & debet esse alia realitas, quæ non est indifferens, sed se habet, ut actus; sed realitas entis est indifferens ad Deum, & Creaturam, Deitas verò non sic indifferens, ergo, realitas entis in Deo, se habet ut potentia, & Deitas ut actus, ergo Deus esset compositus. Respondetur negando primam partem antecedentis, ad cujus probationem, distinguo majorem; Tunc realitas est potentialis, quando est indifferens ad aliqua finita, & limitata, quæ possunt habere rationem actus, & potentiæ physici, vel metaphysici, concedo majorem, quæ non sic se habent, nego majorem; Vel breviter, quando est indifferens indifferentia generica, & limitata, concedo majorem; Transcendentali, & illimitata, idest tàm ad finitum, quàm ad infinitum, subdistinguo majorem est potentialis actu, & formaliter, nego majorem, potestativè, & permissivè, concedo majorem; Ens enim quia formaliter præscindit à finitate, & infi-

infinitate, præscindit quoque actu, & formaliter ab hoc, quòd est habere rationem potentialem, & ab hoc quòd est non habere rationem potentialem; si enim postea conjungetur ens cum Creatura, cujus est habere finitatem pro gradu intrinseco, inducit rationem potentialem; si verò conjungitur cum Deo, cujus est habere infinitatem pro gradu sibi intrinseco, non dicitur induere rationem potentialem, requisitam ad metaphysicam compositionem.

QUÆSTIO II.

Quid, &, an dentur modi, tàm intrinseci, quàm extrinseci.

SCiendum primò, quòd modus intrinsecus, & extrinsecus sunt adeò modicæ entitatis, ut per se, & solitariè, nunquam existere possint; nec per Dei potentiam; sed necessariò petunt esse annexi rebus, quas modificant, & determinant; undè res possunt quidem existere sine modis, sed non è contra; ratio à priori est, quia entitas modalis, à natura fuit instituta, non ad per se existendum, sed ad modificandam rem per se existentem; ratio verò à posteriori est, quia entitas modalis est de genere relativorum, formaliter consideratorum; cum dicat ordinem ad rem modificatam, & quia formæ relativæ repugnant per se existere, idcirco, etiam fit, quòd modi, etiam per Dei po-

tex-

tentiam, non possunt esse sine eorum subjectis.

Sciendum 2. cum Mastrio disput. 2. metaphysicæ quæst.6.num.145., quòd modus extrinsecus non benè definitur,est ille,qui nec divinitus potest separari à subjecto;nam ista definitio competit aliis, probatur, nam formæ in sententia Thomistarum; passiones, & tertiæ entitates in sententia Scotistarum sunt inseparabiles à subjecto, & tamen non sunt modi extrinseci; Tum, quia non explicat essentiam definiti; sed modus extrinsecus est forma necessariò afficiens subjectū dando illi aliquod, quòd est extra essentiam totam, & individuam existentem in rerum natura, colligitur ex Scoto in 4 dist. 12. quæst. 1. lit. T., ubi loquitur de inhærentia albedinis, quæ dicitur quo albedo inhæret; Dicitur forma loco generis, cæteræ particulæ loco differentiæ; nam per hoc, quòd necessariò afficiat subjectum, significatur ejus inseparabilitas à subjecto; per hoc, quòd dat aliquod, quòd est extra essentiam totam, significat proprium minuens ipsius modi,quòd est novam entitatem non addere rei, sed præexistentem solùm modificare; per illud, quòd est extra essentiam, totam, & individuam existentem, significatur, discrimen inter modum extrinsecum,& intrinsecum,eò,quia modus extrinsecus supponit rem constitutam in esse quidditativo, & individuali,intrinsecus verò,licèt supponat quidditatem constitutam integrè,& perfectè, saltem inadæquatè, ut volunt multi Scotistæ, non tamen sup-

ſupponit illam, ut individualem, & exiſtentem; nam aliqui modi intrinſeci conſequuntur naturam in eſſe ſpecifico,ut finitas,& infinitas, neceſſitas, & contingentia, & alii intrinſeci conſequuntur naturam in eſſe individuali,ut ſunt gradus intentionis, & remiſſionis in qualitate, ut etiam expoſui 12.metaphyſicæ concl.3.

Dico ergo primò,quòd dantur modi extrinſeci,colligitur,ex Scoto in 2.diſt.1,quæſt.5.lit. I., & in 4.diſt. 12. quæſt. 1, contra Patrem Vulpem, tom.1.part.1.diſput.3. intelligentem locum Scoti de modo intrinſeco, non extrinſeco.

Probatur 1.Scoticè,contra Vulpem;Scotus in 2. diſt. 1. quæſt. 5., docet relationem eſſe modum, & non modũ intrinſecũ fundamenti ſicut eſt infinitas in Deo, ergo Scotus loquitur de modo extrinſeco; Antecedens patet, afferendo verba Scoti,quæ ſunt iſta; Relatio, licèt ſit modus, non tamen eſt modus intrenſecus fundamenti, ſicut eſt infinitas in Deo,ergo in ſententia Scoti dantur modi extrinſeci, Tum, quia, ex Scoto quolib. 3, habetur, quòd modus ſit quaſi ſimplex circumſtantia rei.& extrinſecè aliquid ergo, &c.

Probatur 2. Quantitas, ut unita, ſivè inhærens importat in obliquo actualem ſubſtantiam, & non unita non importat actualem ſubſtantiam; ſed talis contradictio non poteſt verificari ratione ſuæ quidditatis; quatenus ſemper eſt eadem, ergo, diverſificatur contradictio ratione modorum diverſorum, ſub quibus ponitur, ſcilicèt ratio-

tione modi positivi, quando unitur subjecto; & ratione modi negativi, quando separatur à subjecto, ergo debent dari modi extrinseci. Confirmatur; Res Creatæ possunt extrinsecè diversimodè considerari, & verè sine fictione intellectus, ergo debent dari isti modi diversi extrinseci; Antecedens patet, nam eadem res potest considerari, ut unita, & ut separata, ut propinqua, & , ut distans, ut terminans totum, & ut terminans partem, ergo in tali casu res non variantur, nisi extrinsecè.

Obicies, cum Fabro 5. metaphysicæ, unio, præsentia localis, actio, passio, &c. sunt accidentia, ut patet, ergo non sunt ponendi modi extrinseci, ultra accidentia; Respondetur, distinguendo antecendens sunt accidentia absoluta, nego antecedens, relativa, concedo antecedens; nam melius dictæ actiones explicantur sub ratione entitatis modalis relativæ, quàm simpliciter, sub ratione accidentis, ut sic, sivè sub ratione accidentis relativi solùm; Paternitas, enim est verè accidens relativum, & tamen non dicitur extrinsecè, sed intrinsecè advenire patri. Instabis, unio, præsentia localis, actio, passio, &c. ut modi extrinseci, sunt relationes extrinsecus advenientes, ergo non sunt modi extrinseci. Respondetur, cum Scoto ubi supra, concedendo antecedens, & negando consequentiam; nam possunt dici relationes, & modi; dicuntur relationes, quia cadunt sub ente diviso, idest absoluto, & respectivo; dicuntur modi, quatenus

tenus sub tali necessitate sunt semper affixi eorum subjectis, & pro ut subjecta determinant, & modificant, & constituunt, in ipsa eorum actualitate.

Dico 2. Quòd dantur modi intrinseci; sic Scotus in 1. dist. 2. quæst. 2., & alibi; & modus intrinsecus est ille, qui additus alteri non variat ejus rationem formalem; sic Scotus in 2. dist. 8. quæst. 3., & 4.

Probatur prima pars. Datur una, & eadem quidditas diversimodè considerata, ergo oportet alium, & alium modum ponere corrispondentem isti considerationi diversæ; Antecedens patet, nam albedo considerata sub quatuor graduum intentionis, nō distinguitur quidditativè à seipsa considerata, sine ista intensione. Tum, quia est antiqua divisio, quòd quidquid est, aut est res, accipiendo rem pro quidditate, aut est modus rei, ergo ut salvetur ista divisio debent dari isti modi intrinseci.

Probatur secunda pars. Definitio modi intrinseci constat ex genere, & differentia, ergo, &c. Antecedens probatur, nam illa particula, additus alteri, stat loco generis, quia per talem convenit cum differentia, quæ etiam additur generi; illa particula, non variat rationem formalem ejus, stat loco differentiæ, nam differentia variat essentiam rei, rationale, enim dum additur animali facit hominem; si verò tollatur rationale, & etiam sensibile, statim fit quidditas, & definitio plantæ;

non sic de modo dicere possumus, nam additus, vel sublatus, nunquam variat statum quidditativum rei, unde infinitas, quæ est modus intrinsecus Dei, posita in Deo, non variat quidditatem Dei; sit exemplum, quidditas Dei definitur sic, Deus est ens à se,& per se subsistens, si huic quidditati addatur infinitas, dicendo; Deus est ens à se,& per se subsistens,& infinitum, per hanc particulam infinitum non variatur essentia Dei explicata per ens à se, & per se subsistens ergo, &c. Confirmatur exemplo hominis; nam si addamus ad definitionem hominis finitatem; dicendo, homo est animal rationale finitum,hoc finitum non variat definitionem essentialem hominis ergo benè definitur,&c.

Obicies 1. Rationale ponitur differentia essentialis, & tamen non variat rationem formalem animalis,quòd contrahit, animal enim,tàm in se, quàm in homine dicit suum prædicatum quidditativum, scilicèt principium sentiendi, ergo,&c. Respondetur, concedendo antecedens, & negando consequentiam; nam differentię, licèt non variant rationem generis, quòd contrahunt, variant tamen rationem speciei, constitutæ ex genere,& differentia,& ideò Aristoteles 8.metaphysicæ text. 2. docet, quòd differentiæ rerum in esse quidditativo, se habent sicut numeri, nam sicut addita,vel ablata unitate, statim variatur species numeri,sic addita, vel ablata differentia, statim variatur species; At verò modi intrinseci non sic,

sic, nam sivè addantur, sivè auferantur, non variant statum quidditativum rei, quare animal, ut rationale, specie distinguitur ab animali non rationali. Instabis, Deus, & Creatura sunt primò diversa, sed si non differrent per finitatem, & infinitatem, non essent primò diversa, quia convenirent in essentia ergo, Respondetur, concedendo majorem, & negando minorem, nam licèt non differrent essentialiter ratione modorum; differrent tamen essentialiter ratione prædicatorum exigentium tales modos, & sic non sequitur, quòd non sint primò diversa.

Obicies 2. Ens non descendit ad decem prędicamenta, nisi per modos intrinsecos essendi, ergo si modi intrinseci non variarent rationem intrinsecam illorum, quorum sunt modi, prædicamenta essentialiter non distinguerentur. Respondetur, distinguendo antecedens, nisi per modos, tamquam per rationes secundarias, & nobis notas, concedo antecedens, tamquàm per rationes primarias, nego antecedens; nam ens finitum descendit ad substantiam, & accidens per proprias differentias, quamvis nobis ignotas, dicitur verò à posteriori descendere per perseitatem ad substantiã, & per inhæleitatem ad accidens, quia isti modi sunt magis nobis noti; quàm ultimæ differentiæ, quæ possunt describi per esse principia exigitiva talium modorum; sed de hoc infra q.5.

Obicies 3. Omne, quòd est extra rationem formalem alicujus, videtur esse extrinsecum, sed

ità se habet modus, ergo non est intrinsecum, sed omnis modus est extrinsecus. Respondetur primò, negando majorem; nam omnis passio est extra rationem formalem sui subjecti, & tamen ratione identitatis realis, quàm habet cum illo, dicitur intrinseca subjecto, ut patet de risibilitate respectu hominis. Respondetur 2. distinguendo majorem, quòd positivè est extra rationem formalem alicujus est extrinsecum, concedo majorem; quòd solùm negativè nego majorem, & sic distincta minori, negatur consequentia; nam modus intrinsecus positivè non distinguitur à quidditate, cujus est modus, quia non addit illi rationem formalem, sed solùm negativè, ut *infra* patebit.

Obicies 4. Si animal intelligeretur adæquatè, & perfectè, à parte rei, intelligeretur, aut, ut rationale, aut, ut irrationale, ut, etiam nos diximus, ergo istæ differentiæ habent rationem modi, ergo non dantur modi intrinseci, prima consequentia probatur; nam neque quidditas potest perfectè, & adæquatè concipi, quin concipiatur; cum suo modo, ex Scoto in 1. dist. 8. quæst. 3. infra AA., ergo, etiam differentiæ habent rationem modi, &c. Respondetur, Concedendo antecedens, & negando consequentiam; nam dispar est ratio de differentia, respectu generis, & de modo respectu entis, quòd enim animal, non possit intelligi, intellectione adæquata, nisi intelligatur, aut, ut rationale, aut, ut irrationale, hoc non provenit, ex eò, quia

indi-

indigeat illa differentia;sed ex eò, quia animal de facto reperitur existens à parte rei, aut cum rationali,aut cum irrationali;At verò cum ratio entis non possit à parte rei intelligi intellectione adæquata,quin intelligatur,aut finita,aut infinita,hoc provenit, ex eo, quia modi non habent proprias quidditates positivè distinctas ab eis, quorum sunt modi,nam infinitas dicitur,quòd sit Dei, finitas verò Creaturæ.

QUÆSTIO III.

Quomodo distinguatur modus intrinsecus à quidditate cujus dicitur modus.

SCiendum est primò, quod, ut melius explicetur id, quod explicatum est supra in text. Aristotelis 12. metaphysicæ concl. 3., aliquod esse idem formaliter stat dupliciter respectu alterius, uno modo positivè, & alio modo negativè; illud est formaliter idem alicui positivè, quòd est de ejus essentia,& de intrinseca formalitate ipsius, eo modo,quo animal est de essentia hominis;illud est formaliter idem alicui negativè,quòd non habet distinctam formalitem ab illo.

Sciendum 3. Quòd aliqua distingui formaliter,potest esse duobus modis; uno modo positivè,& alio modo negativè. Negativè,quia non est de illius essentia, à quo distinguitur; positivè, quia habet distinctam formalitatem ab illo, ità,

quòd ista duo concurrunt in perfecta,& completa distinctione formali, quia benè sequitur, A., distinguitur formaliter à B., ergo, non est de essentia, B, & habet distinctam formalitatem à B., ex quo sequitur, quòd cui competit aliqua istarum distinctionum, potest dici distingui formaliter, quatenus non est de essentia, & potest dici, quòd non distinguatur formaliter, quatenus non habet propriam, & distinctam formalitatem; & sic non implicat, quòd aliquod dicatur idem formaliter alicui, per hoc, quia, non habet distinctam formalitatem, & non idem formaliter, quia non est de essentia alicujus.

Dico ergo, quòd modi intrinseci, non distinguuntur formaliter positivè à quidditate *cujus* sunt modi; sic Scotus in primo dist.8. quæst.3. infra.A. A.,& dist. 31. quæst. unica. B.; sed distinguuntur formaliter negativè, à quidditate cujus sunt modi; sic etiam Scotus citatus lit. C.,& quæst.3.prologi, ubi docet, posse nos naturaliter cognoscere Deum sub ratione infiniti, non autem sub ratione Deitatis; contra aliquos Scotistas, sibi persuadentes, infinitatem esse de quidditate Dei.

Probatur, prima pars; infinitas non est conceptibilis, absque quidditate cujus est modus intrinsecus, ergo non habet distinctam formalitatē ab illa, ergo ab ea non distinguitur formaliter positivè; antecedens probatur; nam quando concipio infinitatem, necessario concipio, & quidditatem aliquam habentem esse ita illimitatam, ut ei repu-

repugnat habere limitationem, & terminum perfectionis, ergo infinitas non est conceptibilis, absque quidditate cujus est infinitas.

Probatur 2. pars; modi intrinseci non sunt de essentia suarum quidditatum, & ex alio capite non possunt perfectè concipi, sine quidditatibus, ergo distinguntur formaliter negativè; antecedēs probatur; nullum posterius est de quidditate in primo modo dicendi per se prioris; sed infinitas, tàm respectu Dei, quàm respectu entis, respectu quorum ponitur modus, est quid posterius ipso Deo,& ipso ente;sic finitas est quid posterius,tàm respectu Creaturæ, quàm respectu entis, ergo &c. Confirmatur;nam cur tales modi non sint conceptibiles, nec perfectè, nec imperfectè, sine quidditatibus, hoc potest declarari per anologiam ad modos extrinsecos;isti enim,nec perfectè,nec imperfectè concipiuntur,sine eorum subjectis, cum semper petant esse affixi subjectis, ergo sic etiam modi intrinseci. Confirmatur 2. ablato aliquo, quòd est de quidditate alicujus in primo modo dicendi per se,aufertur omne aliud, patet, nam ablata rationalitate,aufertur homo;sed ablata infinitate à quidditate Dei,& entis, adhùc Deus remanet quidditativè Deus,& ens quidditativè ens, ergo modi non sunt formaliter de quidditate subjectorum, ergo &c.

Obicies contra primam, & secundam partem;modus intrinsecus,non distinguitur formaliter à quidditate, cujus est modus; sed est eidem for-

formaliter negativè, sed ulterius distinguitur formaliter negativè,ergo idem erit formaliter distinctum negativè ab aliquo, & idem formaliter negativè eidem , quòd est maxima contradictio, quia idem, & diversum sunt opposita immediata circa ens ergo &c. Respondetur primò, metaphysicè, concedo totum argumentum; nam idem est dicere in rei veritate, quòd modus sit idem formaliter negativè , solùm ei cujus est modus, & quòd sit distinctus formaliter negativè,quia verò idem,& diversum sunt termini immediatè oppositi,ideò prò majori intelligentia. Respondetur 2. logicè; distinguendo antecedens,idem erit distinctum sub diversa ratione acceptum, concedo antecedens, sub eadem ratione acceptum, nego antecedens ergo &c.Modo dico, quòd non sit idem formaliter negativè suæ quidditati per hanc rationem, quia non est de essentia illius , & dico etiam, quòd sit idem formaliter negativè per hanc rationem,quia non habet distinctam formalitatem,cum ergo istæ rationes sint diversæ,patet, quòd non idem , & idem non sint rationes oppositæ cum verificentur de eodem sub diversis rationibus.

Obicies 2. Infinitas est de quidditate Dei in primo modo, &c. ergo non distinguitur formaliter negativè à quidditate rei, cujus est modus; Antecedens probatur, nam circumscripto omni eo, quòd non est Deitas, adhuc Deitas est ex se perfecta;sed non dicitur perfecta finitate, ergo infini-

finitate, ergo infinitas est de quidditate Dei in primo modo dicendi per se: Respondetur, negando antecedens, ad cujus probationem, distinguo majorem; fundamentaliter, concedo majorem; formaliter, nego majorem, sic distincta minori negatur consequentia; nam circumscripto formaliter omni eo, quòd formaliter non est Deitas, Deus sua quidditate conciperetur infinitus fundamentaliter, quatenus esset fundamentum necessarium illius modi. Instabis; Deus sua quidditate formaliter est quo majus excogitari non potest, ex Divo Anselmo, ergo sua quidditate formaliter includit infinitatem, ergo infinitas non distinguitur formaliter negativè ab eo cujus est modus. Respondetur primò, concedendo antecedens, & negando consequentiam; nam D. Anselmus non explicavit naturam Dei per quidditatem, sed eam descripsit, eo modo, quo à nobis potest concepi, & quia à nobis sub infinitate concipitur, ideo, &c. Respondetur 2. Dato, quòd explicasset Deum per suam quidditatem, non sequitur, quòd infinitas sit de quidditate Dei in primo modo, &c., nam benè salvaretur definitio D. Anselmi, per hoc, quòd Deus sit fundamentum, & radix suæ infinitatis ratione cujus Majus ens non est excogitabile: Instabis infinitas est magis intrinseca ipsi Deo, quàm propria passio, ergo infinitas est de quidditate Dei, & pertinet ad primum modum dicendi per se, ergo non distinguitur formaliter negativè; Antecedens probatur, adducendo verba Scoti in

Quo-

Quolibeto 5. lit. C., infinitas intensiva dicit modum intrinsecum illius quidditatis cujus est modus,& sic intrinsecus, quòd circumscribendo aliquod, quòd est proprietas, vel quasi proprietas, adhùc proprietas ejus non excluditur, hæc Scotus, ergo, &c. Respondetur ex eadem doctrina Scoti quolib. 5., concedendo antecedens, & negando consequentiam, ad probationem distinguo primum consequens; infinitas est de quidditate Dei, & pertinet ad primum modum dicendi per se, & ad primum gradum perseitatis, nego consequentiam, pertinet ad primum modum dicendi per se, quatenus non pertinet ad secundum modum, concedo consequentiam; nam modi intrinseci, pro ut distinguntur à passionibus, quæ pertinent ad secundum modum, possunt dici pertinere ad primum modum, verùm, pro ut distinguntur à prædicatis quidditativis, non pertinent ad primum gradum perseitatis primi modi, sed ad tertium; nam in primo modo dicendi per se datur primus gradus,& est, quando tota definitio prædicatur de toto definito; secundus, quando pars definitionis prædicatur de definito, tertius, quando modus prædicatur de eo cujus est modus; quartus gradus est ad quem pertinent propositiones, quæ reductivè in primo modo reducuntur.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

An modi intrinseci sint formaliter entia, ita ut ens includatur in conceptu quidditativo,& formali ipsorum.

SCiendum est, aliquod esse ens dupliciter contingere potest; nam aliud est aliquod esse ens, & aliud est aliquod esse ensale (si hoc termino barbaro uti liceat) aliquod esse propriè ens, non est solùm,non esse nihil,ut sic; sed est esse,vel posse esse in rerum natura in recto, & ut quid; aliquod autem esse ensale, est esse extra nihil, sivè in rerum natura, solùm in obliquo, &, ut quò,ita, ut non sit existens in recto; sed potiùs sit id, quo aliud existit, vel id quo existens qualificatur, afficitur, & ultimò terminatur;nec talis doctrina absurda videri debet; patet, enim in exemplo substantiæ, & accidentis;nam verum est, quòd omne ens, aut est substantia,aut est accidens,non tamen, omne id,quòd nec est substantia, nec est accidens in recto,& ut quid est nihil; nam perseitas non est accidens, & tamen non est propria id,quòd in recto existit,sivè subsistit, sed solùm est id, quo aliquod propriè, & formaliter per se existit, inhærentia non est propriè substantia, & tamen non est id, quòd inhæret,ut colligitur ex Scoto, in 4 dist. 12. quæst.prima lit. S. sic etiam,licèt verum sit,quòd hæc propositio sit immediata (aut ens, aut nihil)

ta-

tamen,non sequitur, quòd omne id, quòd non est nihil, sit formaliter ens; nam hoc quòd opponitur nihilo potest distribui in ens,& in ensale &c.

Dico breviter,quòd modi non sunt formaliter entia, sivè ens non includitur formaliter in conceptu formali, & quidditativo modorum; Colligitur ex Scoto in 1.dist.3.quæst.3. lit. F. ubi docet quòd ens non est univocum dictum de omnibus per se intelligibilibus,quia non de differentiis ultimis, nec de propriis passionibus entis.

Probatur primò;Contrahens est extra rationem formalem contracti, sed modi sunt contrahentia, & ens est contractum, ergo modi sunt extrà rationem formalem entis, ergo modi non includunt formaliter ens,aliter formaliter essent extra seipsos; major patet, primo paritate; nam rationale,quia contrahit animal, non includit illud formaliter;secundò ratione; nam aliter idem esset simul contrahens,& contractum,ergo &c.

Probatur 2. paritate; in genere substantiæ. Substantia de suis contrahentibus non prædicatur formaliter, & quidditativè, nam differentiæ substantiæ non dicuntur substantiæ, aliter essent genera, & non differentiæ, ergo modi non debent dici formaliter,& quidditativè entia, sed solùm aliquitates entis, sivè ensales, ut cum Scoto diximus supra &c. Confirmatur, modi extrinseci in sententia adversariorum non sunt formaliter entia,licet à nihilo distinguantur, ergo etiam modi intrinseci,quamvis à nihilo distinguntur.

Pro-

Probatur 3. Modi præter rationem formalem entis, quàm formaliter includunt per Adversarios, includunt aliquod aliud formaliter, vel nihil, si nihil, ergo, non possunt esse rationes, quibus unum ens distinguitur ab alio ente à posteriori; nam nihil, non potest esse alicujus distinctionis realis, si formaliter includit aliquod, quæro rursus de illo alio, an includat formaliter rationem entis; si sic, ergo datur processus in infinitum, nam, iterum quæri potest, an præter rationem entis includat aliquid, vel nihil, & sic in infinitum, si dicitur, quod illud aliud non includat formaliter rationem entis, ergo sic etiam potest dici de primo, scilicet, quòd modus non includat formaliter rationem entis.

Obicies 1. Illud, quòd includit formaliter definitionem, includit formaliter definitum; sed modi includunt formaliter rationem entis, ergo includunt formaliter ens reale; Minor probatur; nam definitio entis realis est, quòd sit, aut possit esse independenter ab intellectu; sed ita, se habent modi, ergo, &c. Respondetur, concedendo majorem, & negando minorem, ad probationem distinguo majorem, ut quid, & in recto, concedo majorem, ut quo, & in obliquo, nego, sed distinguo minorem, ita, ut modi sint independenter ab intellectu, ut quo, concedo minorem, ut quòd nego minorem, modus enim est extra nihil, & independenter ab intellectu, non ut quòd, scilicet ratione sui, sed ut quo, & ratione illius cujus est mo-

modus. Respondetur 2. Distinguendo majorem; definitio entis realis, pro, ut opponitur enti rationis, sivè nihilo, est, quòd sit, aut non repugnat existentia, concedo majorem; Definitio entis realis, prò, ut opponitur modis est, quòd sit, aut possit esse, nego majorem, & concessa minori, negatur consequentia; nam utique modi, quatenus contradistingui debent à nihilo, sivè ab ente rationis, sunt formaliter entia; Verùm, ut comparamus ens formaliter cum modo ejus, facta tali comparatione, ens formaliter est illud, cui ex natura sua formaliter, & in recto, competit existere; quæ definitio, non competit formaliter modo, cui solùm, ex natura sua competit esse limitativum talis existentiæ entis, quòd contrahit, & ratione cujus, postea habet, quòd sit identicè ens.

Obicies 2. Modi intrinseci, formaliter distinguntur à nihilo, ergo formaliter sunt entia, Respondetur primò, quòd, etiam Adversarii tenentur solvere hoc argumentum, quòd potest fieri contra modos extrinsecos, quia in eorum sententia, modi extrinseci formaliter distinguntur à nihilo, & tamen, non sunt formaliter entia, & sic omnia argumenta, quæ fiunt contra nos admittentes modos intrinsecos, possunt retorqueri contra ipsos admittentes modos extrinsecos. Respondetur secundò, concedendo antecedens, & negando consequentiam; ut enim formaliter modi distinguntur à nihilo, sufficit, quòd sint à parte rei, quomodocunque, sivè identicè, sivè formaliter.

ter.

ter. Instabis; Tunc aliquod formaliter contra distinguitur à nihilo, quando habet formaliter formam oppositam ipsi nihilo; sed forma, formaliter opposita ipsi nihilo est ens reale, ergo, modus debet includere formaliter ens reale: Respondetur, concedendo majorem, & distinguendo minorem; Est ens reale formaliter, sivè identicè, concedo minorem, est solum ens reale, formaliter acceptum, nego minorem; nam modi includunt ens reale, tamquàm formam oppositam formaliter ipsi nihilo; Verùm non includunt ipsum ens reale quidditativè, & formaliter ratione suarum quidditatum formalium, sed solùm identicè, & in obliquo, sicut etiam animal in homine, includit rationale, tamquàm formam formaliter oppositam irrationali, tamen, non includit ipsum rationale quidditativè, & formaliter; sed solùm identicè, & ratione tertii, scilicet hominis, cum quo identificantur isti gradus metaphysici.

Obicies 3. Modi, vel sunt formaliter entia, vel sunt formaliter non entia; alterum ex his, est necessariò concedendum, cum sint contradictoria; sed non sunt formaliter non entia, ergo sunt formaliter entia, ergo, &c. Respondetur, negando majorem; Neutrum enim sunt formaliter; nam, ut docet Canonicus 1. physicorum, quæst. 7. Illæ propositiones revera à parte rei non contradicunt, quæ in una non negatur, quòd in altera affirmatur, undè ad hoc, ut contradicunt, sic efformari debent; vel sunt formaliter entia,

vel

vel non sunt formaliter entia, ita, ut negatio cadat supra copulam ad faciendam propositionem negativam, & tunc revera est negativa, scilicèt, quòd non sunt formaliter entia; sed identicè entia.

Collige, quòd, ut dictum est supra disput. 2. de natura entis quæst. 5., in notabili, quòd ens est prædicatum univocum; non tamen est univocè dictum de modis; nam, ut sit prædicatum univocum sufficit, quòd prædicetur, secundùm idem nomen, & eandem definitionem, ut album de nive, & cygno, ut tamen sit univocè dictum, requiritur, quòd tale prædicatum sit essentiale subjecto, quòd non evenit in casu, ut patet ex Scoto in 1. dist. 3. quæst. 3., & alibi.

QUÆSTIO V.

An ens descendat ad Deum, & Creaturas per modos intrinsecos, an per differentias.

Sciendum, quòd, ut dictum est supra 4. metaphysicæ concl. 8., quòd ens non potest esse genus, ex Aristotele 3. metaphysicæ, aliàs nulla differentia esset ens quidditativè, cum omnis differentia sit extra genus quidditativè, sicut formale est extra materiale, modò licèt ens non prędicetur quidditativè de differentia ultima, cum sit simpliciter simplex, prædicatur quidditativè de non ulti-

ultima, aliter, quælibet differentia esset simpliciter simplex, quòd non conceditur; sic etiam determinavi in 12. metaphysicæ concl. 3., secundum veritatem, & textum Aristotelis, ex quo sequitur, quòd ens non descindit, sivè contrahitur per differentias.

Sciendum 2. Quòd sensus quæstionis est; ex eò, quòd ratio entis, sivè adequatè, sivè inadæquatè perfectè præscindit à suis inferioribus, ut supra visum est, disput. 2. de natura entis quæst. 8., quæritur per quid fiat tale, vel tale ens, idest per quid determinetur ad Deum, & Creaturam, substantiam, & accidens; nam cum ens sit ratio communis, & præcisa, opus est, ut aliquo modo limitetur, vel per modos intrinsecos, vel per differentias.

Dico, quòd ens contrahitur ad Deum, & Creaturam per modos intrinsecos, & nullo modo per differentias, sic Scotus in 1. dist. 8. quæst. 3. ad primum principale; est contra Bonetum, 1. metaphysicæ cap. 2., & 9. metaphysicæ cap. 1., & 2., nec non contra Poncium 3. parte sui cursus disput. 18. quæst. 4., estque communis inter Scotistas.

Probatur 1. Ens, quòd est in Deo modificatur, & determinatur per infinitatem formalem, & ens, quòd est in Creatura per finitatem; sed finitas, & infinitas sunt modi intrinseci, ergo ens contrahitur per modos intrinsecos, major patet; minor probatur; Differentia est realitas alia à realitate generis, quòd determinat, & contrahit, modus au-

tem intrinſecus eſt gradus realitatis determinabilis; ſed gradus intrinſecè perficientes ens intra ſpheram propriæ realitatis poſſunt determinare ens,non verò illi,qui ſunt extra,ut differentiæ, ergo finitas,& infinitas , quæ non ſunt, nec poſſunt eſſe differentiæ contrahunt ens ; Major eſt certa, minor probata eſt ſupra 5. metaphyſicæ concl.8., & 12. metaphyſicæ concl.3.

Probatur 2. Ex Scoto in 1. diſt. 8. quæſt. 3. ad primum principale, habetur, quòd conceptus entis contrahibilis , non ſit conceptus generis, & conceptus contrahens , non ſit conceptus differentiæ , ergo ens cum non poſſit eſſe genus , neque poteſt contrahi per differentias,conſequentia, jam probata eſt ſupra in expoſitione textus 4. metaphyſicæ concl. 8. ergo, &c. Reſpondet Poncius diſput. 28. num. 34. , negando conſequentiam; nam Scotus negat ens eſſe genus , quatenus ad rationem generis , requiritur ultra rationem contrahibilem,quòd etiam ſit quid poſitivè limitatum ; At verò accipiendo genus , quatenus eſt aliquod prædicabile in quid de pluribus , poteſt dici, quòd conceptus entis ſit conceptus generis.

Contra; Nullum ens cui repugnat contrahi per diſtinctam realitatem ab ipſo , poteſt eſſe genus, ergo ens non poteſt eſſe genus; probatur antecedens; nam omne genus eſt potentiale, & perfectibile per differentiam, ſed omne tale perficitur per realitatem , quæ eſt extra rationem formalem generis,ergo, &c. Subſumo , ſed ens, quòd eſt in-

dif-

differens ad finitum, & infinitum, & ex ratione suæ infinitatis permissivè, habet, unde includat per identitatem, quidquid contrahit ipsum, ergo non potest contrahi per differentiam, quæ est distincta realitas,&c.

Probatur 3. Si ens haberet rationem generis, accepto genere pro ratione contrahibili, & contrahens haberet rationem differentiæ, ergo Deus esset metaphysicè compositus, quòd est falsum. Respondet Poncius, negando consequentiam, nam omnis compositio totius debet habere componentia, quæ habeant rationem partis, & quia in casu, nec ens, nec contrahens haberet rationem partis, ideò fit, quòd unita non componant aliquod totum, sed solùm faciunt aliquod constitutum.

Contra. Si in casu haberent rationem potentiæ, scilicèt ens haberet rationem potentiæ, & differentia rationem actus, ergo componerent metaphysicè,& consequenter Deus esset,&c.

Obicies 1. Modi intrinseci sicut sunt finitas, & infinitas non variant rationem formalē constitutorum per ipsos ex communi sententia Scotistarum, sed Deus, & Creatura, quia per se includunt ens per ipsa contrahentia variantur formaliter, & distinguntur inter se, & ab omni alio, à quo ens contrahitur, ergo oportet præter finitatem,& infinitatem dari aliquas differentias essentiales per quas ens contrahatur ad Deum, & Creaturas, ad quas differentias essentiales consti-

tutivas Dei,& Creaturæ, consequantur per se postea modi intrinseci,scilicèt infinitas ad Deum,& finitas ad Creaturam; Major patet, nam modus intrinsecus, supponit ipsam rem constitutam, & consequenter ab omni alio distinctam, & consequenter non potest illam variare; Minor probatur; nam Deus,& Creatura adeò differunt, ut dicantur esse primò diversa, ergo differunt pariter, quo ad essentias; sed dato, quòd ens contraheretur ad Deum, & Creaturam per modos intrinsecos, qui non habet variare essentiam constituti, Deus non distingueretur à Creatura, ergo, &c. Respondetur breviter, ut dictum est supra quæst. 2. hujus disputationis; concedendo majorem, & negando minorem; nam licèt Deus,& Creatura non differant essentialiter ratione modorum, differunt tamen essentialiter ratione prædicatorum exigentium tales modos, & sic non sequitur, quòd Deus non distingueretur essentialiter à Creatura, &c.

Collige, quòd ens finitum si descendit ad substantiam,& accidens, & cætera prædicamenta per differentias oppositas,& rationes priores ipsis modis intrinsecis, cum prædicamenta distinguantur essentialiter inter se, videbimus ex professo in libris Porphirii.

QUÆ-

QUÆSTIO VI.

An ens includatur in ultimis differentiis formaliter.

SCiendum est primò ex Mauritio lib. 1. metaphysicæ quæst. 9., quòd in quolibet composito metaphysico, duo reperiuntur gradus, quorum unus est determinabilis; alter determinativus, V.G. in homine datur gradus animalis, determinabilis,& gradus rationalis,qui determinat: Verùm horum graduum determinabilium, & determinativorum,alii sunt ultimò determinabiles, & ultimò determinativi, alii verò non ultimò determinabiles, nec ultimò determinativi: Gradus ultimus determinabilis est ille, quo non datur ulterius determinabilis, V.G. gradus entis, cum supra ens non detur gradus superior. Gradus non ultimò determinabilis est ille, quo dicitur alius gradus superior, ut sunt rationes omnium generum,quibus est superius, & ultimus determinabilis ratio entis. Similiter gradus ultimus determinativus est ille, quo non potest dari alius gradus, qui ulterius sit determinans, ut est ultima differentia alicujus rei, quia non potest dari differentia magis ultima. Gradus non ultimò determinativus est ille, quo datur ratio ulterius determinativa, ut sunt differentiæ intermediæ, quibus ulterius datur ratio determinativa, scilicèt ultimæ differentiæ.

Sciendum 2. Ex eodem Mauritio, quòd hæc est differentia inter rationes ultimò determinabiles, & non ultimò determinabiles, & inter rationes ultimò determinativas, & non ultimò determinativas, scilicèt, quòd rationes ultimò determinabiles, nihil determinativi admixtum habent, ut est ratio entis, quæ cum sit omnium suprema, nullius ulterius potest esse determinativa, nec ratione sui, nec ratione alterius sibi cõjuncti, & ideò erit simpliciter tantùm determinabilis; rationes nõ ultimò determinabiles; nõ tantùm sunt determinabiles, sed habent aliquod determinativi admixtum, vel ratione sui, vel ratione alterius sibi conjuncti, ut V.G. substantia, non est tantum simpliciter determinabilis per corporeum, & incorporeum, sed habet aliquid determinativi admixtum, scilicèt perseitatem per quam ad seipsas determinat ens; similiter rationes ultimò determinativæ sunt simpliciter, & tantùm determinativæ, & nihil quidem determinabilitatis admixtum habent, cujusmodi sunt ultimæ differentiæ, differentia, enim ultima, non potest esse ulla ratione determinabilis, nam dato opposito, tunc non esset ultima; Rationes verò non ultimò determinativæ sunt illæ, quæ non solùm sunt determinativæ, sed habẽt aliquod determinabilitatis admixtum, vel ratione sui, vel ratione alterius conjuncti, ut sunt rationes differentiarum intermediarum, quæ sunt determinativæ ex eo, quia sunt differentiæ, & sunt etiam aliquo modo determinabiles per inferio-

fetio-

feriores differentias, vel immediatè ratione sui, vel ratione totius, quòd constituunt, ut sensitivum, V.G., qnòd est determinabile per rationale, & irrationale, vel ratione sui immediatè, vel ratione alterius, quòd constituunt, etenim dici potest, sensitivum, aliud rationale, aliud esse irrationale, vel saltem animal aliud rationale, aliud irrationale; ex his sequitur, quòd rationes, quæ non sunt ultimò determinabiles, & ultimò determinativæ, non dicunt conceptum simpliciter simplicem; nam ex Scoto in primo distin. 3. quæst. 2. §. loquendo igitur; Conceptus simpliciter simplex est ille, qui non est resolubilis in plures conceptus, quorum alter sit determinabilis, & alter determinativus; e contra verò rationes ultimò determinabiles, & ultimò determinativæ, dicunt conceptum simpliciter simplicem, quæ non sunt resolubiles in plures conceptus, ut sunt conceptus entis, & ultimæ differentiæ.

Sciendum 3. Cum Scoto in primo dist. 3. quæst. 7. §. ad quæstionem, & in 2. dist. 3. quæst. 6. §. ad quæstionem ergo; quòd differentiæ, aliæ sunt ultimæ, & aliæ non ultimæ; Differentia ultima, est illa, quæ sumitur ab ultima realitate formæ, sivè est illa, quæ non habet aliam differentiam, sivè est illa, quæ non est resolubilis in conceptum quidditativum, & qualitativum, sivè in conceptum determinabilem, & determinantem; sed est tantùm conceptus qualificativus, sivè determinativus, omnes enim diffinitiones istæ, rem eandem

 expri-

exprimunt, sub diversis nominibus; Differentia verò non ultima, est illa, quæ sumitur utique à forma, sed non ab ultima realitate formæ, sivè est illa, quæ habet alias differentias ultimas, quia est resolubilis in plures conceptus, scilicèt determinabiles, & determinantes, quare ultima differentia potest sumi tripliciter.

Primò prò illa, quæ non est ulterius, determinabilis per aliam, vel aliquam minus communem differentiam, & in hoc sensu accepta, singularitas sola, est differentia ultima, quia omnis alia differentia, tàm infima, quàm subalterna, est contrahibilis per singularitatem.

Secundò sumi potest prò differentia, pro qua ita res ita differt ab aliis, ut in nulla formalitate illius differentiæ conveniant, & in hoc sensu, omnis differentia, tàm infima, quàm subalterna potest dici ultima, quia homo V. G. non solùm per rationalitatem differt à lapide; sed etiam per sensibilitatem.

Tertiò, sumi potest prò illa, prò qua res ultimò differt essentialiter ab alia re, & in hoc sensu, differentia hominis, in esse hominis, rationalitas, & non sensibilitas dicitur ultima differentia; verùm sensibilitas in hoc sensu dicitur non ultima differentia hominis, in esse hominis; est tamen ultima differentia hominis in esse hominis considerati in esse animalis, & ideò benè dicunt quidam Scotistæ, differentias esse ultimas stare dupliciter; scilicèt, ultimatè determinantis, sicut differentiæ indi-

individuales, & ultimatè specificantes, sicut sunt differentiæ essentiales, & specificæ; ut videre est apud Syrrectum, & Vallonem.

Dico ergo, quòd ens non includitur formaliter in ultimis rerum differentiis; sic Scotus in 1. dist. 3. quæst. 3. & omnes Scotistæ, & formalistæ; contra Thomistas, & Neutericos.

Probatur 1. ex doctrina Scoti; si differentiæ ultimæ includerent ens quidditativè, ergo non essent primò diversę, sed potius essent differentes; sed differentiæ per differentias differunt, ergo ultimæ differentię per alias differentias differrent, quęro de istis aliis differentiis, & sic in infinitum, ergo aut dabitur processus infinitum, aut concedendum, dari aliqua primò diversa, quæ se totis differant, & in nullo conveniant, prior non debet admitti, ergo secundum; sed hoc secundum non subsisteret, si ultimæ differentiæ includerent quidditativè, & formaliter ens, ergo ultimæ differentiæ non includunt formaliter ens.

Probatur 2. Scoticè; Quæ physicè componunt, resoluntur ultimò in purum actum, & in puram potentiam physicam, ita, ut purus ille actus nihil potentialitatis includat; nec pura potentia aliquid actualitatis includat, ergo, quæ metaphysicè componunt, simili resolutione resolvuntur, ultimatè in realitatem purè determinabilem, & in realitatem purè determinatam, ita ut planè nihil unius includatur in alio, sed realitas ultimò determinabilis est realitas entis, & realitas ultimò de-

determinabilis est realitas entis,& realitas ultimò determinativa est realitas ultimæ differentiæ,ergo ens,& ultima differentia,sic se habent,quod unum nihil alterius quidditatis includat, ergo, ens non prædicatur formaliter, & quidditativè de ultima differentia, nam, quòd prædicatur quidditativè de alio,debet quidditativè includi in illo. Respōdet ad primam rationem Scoti Suarez disput. 2. metaphysicæ sectione quinta; num. 18 §. ad primum Scoti fundamentum; quòd differentia, quàmvis ultima potest esse primò diversa ab alia, quamvis cum illa in ratione entis conveniat; ut patet de ipsis decem generibus, quæ sunt primò diversa,alias non essent genera, & suprema, & tamen conveniunt in ente,nec ob id sequitur, quòd alias habeant differentias per quas differant, ut infert Scotus, quia non differrent, ut rationes, quæ, sed ut rationes, quibus, scilicèt non differrent, tamquàm ea, quæ differunt, sed tamquàm, ea quibus alia differunt.

Contra primò, Decem suprema genera sunt primò diversa, solùm in realitate subjectiva, & non objectiva, ideò conveniunt in ente finito; sed ultimæ differentiæ sunt primò diversæ tàm in realitate subjectiva, quàm objectiva, ergo nulla est paritas adducta à Suarez.

Contra 2. Albedo, & nigredo sunt illa, quibus homo albus, & homo niger differunt, & tamen sunt per se differentes propriis differentiis, quia non distinguuntur se totis,ergo si ultimæ diffe-

ferentiæ non differrent se totis, differrent per differentias, consequentia patet; nam Albedo est ratio, qua homo Albus distinguitur ab homine nigro, & tamen, quia non differt se tota à nigredine, distinguitur ab illa per propriam differentiam, ergo si ultimæ differentiæ sunt rationes quibus se totis non differunt, semper sequitur, quod differant per alias, & alias differentias, sed hoc non sequitur, ergo &c.

Obicies primò, ex Hurtado; A differentiis individualibus cognitis confusè, potest abstrahi alia ratio communis differentiæ ultimæ, ergo differentiæ ultimæ confusè cognitæ conveniunt in aliqua ratione communi differentiæ, ut sic, & vagè acceptæ, ergo à fortiori possunt convenire in aliqua ratione communi entis, ergo differentiæ ultimæ includunt quidditativè ens, consequenter &c. Respondetur, cum Mastrio disp.2. quæst.7.n. 18.in fine, concedendo antecedens, & negando consequentias ultimas, quia, quàmvis concedamus ab ultimis differentiis posse abstrahi conceptum communem individuationis essentialiter inclusum in eis, non tamen idem judicium faciendum est de conceptu entis, quia ultimæ differentiæ comparantur ad conceptum hecceitatis, ut inferiora ad suum superius; ad conceptum verò entis, comparantur, ut contrahentia ad contrahibile, & quia superius, ut superius debet includi in suo inferiori, & contrabile, ut contrahibile debet esse extra naturam contrahentis (aliter daretur pro-

ces-

cessus in infinitum) ideò fit, quòd ultimæ differentiæ includant conceptum communem individuationis, & non conceptum communem entis; Considerata enim,ut inferiora in ordine ad suum superius, respiciunt individuum vagum per lineā rectam; Consideratæ verò, ut contrahentia respiciunt ens à latere,& ideò fit,quòd includant conceptum individui,non verò conceptum entis. Instabis, ultimæ differentiæ convenirent in aliquo, ergo non sunt ultimæ, ergo &c. Respondetur dist. primum consequens, convenirent in aliquo, quòd esset ratio conveniendi, nego consequentiam, ratio disconveniendi, concedo consequentiam, ergo &c. Nam ultimæ differentiæ individuales conveniunt in differre; includunt enim differentiam sic vagè acceptam, quæ est ratio simpliciter faciendi differre,& per hoc dicunt simpliciter differre, quæ convenientia, disconvenientia potiùs, quàm, convenientia appellanda est, ergo &c.

Obicies 2. Ex non substantia, non fit substantia; sed ex ultimis differentiis fit substantia, ergo, sunt substantiæ, ergo, sunt entia. Respondetur. Cum Tatareto in primo dist. 3, quæst. 3., distinguendo majorem; ex non substantiis, tàm, virtualiter, quàm formaliter non fit substantia, concedo majorem; ex non substantiis solùm formaliter, nego majorem, & concessa minori, negatur consequentia; licèt enim differentiæ individuales non sint formaliter substantiæ, cum non ponantur directè in prædicamento substantiæ;

sunt

sunt tamen substantiæ virtualiter, & participativè, quare possunt dici substantiales, seù substantiæ identicæ, si non formaliter, saltem in obliquo, si non in recto.

Obicies 3. Major est convenientia unius differentiæ cum alia, quàm cum Deo, sed illud, cum quo conveniunt, prædicatur in quid de eis, ergo, ens prædicatur in quid de ultimis differentiis; Major probatur; nam omnis res creata plus distinguitur à Deo, quàm à quacumque re creata, ergo, cum conveniat cum Deo aliquo modo, sequitur, quòd plus conveniat cum aliqua re creata ergo, &c. Respondetur, negando majorem ad probationem distinguo antecedens; plus distinguitur à Deo, quàm à quacumque re creata, quæ non est simpliciter primò diversa ab alia, concedo antecedens, quæ est simpliciter primò diversa, nego antecedens, nam ultimæ differentiæ, sicuti non includunt ens in ordine ad Deum, ratione cujus possunt cum Deo convenire, ità non includunt ens in ordine ad se, ratione cujus possunt quidditativè convenire, &c. Instabis; Creatum, & increatum distant in infinitum, non sic creatum à creato, ergo, plus distinguitur res creata à Deo, quàm à quacumque re creata. Respondetur, concedendo primam partem antecedentis, & distinguendo secundam; non sic creatum à creato positivè, concedo, negativè, & subdistinguo, quatenus sunt primò diversa, nego, quatenus non sunt primò diversa, concedo; Verum est, quòd ens creatum

tum positivè finitum, positivè distinguitur ab ente infinito increato in infinitum, cum finitum, & infinitum, &c., & sic etiam verum est, quòd nullum ens creatum finitum distat in infinitum ab alio ente creato finito, cum distantia extremorum participet naturam, cum hoc tamen stat, quòd quando extrema creata sic se habent, quòd unum nihil alterius includat, tunc distant in infinitum negativè, hoc est non habent aliquod esse, in quo finiantur, & terminentur eorum distantiæ.

Obicies 4. Differentia ultima ex sua ratione formali est aliquid, ergo ex sua ratione formali est ens ergo, &c. Respondetur, distinguendo antecedens, est aliquid, idest aliquod ens, nego antecedens; est aliquod, idest, determinativum entis, concedo antecedens, ergo negatur consequentia, Instas; Hoc determinativum entis est formaliter ens, ergo differentia ultima est formaliter ens; Antecedens probatur; ens formaliter est illud, quòd existit, vel existere potest, sed hujusmodi est hoc determinativum entis ergo, &c. Respondetur negando antecedens, ad probationem, distinguo antecedens, ut quid, & in recto, quòd existit ratione sui, concedo antecedens; ut quo, & in obliquo, sivè, quòd existit ratione tertii, ut sunt istæ ultimæ differentiæ, nego. Instas; Differentiis ultimis ex suis rationibus formalibus convenit esse extra nihil, nullo intellectu cogitante; ergo ex suis rationibus formalibus, ipsis convenit ratio entis; Antecedens probatur; nam formaliter non sunt intra

tra nihil ergo formaliter sunt extra nihil; Respondetur, negando antecedens, ad probationem, concedo antecedens, & nego consequentiam; Formaliter enim præscindunt à ratione entis, & sic non sunt formaliter extra, nec infra nihil; nam formaliter sunt rationes limitativæ entis. Instas, Ultimæ differentiæ, quatenùs limitant ens non sunt nihil, nam aliter, nihil limitaret ens, ergo quatenùs limitant ens, sunt formaliter entia; consequentia sequitur; nam inter ens, & nihil, non datur medium, ergo, &c. Respondetur, concedo antecedens, & distinguendo consequens, sunt formaliter entia, ideſt convenit ipsis ex sua ratione formali ista ratio entis, nego consequentiam, sunt formaliter entia, ideſt, ratio formalis entis, etiam ipsis convenit, concedo consequentiam; Aliud enim est, quòd ratio formalis entis conveniat differentiis, & aliud est, quòd ratio formalis entis conveniat ipsis, ex ratione formali differentiarū, primum conceditur, nam infertur solùm differētiā esse identicè ens; secūdùm negatur, quia infertur ipsas esse formaliter entia, &c.

Obicies 5. Idem est formaliter constitutivum entis realis, & ens reale; sed ultima differentia est formaliter constitutiva entis realis, ergo est formaliter ens reale; Major probatur, nam nemo dat, quòd non habet ergo, &c. Respondetur, negando majorem, ad probationem, distinguo antecedens, nemo dat, quòd non habet, vel, ut, quo, vel, ut quòd, seù in recto, seù in obliquo, concedo antece-

tecedens,ut quòd tantùm,nego antecedens;Differentia enim, est quo ens est formaliter tale ens, non tamen ipsa est formaliter ens; Albedo enim, est ratio qua paries est albus, non tamen ipsa est formaliter alba,relatio, est qua aliquod refertur, non tamen ipsa refertur; vel potest dici,quòd differentia ultima est constitutiva talis entis realis, non entis realis,ut sic,&c.

Obicies ultimò; Differentia ultima, est una, vera,bona, ergo est formaliter ens; Respondetur, distinguendo antecedens, identicè, denominativè, virtualiter, in obliquo, concedo antecedens, formaliter, & in recto, nego antecedens. Instabis, ens, & ultima differentia sunt duo objecta formalia, ergo, differentia ultima *est formaliter* ens. Respondetur, concedendo antecedens, & negando consequentiam, nam sunt secundariò objecta formalia, sed non formalitet; Ens enim formaliter est, quòd intelligitur, ultima differentia verò intelligitur,ut quo.

QUÆSTIO VII.

An ens formaliter includatur in suis passionibus conjunctis.

Sciendum, quòd jam dictum supra, in expositione text.6.metaphysicæ concl.2. quòd passiones conjunctæ ipsius entis sunt unitas, veritas, & bonitas, & 4. metaphysicæ conclu.7. exposui,

quòd

quòd passio est eadem realiter cum suo subjecto, non verò formaliter, & conc. 11. probavi, quòd communiter, transcendenter, & simpliciter, unum, & ens dicunt eandem naturam convertibiliter realiter, ideò quæritur, an ens formaliter includatur in suis passionibus conjunctis.

Dico, quòd ens formaliter non includitur in suis passionibus; sic Scotus in 1. dist. 3. quæst. 3. contra Neutericos.

Probatur primò Scoticè; quòd ponitur in ratione formali alicujus, tamquàm additum, non prædicatur de illo inquid, sivè non includitur formaliter in illo, sed ens ponitur in definitione passionum, tamquàm additum, ergo non includitur formaliter in passionibus; Major est Aristotelis 7. metaphysicæ text. 17. & 18. ubi probat, quòd substantia non prædicatur de accidente in quid, quia ponitur in definitione accidentis, tamquàm additum; minor est clara, ergo &c. Confirmatur, ex Aristotele primo posteriorum, cap. 18. propositiones per se, non convertuntur, idest, si prædicatum dicitur de subjecto per se, è contra subjectum non dicitur de prædicato per se, ergo si ista est per se in secundo modo; ens est unum, hæc alia, unum est ens, non poterit esse per se, nec in primo, nec in secundo modo, sed quasi per accidens, sicut ista est per accidens, risibilis est homo, ergo ens non includitur formaliter in sua passione; & si quæras, cur Aristoteles dixerit, quòd propositiones per se, non convertuntur, dico pro ut exposui supra ter-

X tio

tio metaphysicæ conclusione 10., quia propositio per se dicit causalitatem, & quia non datur mutua causalitas, ideo fit, quòd si ista, homo est risibilis, est per se, in secundo modo à posteriori; ista conversa, risibilis est homo, est per accidens, ergo &c.

Obicies primò; Passiones entis realis, sunt reales, & concipiuntur, aut, ut existentes, aut, ut potentes existere, ergo sunt formaliter entia. Respondetur distinguendo, secundam partem antecedentis; Directè, & immediatè est ens formaliter sumptum, nego; inadæquatè, & mediatè, concedo, hoc est ratione subjecti; & ideò non sunt formaliter entia, sed identicè.

Obicies 2. Nulla prædicatio est vera *in abstracto*, nisi sit quidditativa, sed in abstracto, unitas, bonitas, veritas recipiunt prædicationem entis; nam valet dicere, unitas est ens, ergo tales propositiones sunt quidditativæ, ergo ens prædicatur quidditativè de passionibus. Respondetur, cum Scoto Quolibeto quinto, negando majorem; nam in divinis, hæc propositio est vera in abstracto, paternitas est divinitas, & tamen non est quidditativa, & formalis, sed solùm identicè; sic etiam in creatis, hæc propositio, unitas est ens, est vera identicè, non formaliter. Instas, cum Mastrio, ergo saltem in concreto, hæc propositio, unum est ens, est quidditativa. Respondetur primo negando consequentiam, cum sit indirecta. Respondetur 2. gratis concessa consequentia, negatur postea,

quòd

quòd ens formaliter dicatur de suis passionibus; nam in casu, solùm sequitur, quòd formaliter dicatur de illo, quòd dicitur unum, non verò de unitate in se, quæ est passio entis, quo pacto conceditur ista, rationale est animal, ut propositio in primo modo, non quòd animal includatur in conceptu differentiæ, sed hominis, qui dicitur rationalis.

Obicies 3. Superius includitur formaliter in suo inferiori; sed ens est superius, ergo includitur formaliter in suis passionibus. Respondetur, distinguendo majorem, in suo inferiori, quòd propriè respicit per lineam rectam, concedo majorem, quòd respicit lateraliter, nego majorem, nam superius non convertitur cum suo inferiori; subjectum verò, & passio identicè convertuntur, quare inferiora, quæ propriè, & per lineam rectam, etiam respicit, ut Deus, & Creatura, substantia, & accidens, nec non omnia decem prædicamenta, & species, modi verò intrinseci, & differentiæ rerum, quia respiciuntur ab ente lateraliter, identicè solùm, & non quidditativè includunt ens; sic pariter passiones, licèt sint convertibiles cum eorum subjectis, propter eandem rationem, non includunt ens formaliter, sed solùm identicè.

Collige, quòd ens respectu Dei, & Creaturæ; substantiæ, & accidentis, decem generum, specierum, differentiarum non ultimarum est univocum prædicatum, & univocè prædicari, cum formaliter, & quidditativè includatur in eorum conce-

ptibus, valet enim dicere, Deus est formaliter ens; Creatura est formaliter ens, substantia &c. Nam hoc requiritur ad univocè prædicari, ut diximus supra disp. 2. quæst 5. cum Scoto in 1. dist. 3. quęst. 3. Respectu verò modorum intrinsecorum, ultimarum differentiarum, & passionum ipsius, est solùm prædicatum univocum, cum dicat unum conceptum illis communem, non tamen univocè prædicatur, quia talis conceptus non est in illis quidditativè inclusus.

QUÆSTIO VIII.

An ens in quantum ens reduplicativè habeat principia.

SCiendum cum Scoto quæst. 3. prologi, quòd principia sunt duplicis generis, scilicèt; alia essendi, alia cognoscendi; principium essendi, est illud, undè res incipit, cum fit, & hoc dupliciter, vel negativum, ut privativum; vel positivum, & hoc iterum dupliciter, vel extrinsecum, ut efficiens, & finis, vel intrinsecum, ut materia, & forma, respectu compositi materialis, & istud iterum dupliciter, vel causans, vel non causans, ut initiũ; causans adhùc dupliciter, vel physicum, ut materia, & forma, vel metaphysicum, ut genus, & differentia: Principium cognoscendi est illud, quòd sui cognitione, ducit nos in cognitionem alterius rei, & est duplex, vel incomplexum, ut est fumus

mus respectu ignis, vel complexum, ut quælibet propositio antecedens ex qua consequentia sumitur, unde supposito etiam, quæ dixi in expositione text.4.metaphysicæ conc.5.

Dico, quòd ens, in quantum ens reduplicativè non habet sua principia essendi; sic Scotus quæst.3.prologi.

Probatur si ens reduplicativè sumptum haberet principia, vel essent extrinseca, ut finis, & efficiens; vel intrinseca, ut materia, & forma in genere physico; vel genus, & differentia, vel actus, & potentia in genere metaphysicò, sed nec illa nec ista habere potest ens in quantum ens reduplicativè sumptum; ergo &c. Minor probatur; quòd competit enti in se, competit cuilibet contento sub se, sed non competit cuilibet enti habere ista principia, tàm intrinseca, quàm extrinseca, ut patet de Deo qui continetur sub ente in communi, & tamen non potest dici, quòd habeat principia intrinseca, vel extrinseca, ergo ens, ut ens reduplicativè sumptum non habet principia essendi. Cōfirmatur. Ens, ut ens, ut est commune Deo, & Creaturæ, substantiæ, & accidenti, abstrahit à ratione causæ, & causati, à ratione principii, & principiati, à ratione dependentiæ, & independentiæ, alias non posset esse commune Deo, & Creaturę, quæ à talibus rationibus abstrahunt, sed si ens haberet principia, non posset abstrahere à ratione principii, & principiati, ergo non habet principia essendi.

Obicies 1. Ens fit, incipit, est ex essentia, & existentia; sed essentia, & existentia sunt principia essendi ipsius entis, ergo ens &c. Respondetur distinguendo majorem; per modum nostrum intelligendi, concedo majorem; à parte rei, nego majorem; nam ens commune Deo, & Creaturæ, numquàm incipit, & consequenter, numquàm fuit factum, semper enim habuit suam essentiam, & existentiam, quàm essentiam, & existentiam; nos per modum intelligendi concipimus, uti principia ipsius entis, ens enim reale definiri solet per non repugnantiam ad existendum, per quàm non repugnantiam, magis explicari solet realis essentia rerum; nam cum essentia, & existentia integrent quodamodo, & constituant conceptum entis, hoc inquàm pacto principia essendi appellari solent.

Obicies 2. Ens in quantum ens est subjectum metaphysicæ; sed per Aristotelem, omne subjectũ debet habere principia, partes, & passiones, ergo ens in quantum habet &c. Respondetur distinguendo minorem; principia cognoscendi, concedo minorem; principia essendi, nego minorem; si enim ens, in quantum ens haberet principia essendi, daretur processus in infinitum, nam principiũ entis debet esse ens, aliter non ens, esset principium entis, iterum illud ens debere habere principia, quòd esset aliud ens.

Dico 2. Quòd ens, ut ens habet principia cognoscẽdi, sic Scotus, ubi supra quæst. 3. prologi.

Pro-

Probatur 1. Nam principia complexa, seù principia cognoscendi sunt propositiones per se de ipso ente, quibus demonstrantur ejus passiones, sed si ens non haberet hujusmodi principia, ens non esset scibile, ergo habet hujusmodi principia complexa.

Probatur 2. ens, ut ens, est objectum metaphysicæ, ergo debet habere principia cognoscendi, & demonstrandi passiones, ergo &c.

Obicies contra hanc secundam partem; medium, sivè principium demonstrandi passiones de subjecto est definitio, sed ens non potest definiri, cum sit simpliciter simplex, ergo non habet principia. Respondetur, distinguendo majorem, est definitio subjecti, sivè formalis, sivè æquivalens, concedo majorem; formalis tantùm, nego majorem; nam conceptus quidditativus, potest esse medium demonstrandi passiones de subjecto.

QVÆSTIO IX.

Quòd nam sit principium complexum omnium principiorum ipsius entis.

SCiendum, quòd multa sunt principia complexa, quibus certitudo demonstrationum, & veritas scientiarum nititur, & sunt impossibile est, idem simul esse, & non esse &c. Quodlibet est, vel non est; Quid quid est, quando est, necesse est esse; si ab æqualibus, æqualia demas, quæ remanent, sunt æqualia &c.

Sciendum est 2. Quòd duplex datur genus demonstrationis, scilicet, & à priori; & deducens ad impossibile; primum procedit ex causis ad effectum, vel ab essentia rei ad passionem demonstrãdam; secundum est repertum, non tantùm ad scientiam pariendam, sed etiam ad pravitatem hominis convincendam, undè non solùm ad probandas conclusiones inducit, sed etiam ad probanda, & persuadenda prima principia immediata contra protervos; & juxta hoc duplex genus demonstrationis, principia ex quibus demonstrationes illæ fiunt, sunt duplicis generis; nam quædam sunt principia propria deducta ex ipsa essentia rei, ut sunt illa, quæ inserviunt demonstrationi ostensivè; Quædam verò sunt principia communia, in quæ omnis alia demonstratio, & principia demonstrationis reducuntur, & sunt iàm supra relata, impossibile est idem simul esse, & non esse &c. Et hæc principia inserviunt demostrationi deducenti ad impossibile, ut docet Aristoteles 4. metaphysicæ cap. 3. & primo posteriorum.

Sciendum 3. Quòd loquendo de principiis pertinentibus ad demonstrationem ostensivam, multa possunt assignari principia entis, cum possint plures demonstrationes de ipso formari; veruntamen, primum omnium, sed non simpliciter est illud, quòd explicat, & definit naturam, & essentiam ipsius entis; loquendo verò de principiis, quibus per deductionem ad impossibile ipsum ens cognosci potest, præcipua entis principia sunt

illa

illa supra relata, impossibile est idem &c. Sũt enim adeo communia, ut virtute ipsorum omnis veritas entis convinci possit, per deductionem, ad impossibile.

Dico, quòd in serie demonstrationum deducendarum ad impossibile, principium primarium simplex, est illud, impossibile est idem simul esse, & non esse; ita Scotus in 1. dist. 3. quaest. 4. § quantum ad secundum, cum Aristotele 4. metaphysicę. In serie verò demonstrationis ostensivè potest dici hoc esse primum principium. Quid quid non est nihil, & actu existit est ens; sic Scotus quaest. 3. prologi, nec non Faber. 4. metaphysicæ cap. 2. ubi docet, quòd definitio entis sit primum principium in scientia à priori.

Probatur 1. pars; illud est simpliciter primum principium quòd habet omnes conditiones requisitas ad esse tale principium, sed sic est hoc; impossibile est idem, ergo &c. ergo minor probatur; nam primò est notissimum, & certissimum, cum circa ipsum non contingat errare, non enim est verisimile aliquem existimare illud non esse certum; secundò est notum ex suppositione, quia in ipso resolvuntur omnes demonstrationes, & ex ipso pendent, non solùm veritates conclusionum, sed etiam aliorum principiorum, non simpliciter primorum, tertiò, cum alicui proponitur aliqua contradictio de aliqua re, statim cognoscit esse impossibile ipsos de utroque posse verificari, ergo oppositum hujus principii non potest cade-

re

re in mente alicujus. Confirmatur; illud est principium simpliciter primum, quo mediante, non solùm conclusiones, sed etiam cætera alia principia confirmari possunt, tamquàm per illud, quòd est fundamentum, & radix omnium principiorum; sed hoc principium, impossibile est, idem simul esse, & non esse, est hujusmodi, ergo &c. Minor probatur, nam in logicis omnes cõclusiones possunt confirmari per impossibilem demonstrationem; De principiis etiam patet; nam firmitas hujus principii, de quodlibet est affirmatio, vel negatio, provenit ex hoc, impossibile est idem simul esse, & non esse; si enim non esset impossibile idem simul esse, & non esse, hoc principium, de quodlibet est affirmatio, vel negatio, non esset verum, ergo &c.

Probatur 2. pars; Principium in serie demonstrationis, ostensivè est illud, cui nititur veritas demonstrationis; Sed allatum est hujusmodi, ergo &c. Minor probatur, prima demonstratio omnium est illa, in qua prima proprietas entis demonstratur de ipso quia modo nihil, aut prius ente nulla potest esse demonstratio prior ea in qua convenit illa prima demonstratio, sed hujusmodi principio nititur veritas demonstrationis; in qua prima proprietas entis demonstratur de ipso, sicut ad probationem risibilitatis de homine sumi debet pro principio, ipsa ratio hominis, ita ad probandam primam proprietatem entis debet sumi pro principio ipsa ratio entis, ergo huic principio

cipio (Quid quid non est nihil,& actu existit, ens est), utpotè, in quo ratio entis conveniat de eo nititur veritas demonstrationis omnium principiorum,ergo &c. Confirmatur, sicuti in conceptibus ultima resolutio fit in conceptum entis;ita in principiis,ultima resolutio fit in principium sumptum de ipso ente; sed principium allatum est hujusmodi,cum sit propositio in qua ratio entis immediatè enunciatur de ente, ergo principium istud est primum in serie demonstrationis &c.

Obicies primò contra primam partem. Primum principium debet esse simplicissimum; nam si aliquo modo esset compositum non esset primum, cum ipsa componentia essent priora ipso; sed hoc principium ; ens est ens est simplicissimum,cum ens sit simpliciter simplex,& hoc principium, impossibile est idem simul esse, & non esse est compositum, ergo; hoc est principium simpliciter primum,ens est ens,& non illud, impossibile est,idem simul esse, & non esse. Respondetur, distinguendo majorem,in ratione principii, concedo majorem; in ratione propositionis, nego majorem, & pariformiter, distincta minori, negatur consequentia, nam utique primum principium consideratum in ratione propositionis debet esse compositum, cum propositio hypothetica est composita, semper est posterior propositione cathegorica, & simplici ; At verò consideratum in ratione principii sufficit, quòd non sit resolubile in aliud principium,à quo ejus vnitas, veritas, & evidentia pendeat.

Obi-

Obicies 2. primum principium, debet esse primum; sed principium in casu non est ita, ergo, &c. Minor probatur, nam hoc principium; impossibile est idem, &c. est propositio modalis, & negativa, sed propositio modalis supponit illam de in esse, & propositio affirmativa præsupponitur ad negativam, ergo non est primum; Respondetur, distinguendo majorem, in ratione primi principii, concedo, in ratione propositionis, nego, & sic distincta minori, negatur consequentia, nam, licè: propositio affirmativa in genere propositionum sit semper prior negativa, non tamen in genere principiorum; præter quam, quòd, accidit, quòd illud principium sit negativum realiter, secundùm veritatem, quia formaliter est affirmativum, cum æquivaleat isti propositioni; necesse est idem nō simul esse & non esse, quæ est affirmativa.

Obicies; Primum principium debet esse illud, quòd non probatur per aliud; sed illud principium assignatum, potest probari per aliud ergo, &c. Minor probatur, nam probatur à priori per hoc aliud, impossibile est duo contradictoria esse simul vera, & etiam probatur, inductione à posteriori, sic impossibile est Petrum esse, & non esse, ergo impossibile est aliquod simul esse, & non esse. Respondetur, concedendo majorem, & negando minorem, cum sua probatione, nam potius res è contra se habet scilicèt, quòd duo contradictoria, nequeunt esse simul vera, quia impossibile est, idem simul esse, & non esse, & ex hoc probatur illud;

lud; ad aliam probationem, ex inductione, dico, cum Scoto in primo dist.3.quæst. 4.lit. D., quòd cognitio singularium est tantùm occasio cognitionis principiorum, unde illa inductio, non est propriè probatio, sed quædam manuductio, quàm intellectus intelligens primum principium, magis adhæret illi, quàm propositioni simplici inducenti;nam omnis propositio universalis in materia necessaria est per se priùs vera,quàm ejus singularis,& prius verum est, omnem hominem esse animal, quàm Petrum esse animal, & ideò infertur per illam à priori, esse autem, & non esse conveniunt cuilibet necessariò sub disjunctione, & ideò illa est per se prius vera (impossibile est, &c.), quàm ista, impossibile est Petrum esse, & non esse.

Obicies 4 Ex Antonio Andrea; Illud principium cujus termini non sunt primò primi, nec ultimò ultimi,non est simpliciter primum principium,impossibile est, idem simul esse, & non esse, est hujusmodi,ergo, &c. Major patet, quia de ratione principii simpliciter est; quòd sit primum in essendo,& ultimum in resolvendo;minor,etiam patet, quia hoc subjectum hujus primi principii, quòd est, idem, ens, est resolubile in duos alios conceptus,quorum unus est absolutus, vel saltem neuter, scilicèt, ens, & alius respectivus, scilicèt, idem; sed conceptus includens absolutum, & respectivum, non est æquè prius, sicuti illi conceptus inclusi in ipso,scilicèt,ens, & idem,ergo,sub-
jectum

jectum hujus principii, cum sit primò primum, &c. Item prædicatum, quòd est esse, & non esse, neque est primum principium, cum sit agregatum, ex affirmativo, & negativo, ergo, &c. Respondetur, cum Fabro 4. metaphysicæ cap. 20., negando majorem, cum sua probatione, nam Antonius Andrea, confundit principium simpliciter simplex, cum propositione complexa; non est enim idem principium primum simpliciter, & principium primò primum, nam primum principium simplex ostenditur ex illis tribus conditionibus, quas enumerat Aristoteles, ut dixi 4. metaphysicæ concl. 15. scilicèt, quòd sit ita certum, quòd non contingat, &c. Principium verò primò primum, confundi solet, cum propositione complexa, & attenditur ex terminis primò primis, & ultimò ultimis, & sic intelliguntur omnia illa, quæ explicavi supra 4. metaphysicæ concl. 15., 16., & 17.

Obicies 5. Propositio negativa est ignotior positiva, ex Aristotele 4. metaphysicæ, sed sic est primum principium assignatum ergo, &c. Respondetur, concedendo majorem, & distinguendo minorem, secundùm vocem, concedo minorem, secundùm rem nego minorem.

Obicies. 6. Illud est primũ principium, cujus oppositum non potest venire in mentem alicujus; sed oppositum hujus principii assignati, de facto venit in mentem Heracliti, dicentis duo contradictoria esse simul vera ergo, &c. Respondetur, distin-

ftinguendo minorem,dixit voce, & ore concedo minorem,mente, & intellectu, nego minorem. Instas, affirmabat Heraclitus, omnia moveri continuò, ergo mente affirmabat, idem fimul esse, & non esse patet, nam, quæ continuò moventur fimul sunt,& non sunt ergo,&c. Respondetur,concedendo antecedens, & negando consequentiam, ad cujus probationem distinguo antecedens, quæ continuò moventur, fimul sunt, & non sunt, secundùm eandem rationem, nego antecedens, secundùm diversam rationem, concedo ergo, &c. Si enim Heraclitus mente percepisset naturam contradictoriorum, certè illa fimul vera non affirmasset, &c.

QUÆSTIO X.

An prima principia complexa fint naturaliter nota.

SCiendum est primò, ex Scoto 2.metaphyficæ, & in primo dist.3. quæst. 4., nec non ex Aristotele primo posteriorum cap. 2., quòd prima principia complexa sunt duplicis generis; quædam sunt principia omninò prima, & omnibus scientiis communia, ut impossibile, idem fimul esse,& non esse,&c.,de quodlibet,&c. Alia sunt nõ omninò prima,nec omnibus scientiis communia; sed solùm dicuntur prima in aliqua certa scientia,ut in phylosophia, quòd natura agat propter finem,

finem,& in mathematica, quòd paralellæ conveniant, &c.

Sciendum 2. Quòd circa cognitionem primorum principiorum fuit dissidium, inter *Aristotelem*, & Platonem, Plato enim adhærens illi suo principio, quòd animæ rationales sint ab æterno creatæ in quodam determinato numero, nec cognitionem accipiant à corpore, ad quòd informandum destinantur, sed eis ab æterno species rerum omnium infusas esse, & dum corpus dicatur oblivisci, & paulatim deinde, per doctrinam à præceptori memorari,& reminisci, unde certam cognitionem reminiscentium appellabat; Huic inquam inhærens principio dicebat, prima principia complexa, ita esse nobis naturaliter nota,ut notitia ipsa illorum sit immediatè naturaliter cognita animæ nostræ; Aristoteles verò affirmando animam nostram produci denudatam omni prorsus cognitione, docet nullam habere ingenitam notitiam, non solum conclusionum, sed nec principiorum; Certum tamen est, & dico veritatem,quòd adhuc difficultas est in explicanda sententia Aristotelis, an sufficiat sola simpliplicium terminorum appræhensio ad acquirendam complexam principiorum notitiam, V. G., an ad notitiam hujus principii; omne totum est majus sua parte, sufficiat solùm confusa appræhensio terminorum,totius, & partis ab intellectu; An ulterius sit necessaria alia complexa cognitio experimentalis via sensuum habita, per quam com-

compræhendantur extrema esse conjuncta in re.

Dico primò, quòd principia complexa cujuscunque sint generis, non sunt nobis naturaliter nota, in sensu Platonis, quasi notitia complexa illorum sit animæ nostræ à natura congenita; ita Aristoteles 3. de anim., & Scotus in primo dist. 3. quæst. 4.

Probatur 1. Scoticè; Omnis nostra cognitio intellectiva ortum ducit à sensibus, sed cognitio primorum principiorum est intellectiva, ergo, ortum habet à sensibus; ergo, talis cognitio animæ nostræ non potest esse congenita ab æterno, ut ajebat Plato; Major declaratur à Scoto sic; primò enim movetur sensus ab aliquo simplici, non complexo, & à sensu verò movetur intellectus, & intelligit simpliciter, quòd est primus actus intellectus, deinde, post appræhensionem simplicem, sequitur alius actus, qui est comparare simpliciter ad invicem, post illam autem comparationem, intellectus ex lumine naturali assētitur illi veritati copulatæ, hæc Scotus, & nihil clariùs, ergo, &c.

Probatur 2. Ex Aristotele 2. de anima text. 14., habetur, quòd anima ab æterno suæ productionis, est tamquàm tabula rasa, in qua nihil est depictum, ergo notitia primorum principiorum, non est nobis congenita; Antecedens, licèt sit Aristotelis probatur tamen; non semper actu speculamus circa prima principia, nec ad arbitrium nostrum est circa illa tendere; sed si eorum notitia esset nobis naturaliter congenita, semper circa

 illa,

illa, aut specularemur, vel saltem ad nostrum libitum possemus illa speculare, quæ omnia sunt falsa ergo &c.

Obicies 1. Prima principia sunt cognita, nec per se invicem, nec per doctrinam, ergo eorum cognitio est nobis congenita à natura; probatur antecedens, nā ex primo posteriorū, omne cognitū per doctrinam, vel per inventionem per aliud prius notum cognoscitur; sed primis principiis, nihil est priùs notum, ergo prima principia non sunt cognita, nec per se invicem, nec per doctrinam, ergo congenita à natura: Respondetur, ex doctrina Scoti, concedendo antecedens, & negando consequentiam; nam cognitio primorum principiorum, quantum ad simplicia acquiri ex sensibus, quatenus sensus repræsentat terminos simplices intellectui, quos virtute naturali copulat, & appræhendit, & sic aliqualiter nota fiunt ex præexistenti cognitione, non quidem complexa, sed incomplexa. Instas, non sunt plures modi cognoscendi, quàm per doctrinam, vel inventionem; sed prima principia non sunt nobis cognita, neque per doctrinam, neque per inventionem, ergo verè eorum cognitio est congenita à natura. Respondetur, ex doctrina Scoti, distinguendo antecedens, in ordine ad cognitionem conclusionis scientificæ, concedo antecedens, primorum principiorum, nego antecedens; nam modus addiscendi, vel per doctrinam, vel per inventionem pertinet ad cognitionem complexam parturientem

scien-

scientiam, & non ad cognitionem incomplexam parturientem intellectum. Hinc Scotus, respondendo ad id, quòd assumitur; Quòd non acquiritur, neque per doctrinam, neque per inventionem, docet, quòd illa, dividunt acquisitionem scientiæ, quæ est prius nota, non intellectus, qui est habitus primorum principiorum.

Obicies 2. Commentator primo metaphysicæ, super illlud dictum, nullus ignorat locum januæ in domo, dicit, quòd principia sunt nobis naturaliter cognita in quolibet genere entium, & 3. de anima comm. 36., docet, quòd principia sunt nobis naturaliter nota, ergo, &c. Respondetur, cum Scoto ubi supra 2. metaphysicæ, concedendo antecedens, & negando consequentiam, habet Scotus hæc verba, ad Commentatorem dicendum, quòd pro tanto dicuntur nobis naturaliter nota, quia præscita comparatione simplicium terminorum, statim ex lumine naturali intellectus acquiescit, vel adhæret illi veritati, tamen cognitio terminorum acquiritur ex sensibilibus, & iste intellectus dicitur habitus principiorum, quo ad hæc, & primis principiis, hæc Scotus, & nihil clarius, &c. Instas, ex Scoto in primo dist. 3. q. 4., si homo lumine naturali assentitur veritati primorum principiorum, tunc omnes homines æqualiter assentirent, quia, quòd consequitur hominem, vel intellectum, secundùm naturam suam, illud æqualiter reperitur in omnibus, quòd est contra Commentatorem 3. phys. in prin. ubi di-

tit, quòd aliqui negant, ut patet de illis, qui negant illud principium, ex nihilo, nihil fit. Respondetur cum Scoto in eodem loco, quòd ratio illa procedit de principiis simpliciter primis, cujusmodi sunt, impossibile est idem simul, &c., circa quæ impossibile est errare, secundùm phylosophum, non autem procedit de principiis, quæ possunt esse conclusiones respectù primorum principiorum, talibus enim potest unus homo assentire magis, quàm alius, inquantùm assentire talibus subest imperio voluntatis, visa cognitione illorum, cum prima principia &c Hæc Scotus; Quare Commentator, quando dicit, quòd aliqui propter consuetudinem, negant prima principia; *loquitur de principiis non simpliciter primis, de quibus non loquimur nos, dum dicimus, quòd statim ex lumine naturali, intellectus acquiescit, & adhæret veritati.*

Dicimus 2. Quòd prima principia simpliciter prima, licèt non sint nobis naturaliter nota in sensu Platonis, sunt tamen nobis naturaliter nota, quatenus ex sola terminorum appræhensione possumus adhærere veritati; sic Aristoteles, primo posteriorum, ubi docet, quòd, prima principia cognoscimus; sic Scotus 1. metaphysicæ quæst. 4., & in primo dist. 3. quæst. 4. art. 3. contra Fonsecam.

Probatur 1. Posita causa necessaria alicujus effectus, si illa causa est totalis, & sufficiens, quocunque circumscripto, ponitur de necessitate effectus,

ctus, sed apprehensio terminorum simplicium, & comparatio ipsorum in intellectu, est causa necessaria, & totalis respectu veritatis primorum principiorum, quocunq; alio circumscripto, ergo posita apprehensione terminorum, & comparatione ipsorum, quocumque alio circumscripto habetur veritas principiorum; Major est clara, minor probatur, authoritate, & ratione, nam, ex Aristotele 1. post. in hoc distinguitur evidentia primi principii ab evidentia conclusionis, quia evidentia conclusionis, habet causam intrinsecam, qui sunt termini percepti ab intellectu, ergo, &c. probatur ratione, nam si alicui cæco nato imprimeretur species totius, & partis, isti termini relucentes in intellectu cæci essent adæquata causa, quòd posset cæcus componere istam propositionem, omne totum est majus sua parte, ergo, &c.

Probatur 2. Notitia, quæ est certissima, & evidentissima, non dependet à minus certa, & inevidenti; sed notitia primorum principiorum est certissima, & evidentissima; esperimentalis verò est incerta, quatenus sensus decipi potest, ergo, &c.

Obicies. Quæ fiunt nobis nota per experientiam, aut per inductionem, aut per consuetudinem, & hujusmodi, sunt nobis naturaliter nota, quia omnia talia habentur cum difficultate, sed principia sunt nobis nota aliquo istorum modorum, ex Aristotele primo Ethicorum, ergo, &c. Respondetur, concedo majorem, & negando mino-


norem; nam Aristoteles ibi potius est ad opposi-tum, habet enim ibi hæc verba; principiorum alia inductione; alia sensu, alia consuetudine, alia alio modo percipiuntur, igitur docet alia principia non indigere cognitione experimentali,& hæc habent prima principia omninò prima, neque repugnant aliqua nobis fieri nota per sensum, quatenus notitia intellectiva terminorum dependet à sensu,& debent dici nobis naturaliter nota, quatenus ex lumine naturali, intellectus assentitur veritati eorum.

Obicies 2. Experientia constat, quòd licèt habeamus simplicem cognitionem terminorum, nisi sensata cognitione cognoscamus terminos conjungi in re, nescimus formare principium hoc complexum Reubarbarum est purgativum colleræ, quia stare potest, quòd sciatur, quòd reubarbarum sit, & collera sit, & tamen ignoretur complexio ista reubarbarum purgat colleram, ergo, &c. Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam; nam exemplum de reubarbaro non est ad propositum,& ad rem; quia illud principiũ non est per se notum simpliciter,& absolutè primũ, sicut est illud omne totũ est majus sua parte; nos loquimur de principiis absolutè primis in aliqua scientia, quòd non est istud in medicina reubarbarum est purgativum colleræ; hæc enim propositio, intantum est vera, & per se nota in medicina, inquantum Medicus pluries expertus, ita contingere,& ex quibus experientiis fre-

frequentatis veritatem illius propositionis deducit. Instas; omnis nostra cognitio ortum ducit à sensibus, sed sensus jàm utuntur cognitione experimentali, ergo, &c. Respondetur distinguendo majorem; omnis nostra cognitio simplex, & terminorum, concedo majorem; complexa, & propositionum, nego majorem, & sic distincta minori, negatur consequentia, nam; licèt cognitio terminorum, ut plurimùm habeatur per sensus, tamen cognitio primorum principiorum pendet immediatè ex cognitione terminorũ, ut dictũ est.

Collige primò, quòd, licèt, prima principia simpliciter, non indigeant cognitione experimentali, ut cognoscantur, principia tamen non simpliciter prima, quia nec per se nota indigent cognitione experimentali, ut patet de hoc primo principio in arte medica, Reubarbarum.

Collige 2. Quòd licèt habitus possit poni in intellectu respectu principiorum, quæ non sunt simpliciter prima, cum possint potentiæ aliquam experiri difficultatem circa talem cognitionem principiorum; non tamen est necesse ponere talem qualitatem superadditam intellectui respectu principiorum simpliciter primorum; Tum, quia intellectus ad talia principia intelligenda est determinatus. Tum, quia circa eorum intelligentiam nulla reperitur difficultas; nam ex Aristotele ista prima principia, se hàbent ut januæ, & Commentator 1. metaphysicæ, cap. 1., docet; quòd nullus ignorat locum januæ in domo, &c.



DISPVTATIO QVARTA

De Deo.

Descendendo ergo ad explicãda inferiora entis, primo agendum est de *Deo*, tamquàm de ente perfectissimo, undè duplex cognitio haberi potest de Deo, una, quæ dicitur clara, & intuitiva, & est illa, quàm habemus de Deo in patria, altera dicitur obscura, & abstractiva, scilicèt per alienas species, & est illa, quàm habemus nos viatores de Deo in via, quæ cognitio de Deo obscura, & abstractiva, etiam est duplex, scilicèt naturalis, & supernaturalis, prima est illa, quàm habemus de Deo per revelationem, & fidem divinam, & hæc est illa, quàm habent Theologi de Deo; modo in hac disputatione non est sermo de Deo, quantùm ad cognitionem supernaturalem, nam hoc modo spectat ad Theologiã, sed est sermo de Deo, ut naturaliter est cognoscibilis ex Creaturis, sic enim cognitio spectat ad metaphysicum, sit ergo.

QUÆ-

QUÆSTIO I.

An detur Deus.

SCiendum hanc quæstionem esse sufficienter probatam supra in expositione text. 12. metaphysicæ, concl. 8., 9., 10., & 13.; ibi remitto studiosum, ubi rationes sunt ita evidentes in via Aristotelis, ut solum insipiens in corde suo dicat non est Deus; adverte tamen, quòd tripliciter possumus devenire naturaliter in cognitionem Dei, scilicèt via causalitatis, via eminentiæ, & via negationis; via causalitatis cognoscimus de Deo prædicata relativa, scilicèt Deus sit Creator, Conservator, Gubernator, &c. via eminentiæ cognoscimus de Deo prædicata absoluta positiva, scilicèt, quòd Deus sit bonus, justus, sapiens, &c. via negationis cognoscimus de Deo prædicata negativa, scilicèt, quòd Deus sit infinitus, non compositus, nec physicè, nec metaphysicæ, &c.

Dicò, quòd verè datur Deus, ita omnes Philosophi, & Theologi.

Probatur via causalitatis; Datur effectus, scilicèt Creatura, ergo datur causa à qua dependet, ergo causa independens, idest Deus, consequentia probatur; in causis essentialiter subordinatis, deveniendum est ad unam primam causam, quæ non dependeat, sed ab ea omnia dependeant, ergo si datur effectus, nempè Creatura, debet dari pri-

prima causa, nempè Deus, antecedens probatur, quia in causis essentialiter subordinatis est deveniendum ad unam primam causam, quæ non dependeat, sed ab ea omnia dependeant, alias daretur processus infinitum, & hoc patet, quia causæ essentialiter subordinatæ, ut producatur effectus debent omnes actu existere à primo, usque ad ultimum, sed in processu in infinitum non datur primum, nec ultimum, ergo necessariò admittendum unum independens, uti est Deus ergo, &c., aliæ rationes sunt in 12. metaphysicæ, &c.

Obicies 1. Si daretur Deus, vel probaretur à priori, vel à posteriori, sed neutrum dici potest, ergo &c. Minor probatur non à priori, quia existentia Dei est ipsa essentia Dei, sed essentia *Dei non* habet causam, seù rationem priorem à qua dependeat, ergo nec existentia, ergo existentia Dei non potest demonstrari per aliquòd prius, seù à priori; non à posteriori, quia non possunt assignari effectus per quos deveniamus in cognitionem existentiæ Dei, ergo non datur &c. Respondetur, negando minorem; nam licet à priori non potest demonstrari, quòd detur Deus, ut probat argumentum, tamen potest demonstrari à posteriori; & per effectus, nempè per Creaturas, ut probatum est in conclusione, & 12. metaphysicæ concl. 8. &c.

Obicies si daretur Deus maximè esset infinitus in actu, sed repugnat infinitum in actu, ex dicendis in physicis, ergo etiam, quòd detur Deus. Respondetur distinguendo minorem; implicat con-

contradictionem infinitum in actu, loquendo de infinito, secundùm extensionem, & multitudinem, concedo minorem; loquendo de infinito secundùm entitatem, seù in entitate, & virtute, uti est Deus, nego minorem, ergo &c.

QUÆSTIO II.

An Deus secundùm mentem Aristotelis sit infiniti vigoris.

SCiendum, quòd hæc quæstio affirmativa probata est sufficienter supra 12. metaphysicæ conc. 11. ibi remitto studiosum; nota tamen, quòd hic non quæritur de infinitate molis, seù quantitatis, quia hæc non datur in Deo, sed est sermo solum de infinitate virtutis, & perfectionis, quæ infinitas, aliud non dicit, nisi esse quodam, quòd caret finibus formalibus, scilicèt genere, & differentia, quibus res creata clauditur; sed Deus est sic infinitus, cum non habeat proprium genus, & propriam differentiam, cum non ponatur in prædicamento ex dicendis.

Sciendum 2. Quòd triplex infinitas potest excogitari in Deo, scilicèt infinitas in essentia, infinitas in potentia, & infinitas in duratione. primo modo, Deus est infinitus, quia est ens à se per essentiam, ac independens, dicit enim plenitudinem omnis perfectionis possibilis; ex opposito verò Creatura, quia est ens dependens, non est infini-

finita; secundo modo, Deus est infinitus, quia habet essentiam infinitam, ergo etiam potentiam infinitam; consequentia patet, quia potentia, & essentia debent proportionari ad invicem; Tertio modo Deus est infinitus, quia est independens, igitur est infinitus in duratione, in præsenti quæritur, An Deus secundùm mentem Aristotelis sit infiniti vigoris, & sensus est, An Aristoteles cognoverit Deum esse infinitæ potentiæ, & virtutis.

Sciendum 3. quòd de omnipotentia, seù virtute infinita in Deo possumus loqui dupliciter, vel phylosophicè, vel Theologicè; omnipotentia primo modo consistit in hoc, quòd, scilicèt Deus possit producere, quodcunque factibile, alligatum tamen cum concursu causarum secundarum, nam est axioma apud phylosophos, Deum agere necessariò ad extra, ex dicendis in physica; omnipotentia Theologica consistit in hoc, quòd Deus possit producere quodcunque, sivè mediatè, scilicèt cum concursu causarum secundarum, vel immediatè, sine concursu causarum secundarum, quia axioma est apud Theologos, quòd Deus quidquid potest facere cum causis secundis, potest facere se solo, unde sensus quæstionis est de de omnipotentia phylosophicè considerata; nam loquendo de omnipotentia Theologica est de fide, sed istam non cognovit Aristoteles.

Dico ergo quòd Deus, secundùm mentem Aristotelis est infiniti vigoris, sic Scotus in 1. dist. 8. quæst. 5. & quolibeto. 7. contra Gregorium Arimin. Zimarra, & alios. Pro-

Probatur Aristoteles 8.physicorum text.78. probans, quòd Deus, seù primus motor non habeat quantitatem, probat hoc modo; omne illud, quòd movet per infinitum tempus, habet infinitam potentiam; Deus autem movet per infinitum tempus (tempus enim secundùm Aristotelem est infinitum)ergo Deus habet infinitam potentiam; subsumit minorem Aristoteles, sed, quòd habet infinitam potentiam non habet quantitatem, ergo; probat minorem subsumptam Aristoteles, si id,quòd habet infinitam potentiam haberet quãtitatem,vel haberet quantitatem finitam, vel infinitam, non potest dici primum, quia infinita potentia non potest recipi in quantitate finita; nec potest dici secundum, quia quantitas infinita in actu non datur,ergo secũdùm Aristotelem, Deus, seù primus motor est infinitæ potentiæ, seù infiniti vigoris; Alias rationes vide, in 12. metaphysicæ conc. 11.

Obicies 1.Primus motor,sivè Deus,vel posset velociùs movere,quòd movet,vel non,sed non potest dici primum, secundùm Aristotelem, ergo dicendum secundum; si verò secundum, habetur intentum, ergo secundùm Aristotelem, Deus non est infiniti vigoris. Minor probatur, si primus motor velociùs moveret, quòd movet, nunc jam moveret velociùs, quòd movet, quia secundùm Aristotelem in æternis idem est esse, ac posse, ergo primus motor non potest movere velocius. Respondetur, & pro responsione advertite, primum

mo-

motorem posse velociùs movere, quàm nunc movet, potest intelligi dupliciter, vel ratione sui, vel ratione effectuum, ratione sui, potest velocius movere, quia habet infinitam vim in vigore; sed ratione effectuum non, quia est necesse, secundùm Aristotelem, quòd utatur causis secundis, quibus mediantibus agat, nunc informa, dico quòd Deus secundùm Aristotelem, potest movere velocius quàm movet, ratione sui, non tamen ratione effectvum.

Obicies 2. Media, quæ nos inducunt in cognitionem Dei infiniti vigoris sunt hæc tria, scilicèt, revelatio, Creatio, & miracula, sed ista media non fuerunt cognita ab Aristotele, ex viribus naturalibus, ergo Aristoteles non cognovit Deum esse infiniti vigoris. Respondetur, quòd argumétum tantùm probat, quòd Aristoteles, non cognovit infinitatem potentiæ in Deo Theologicè, loquendo, quòd gratis concedo, non verò phylosophicè, & servata hac distinctione satisfit multis argumentis.

Obicies 3. Aristoteles docet infinitum esse ignotum, ergo Aristoteles non cognovit Deum esse infiniti vigoris. Respondetur negando consequentiam, nam argumentum non concludit, alias sequeretur, quòd Aristoteles, nec cognoverit Deũ esse infinitum in duratione, quia infinitum in duratione adhuc est ignotum, & tamen, secundùm Adversarios, Aristoteles congnovit Deum esse infinitum in duratione, Respondetur 2. quòd infini-

finitum; ut infinitum eſt ignotum nobis, quatenus numquàm poſſumus pertingere ad cognitionem totalem infiniti, tamen, pro aliqua ſui conditione cognoſcitur à nobis, quàmvis finito modo, eo prorſus modo, quo etiam nunc Theologi cognoſcunt Deum infinitum.



DISPVTATIO QVINTA

De essentia, & existentia entis realis.

SEcundùm methodum, & ordinem in hac disputatione agendum est de Creatura, quia ens descendit prius ad Deum, & postea ad Creaturam; nomine autem Creaturæ intelligimus ens dependens à Deo, ita, ut Creatura, ut Creatura formaliter constituatur in suo esse per illam relationem dependentiæ, quàm dicit ad Deum; At, quia de Creatura satis loquuntur Theologi in tractatu de Creatione; idcirco, pro ut ad metaphysicum spectat sit.

QUÆSTIO I.

An essentiæ Creaturarum sint æternæ.

SCiendum primò, quòd hic per nomen essentiæ non intelligimus solùm gradum entis in abstra-

ſtracto, ut idem omninò ſonet, ac entitas; talis explicatio, potius gramaticalis, quàm phyloſophica eſt, licèt nomen eſſentiæ ab eſſe deducendum ſit, ex Auguſtino 5. de Trinitate cap. 1. in fine, tamen ex uſu phyloſophorum, hoc nomen eſſentiæ non ſignificat nudam, & ſolam rationem entis in abſtracto, quia ſic non ſolum ens dicitur habere propriam eſſentiam, ſed omnia, & ſingula entia in genere, in ſpecie, & in individuo; indifferenter, enim dicimus eſſentiam entis, eſſentiam generis, ſpeciei, individui, ſubſtantiæ, & accidentis, & tamen differentiæ per ſe ultimæ alicujus non includunt formaliter rationem entis.

Sciendum 2. quòd nomen eſſentiæ aliqui intelligunt, quòd eſt quædam collectio prædicatorum ſpectantium ad primum modum dicendi per ſe; ſed hæc acceptio nominis eſſentiæ, & ſi ſit bona, & in ſcholis frequentata, tamen adhùc nimis lata eſt, quia non adæquat naturam eſſentiæ, prout eſt principium entis realis, nàm juxta præfatum nomen eſſentiæ, etiam entibus rationis, & figmentis accomodatur, iſta enim quoque ſuo modo propriam eſſentiam habere dicuntur, & propriam conſtitutionem prædicatorum, quibus in eorum eſſe quidditativè conſtituuntur, undè dicere ſolemus, talem eſſe eſſentiam entis rationis, talem ſecundæ intentionis, cum omni proprietate, non ſecus, ac dicimus talem eſſentiam hominis, leonis &c.

Sciendum 3. Quòd nomine eſſentiæ neque

intelligimus, quòd sit illa ratio, quæ per se primò convenit rei,& ipsam rem constituit, & ab ea omnes propositiones ejus emanant, nam talis descriptio potest adaptari,& figmentis,& entibus rationis; sed in casu nomine essentiæ intelligimus illam rem, cui non repugnat esse existentiæ realis; nam hic est sermo de essentia, ut est principium complexum entis realis, & ut ordinatur ad realem existentiam in rerum natura extra nihil, modò in hac tertia sola acceptione essentia potest esse principium solùm entis realis.

Sciendo 4. quòd suppono nullas Creaturas fuisse ab æterno productas, ex dicendis in physicis, & patet ex Concilio latheranensi,in confessione fidei; Deum ab initio temporis, utramque de nihilo condidisse Creaturam, corporalem, & Spiritualem, angelicam, & humanam, ubi clarè conspicitur omnem Creaturam initium habuisse in tempore à Deo ex nihilo;Hoc tamen non obstante, certum est, Deum ab æterno cognovisse omnes Creaturas, non solùm, secundùm esse creatum, ut sic; sed secundùm rationes particulares earum, quatenus inter se sunt distinctæ rationis; Quòd autem revocatur indubium est;An Creatura, quæ ab æterno fuit possibilis, habuit aliquod esse reale essentiæ, ut vult Henricus, an verò nihil reale, ut vult Scotus in primo dist.36. quæst. unica.

Sciendo 5. quòd esse Creatum tripliciter distingui potest, scilicèt in virtuale, cognitum, & reale, sivè actuale; esse virtuale,est illud, quòd habet

bet in sua causa, quòd possit ab illa produci, taliter, quòd non tantùm esse creatum, quàm esse ipsius causæ dici debet, & sic lapidem contineri in Deo virtualiter, seù lapidem habere esse virtuale, nihil aliud est, quàm esse Dei, ut potentis producere lapidem, sicut esse caloris in sole, nihil aliud est, quàm esse solis, ut potentis producere calorem. Esse cognitum, quòd ab aliis esse objectivum appellatur, est illud, secundùm, quòd res ab intellectu divino cognoscitur, cui intellectui divino cōnaturaliter est cognoscere rem, antequam producatur; esse reale est illud, quòd Creaturæ habent extra suas causas, quale est esse, quòd nunc habent Angeli, homines &c.

Dico, quòd Creaturæ secundùm esse reale non sunt æternæ; sic Scotus in 1. dist. 36. quæst. unica, & in 2. dist. 1. quæst. 2., & quolib. 14. art. 2. ubi docet, quòd res ab æterno sunt nihil pro ut nihil dicit negationem essentiæ, & existentiæ, & communiter omnes, Thomistæ, & Neuterici, contra Henricum in 1, dist. 36. quæst. unica.

Probatur primò; Joann. 1. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, ergo Creaturæ antequam sint productæ à Deo nihil sunt, consequentia probatur; nam ex Justino Mar. in expositione fidei, quòd à Deo non est factum, vel est Deus, vel nihil; sed essentiæ Creaturarum, si essent æternæ non essent factæ à Deo, ergo, vel dicendum, quòd sint nihil, vel quòd sint Deus; quòd est falsum. Confirmatur ex Concilio Latheranen-

fi, ubi supra, Deus de nihilo condidit Creaturam spiritualem, & corporalem, sed præsuppositis essentiis realibus æternis, non fuissent conditæ de nihilo, ergo &c. Respondet Henricus, Deum de nihilo existentiæ Creaturæ omnia condidisse, non verò ex nihilo essentiæ; nam esse reale essentiæ est improductum, conveniens Creaturis independenter à Deo, quòd quidem supponitur in eis, non solùm ante efficientiam, sed etiam ante scientiam Dei, ut ratione illius possint esse objectum scientiæ divinæ, & fundare relationem ad Deum cognoscentem.

Contra primò, Res cujus essentia per destructionem non corrumpitur, non dicitur annihilari, ergo ab opposito res cujus essentia, per productionem non producitur, non dicitur Creari, ergo data tali responsione tolleretur Creatio; Antecedens patet, nam terminus ad quem annihilationis est nihileitas simpliciter, ut probat Scotus in 4. dist. 11. quæst. 4. §. ad primum, scilicèt, quòd terminus ad quem annihilationis est purum nihil, consequentia patet; nam, ita se habet annihilatio respectu termini ad quem, ut Creatio respectu termini à quo; sed annihilatio respicit pro termino ad quem purum nihil, ergo Creatio debet habere pro termino à quo purum nihil, ergo debet excludere essentias rerum ab æterno.

Contra 2. Productio Verbi Divini, quia præsupponit essentiam Divinam in Patre, tamquam in termino ex quo, non dicitur Creatio, ergo si pro-

productio Creaturæ supponeret ejus essentiam æternam, talis productio non posset dici Creatio.

Contra 3., & quæro de illa essentia reali æterna, vel est actualis in illo tunc æternitatis, vel non, si primum, ergo quando in tempore producitur, nihil fit de novo, cum supponatur essentia existens; si secundum, ergo essentia actualis nihil est in illo tunc, ergo &c.

Probatur 2. essentia cujuscumque Creaturæ per solam substractionem concursus Dei potest annihilari, sed suppositis essentiis ab æterno, non possent essentiæ annihilari, ergo &c. Major est certa; nam essentiæ essent ab æterno, & non haberent eorum esse per actionem Dei, ergo per substractionem concursus Dei, non destruerentur consequẽtia probatur, nam quando affirmatio alicujus actionis non ponit rem in esse, tunc, neque negatio alicujus actionis aufert rem ab esse, ergo si Creaturæ, quantùm ad essentias non sunt in esse per actionem, neque tollerentur ab esse per negationem actionis Dei, quæ quanta sint falsa judicio Lectoris remitto.

Probatur 3. à Scoto in 1. dist. 36. lit. E. Si Creatura haberet esse reale ab æterno, maximè esset, quia tunc essentia intelligebatur à Deo, scilicèt ab æterno, sed hoc non facit, ut dicatur habere esse reale ab æterno, ergo &c. Major est vera; Minor probatur; non minus Deus ab æterno rerum essentias cognoscit, quàm rerum existentias; sed ex hoc, quòd cognoscat rerum existentias ab æter-

no, non fit, quòd Creaturæ habeant esse reale ab æterno existentię, ergo neque ex hoc, quòd cognoscat essentias Creaturarum ab æterno, fieri debet, quòd Creaturæ habeant esse reale essentiæ ab æterno, major patet; nam ex D. Augustino 5. supra Genesim cap. 8. non aliter cognoscit Deus facta, quàm facienda, ergo &c.

Obicies primò pro Henrico; ab æterno valebat dicere, quòd homo erat animal rationale, & hinc illa propositio erat æternæ veritatis; sed non apparet, quomodo posset esse vera, nisi homo haberet aliquod esse reale ab æterno, ergo &c. Respondetur, concedendo majorem, & negando minorem; nam veritas illius propositionis fundatur in necessaria condexione, & habitudine eorundem extremorum, & quia necessaria illa condexio ante existentiam extremorum, nihil aliud dicit, quàm unum aliquod possibile esse de ratione alterius possibilis, hoc est, quando ipsum erit necessario, erit hoc vel illud, idcirco fit, quòd semper intrinseca illa veritas satis possit intelligi, absque aliquo actuali esse reali essentiæ. Instas, omnis veritas in aliquo esse vero debet esse fundata, ergo veritas actualis, in aliquo esse verò actuali; sed veritas actualis hujus propositionis, homo est animal rationale, non potest esse fundata in existentia hominis, cum homo non fuerit, secundùm existentiam ab æterno, ergo debet fundari in actuali essentia hominis ab æterno. Respondetur, cum Patre Vulpes, tom. 1. partis primæ disp. 28. art. 1. nu. 7. di-

7. distinguendo antecedens; Veritas propositionis debet esse fundata in aliquo esse vero, quòd habet actualiter, vel habere potest possibiliter, concedo antecedens, in aliquo esse actualiter solùm, nego antecedens; nam res possibilis, ut ab æterno erat homo objectivè præsens divinæ intellectui, cum actualiter ab eo cognoscitur, quatenus verum esse eis, non repugnat, est fundamentum, in quo omnes propositiones verè fundantur. Instas, Deus per suam scientiam non solùm cognoscit hominem, quatenus potest esse animal rationale, sed, & ipsum esse animal rationale cognoscit, ergo saltem esse possibile non est sufficiens fundamentum veritatis illius propositionis, ergo &c. Respondetur, distinguendo secundam partem antecedentis, cognoscit etiam necessariò hominem esse animal rationale ab æterno, concedo, pro æterno, nego, antecedens, nam Deus, licèt ab æterno cognoscat necessariam condexionem inter hominem, & animal rationale, non tamen cognoscit extrema pro æterno, sed pro tali differentia temporis, quare ad veritatem actualis propositionis, non sequitur, quòd extrema actualiter existant, sed sufficit, quòd verum esse eis nõ repugnet.

Obicies 2. Scientia, qua Deus ab æterno cognoscit essentias rerum est realis, ergo ipsæ Creaturæ ab æterno dicuntur esse reale, consequentia sequitur, nam scientiæ specificantur ab objectis scibilibus. Respondetur, negando consequentiam, ad probationem distinguo antecedens, ab objecto mo-

motivo primario, concedo antecedens, terminativo,& secundario,nego antecedens, quare scientia Dei,dicitur realis, quatenus terminatur ad esse reale, quòd Creaturis con repugnat; non verò ad esse reale,quòd in se ipsis ab æterno habuerunt, cum illud nihil sit. Instas, realis scientia Dei, quàm Deus ab æterno habuit de Creaturis debet corrispondere ad aliquod esse reale ipsarum, aliter non magis possit dici realis in ordine ad Creaturas,quàm in ordine ad entia chymerica, & in potentia,sed hoc non potest esse,nisi essentia,ergo essentiæ rerum sunt reales. Respondetur, distinguendo majorem; debet corrispondere, &c. in se ipsis,nego majorem, debet corrispondere in divina essentia per realem scientiam, & cognitum eis non repugnare, concedo majorem; sed distinguo minorem,in se ipsis,nego minorem, in essentia divina,concedo minorem, ergo, &c. Nam entibus chymericis, nec in propria,nec in aliena mensura aliquod correspondere potest, nec ab æterno, nec pro aliqua differentia temporis existentia realis corrispondere potest.

Obicies 3. Creaturæ priusquam intelligerentur, & producerentur à Deo, erant intelligibiles,& possibiles, sed omne possibile est ens reale, cum actus, & potentia dividunt ipsum ens reale, ergo aliquod esse reale essentiæ habuerunt Creaturæ,priusquam à Deo intelligerentur, & producerentur. Respondetur, distinguendo majorem virtualiter,concedo, formaliter, subdistinguo positi-

vè, nego majorem, privativè, seù negativè, concedo majorem; sed distinguo minorem, formaliter, & positivè, concedo minorem, virtualiter, & negativè, nego minorem, ut enim docet Pater Vulpes meus Compatriota, tom. 1. partis primæ disp. 28. art. 2. num. 6. Res priusquàm à Deo cognoscerentur, nec possibiles, nec impossibiles dici poterant; quatenùs verò à Deo cognitæ insurgit ratio convenientiæ, vel disconvenientiæ unius ab alio, & tunc judicio intellectus rem aliquam esse possibilem, hoc est posse componi cum alio, vel nō posse cū alio componi, sed de hoc fusius infra.

Obicies 4. Ens reale, seù essentia realis est illa, quæ, aut existit, aut existere potest, sed essentiæ Creaturarum ab æterno, licèt non fuissent existentes, poterant tamen existere, quia sunt possibiles, ergo ab æterno sunt reales; Respondetur, distinguendo majorem, sivè verbaliter, sivè nominaliter, concedo majorem, verbaliter solùm, nego majorem, & concessa minori, distinguo consequens; sunt reales nominaliter, concedo, verbaliter, sivè participaliter, nego; nam quando essentiæ ab æterno dicuntur reales nominaliter, facit hunc sensum, quòd essentiæ Creaturarum possunt esse, non autem, quòd ipse ab æterno sint. Instas. Creaturæ ab æterno sunt possibiles, ergo, ab æterno dantur essentiæ Creaturarum, quæ sunt fundamentum hujus possibilitatis. Respondetur, negando consequentiam, nam fundamentum hujus possibilitatis, est esse virtuale, quòd habent Creaturæ in essentia divina.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

An Creaturæ, pro ut sunt fundamentum relationis æternæ ad Deum, ut cognoscentem, habeant verum esse essentiæ, ex hoc, quòd sint sub tali respectu.

SCiendum, quod ens reale ex Scoto quolib. 3. §. de primo potest sumi dupliciter, nominaliter, & verbaliter, sivè participaliter, ut diximus, etiam supra; primum est illud, quòd non habet existentiam realem, tamen ei non repugnat, ut Antichristus, secundùm est illud, quòd actualiter habet existentiam realem, primum dicitur nominaliter, quia significat existentiam præscindentem, à differentia temporis; secundum dicitur verbaliter, quia condotat existentiam in tempore, hic, & nunc existentem.

Dico, quòd Creaturę pro ut sunt fundamentum relationis æternę ad Deũ cognoscentem, non habent verum esse essentiæ; sic Scotus in 2. dist. 1. quæst. 1., contra Henricum citatum, est etiam contra Patrem Poncium tom. 3. disput. 18. sui cursus.

Probatur authoritate D. Augustini, super Genesim, cap. 18., ubi loquens de Creaturis habet hæc verba; Creaturæ antequam fuerunt, erant, & non erant, erant in Dei scientia, non erant

in

in sui natura, ergo Creaturæ ex hoc, quòd ab æterno fuerunt sub respectu scientiæ divinæ non sequitur, quòd sint in seipsis, consequentia probatur, nam D. Augustinus docet, quòd Creatura erat, antequam fieret, sed non in sui natura, ergo, &c. Confirmatur ex eodem D. Augustino super Genesim cap. 5., non aliter novit Deus facta, quàm facienda; nunc sic arguo, si existentiæ Creaturarum erant in tempore faciendę, ergo non sequitur existentię Creaturarum fuerunt ab ęterno, ergo, nec sequi debet, quòd essentię rerum fuerunt ab ęterno, eò quia fundant ab ęterno relationem scibilium ad Deum scientem.

Obicies 1. Essentia divina est exemplar rerum omnium, ergo, res priusquàm cognoscantur habent esse formale, & expressivum, & representativum per ipsam divinam essentiam, ergo Creaturę antequàm cognitæ, aliquod esse essentiæ reale habere debent. Respondetur, distinguendo antecedens, divina essentia, &c. est exemplar formale, & limitatum, nego antecedens, virtuale, & illimitatum, concedo antecedens; nam ex Scoto in 2. dist. 1. quæst. 1. art. 2. Creaturæ in memoria, ut pręcedunt, quasi ejus intelligentiam, non habent esse formaliter intelligibile, non enim prius sunt intelligibiles, quàm intellectę; sed tantùm essentia divina prius est sic actu intelligibilis, & ipsa quasi facit omnia alia intellecta, nec prius intelligibilia, quàm intellecta, quia tunc, secundùm aliquam distinctionem præcederent intelligere,
quòd

quòd est falsum; igitur tantùm sunt virtualiter in memoria, quia essentia est ibi formaliter, hæc Scotus.

Obicies 2. Pro Poncio; Deus ab æterno cognovit aliquam rationem in homine, ratione cujus sit possibilis, & possit habere denominationem possibilis logicè ab intellectu divino, & physicè ab ejus omnipotentia, & ab ęterno cognovit aliquam rationem in Chymera, ratione cujus sit impossibilis, ergo homo, pro ut stat sub actuali conceptu Dei, debet aliquod habere essentię; consequentia probatur, nam ab ęterno habet illud, ratione cujus cognoscitur à Deo, ut possibilis, sed, hoc, ratione cujus cognoscitur ab ęterno potentialis, non potest esse, nisi ejus essentia ergo, &c. Respondetur, distinguendo primam partem antecedentis; positivè, nego antecedens, negativè, concedo antecedens, ab ęterno enim Deus non cognovit in homine aliquod positivum, ratione cujus dicatur homo positivè possibilis, aut positivè impossibilis, cum ab æterno sit simpliciter non ens, sed Deus ab æterno solùm cognovit aliquod negativè in homine, ratione cujus cognoscitur, ut possibilis; hoc est, Deus ab æterno non cognovit repugnantiam in homine, ut homo, ex eò, quia non cognovit repugnantiam, quàm habet homo, quòd sit possibilis logicè, non objectivè. Instat Poncius, omnis non repugnantia fundatur in aliquo, quòd habet non repugnantiam; sed ab æterno Deus cognovit non repugnantiam

ho-

hominis, ergo ab æterno cognoscere debet illud in quo stat fundata talis non repugnantia ergo nulla responsio. Confirmatur; ideo homo non repugnat, & Chymera repugnat, quia homo habet naturam distinctæ rationis à natura Chymeræ, ergo non repugnantia hominis præsupponit naturam hominis, ergo omnis non repugnatia stat fundata in aliqua essentia ergo, &c. Respondetur, distinguendo majorem, omnis non repugnantia, quæ est relatio realis insurgẽs ex natura extremorum, cõcedo majorẽ; omnis non repugnantia, quę est relatio rationis nõ insurgens ex natura extremorum, nego majorem. & transacta minori, negatur consequentia, non repugnantia enim, quàm habet homo cognitus ab æterno, non est relatio realis orta ex entitate ipsius hominis; sed solùm orta ex intellectu Dei non cognoscentis repugnantiam in homine, ad confirmationem, distinguo antecedens, quia habet naturam distinctæ rationis, negativè loquendo, concedo antecedens, positivè, nego antecedens. Homo enim in esse possibili, cum non habeat naturam positivam, neque habet, quòd distinguatur positiva distinctione à Chymera, à qua solùm distinguitur negativè; quare, quòd homo non repugnat, & Chymera repugnet, non provenit ex hoc, quòd homo nullam naturam positivam dicat; Chymera verò dicat duas naturas positivas ad invicem impossibiles, & pro clariori intelligentia, ponitur sequens quæstio.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

Undè proveniat possibilitas, & non repugnantia, sivè impossibilitas, & repugnantia rerum.

SCiendum est primò, quòd circa hoc quæsitum multi extant dicendi modi, nam aliqui dicunt, quòd istorum, nulla est quæranda causa, eò, quia est necessarium, quòd aliqua sint producibilia, & aliqua improducibilia; Alii dicunt, quòd possibilia, cum contineantur virtualiter in essentia divina ideò dicuntur possibilia, impossibilia, cum non contineantur, ideò impossibilia. Alii volunt, quòd possibilia non repugnant, & ideò possibilia, quare dicunt, quòd tota possibilitas sumitur ex parte rei, tota factibilis, & impossibilitas ex parte rei non factibilis, sivè repugnantis, dicunt ergo, quòd Deus quantùm est de se, est potens facere Chymeram, sed ipsa non est capax, sivè factibilis. Alii dicunt, quòd ante Creationem nihil erat, nisi Deus, & ideo oportet dicere, quòd Chymera non est producibilis, quia Deus non habet virtutem producendi eam; Alii volunt, hoc provenire etiam ex parte Dei, non potentis producere Chymeram, & ex parte Chymeræ non possibilis produci.

Sciendum est 2. quòd potentia, qua aliquod dicitur possibile est triplex, scilicèt, logica, physica,

ca, sivè realis, & objectiva, potentia logica, ex Scoto in primò dist.7.quæst.unica, §. ad quæstionem; est modus quidam compositionis factæ ab intellectu; judicante subjectum convenire in aliqua propositione prędicato,& è contra,& sic potentia logica,non est,nisi quædam non repugnantia inter subjectum, & prædicatum, in ordine ad intellectum, & de hac potentia loqutus est Aristoteles 5. metaphysicæ,cap.de potentia, dicens, illud est possibile, cujus contrarium, non est de necessitate verum; Potentia physica, sivè realis etiam est duplex, ex Scoto ibidem, scilicet activa, quæ est potentia agendi,& passiva, quæ est potentia patiendi, ut est quòdlibet subjectum potens recipere aliquod ab agente,ut est materia prima,& quodlibet subjectum; Potentia objectiva,ex Scoto in 2.dist.12 quæst.1.§. est igitur videndum, lit.B. est illa, secundùm quàm aliquod dicitur in potentia, ut terminus, hoc est potest esse terminus realis potentiæ agentis, & dicitur res esse in hac potentia, quia simpliciter res in hac potentia non est, sed tantùm, secundùm quid in virtute suæ causæ; adducit exemplum Scotus de albedine,albedo dicitur in potentia objectiva,quando non est,quæ tamen, secundùm quid est, quia est in virtute suæ causæ; quare potentia objectiva ei,quòd est in potentia logica, solùm addit respectum ad potentiam activam agentis;& hinc fit,quòd, nec potentia logica, nec objectiva aliquod in ipsis rebus præseferunt, sed potentia logica attenditur pænes ordi-

ordinem ad intellectum potentem judicare duo extrema habere convenientiam, saltem negativam, hoc est non repugnantiam; vel disconvenientiam; potentia verò objectiva attenditur pænes ordinem ad potentiam activam ipsius agentis.

Sciendum 3. cum Scoto in 1. dist. 36. quæst. unica lit. D. quòd de possibilitate, & impossibilitate logica rerum, possumus loqui in diversis generibus, scilicèt in genere causæ formalis, & in genere causæ efficientis, si enim loquimur de possibilitate, & impossibilitate rerum in ordine ad genus causæ formalis, tunc tàm possibilitas, quàm impossibilitas accipitur ex ipsis rebus; si enim loquimur in ordine ad genus causæ efficientis, tunc tàm possibilitas, quàm impossibilitas desumitur ex intellectu divino. Hinc Scotus in 1. distinct. 36. quæst. unica lit. M. habet; Homini ab æterno inest non esse aliquid, & Chymeræ non esse aliquid, sed homini, non repugnat affirmatio, quæ est esse aliquid; sed tantùm inest negatio propter negationem actus, vel causæ non ponentis in esse, Chymeræ autem repugnat; quia nulla causa potest causare esse aliquid, sed quare homini non repugnat, & chymeræ repugnat ratio est, quia hoc est hoc, & illud est illud, & hoc in quocunque intellectu concipiente, quia sicut dictum est, quidquid repugnat alicui formaliter ex se repugnat ei, & quòd non repugnat formaliter ex se nō repugnat, hæc Scotus, & in 1. dist. 43. quæst. unica, habet, lapis productus in esse intelligibili per intellectum divi-

divinum, habet actu ex se formaliter, & quasi principiativè per intellectum divinum; hæc Scotus, & nihil clariùs.

Undè sic nobis phylosophandum est; intellectum divinum, in primo instanti naturæ intelligere essentiam divinam sub ratione summi boni, & in secundo intelligere Creaturas possibiles, non intelligendo earum repugnantiam, & in hoc instanti dicuntur Creaturæ productæ ab intellectu divino in esse intelligibili, sivè intellecto, & in tertio instanti Creaturæ sic productæ dicuntur se ipsis habere formaliter, ut sint logicè possibiles, vel impossibiles; possibiles, quatenus in seipsis non recipiunt formaliter repugnantiam ad recipiendum esse, impossibiles verò quatenus præsupponuntur esse principiativè, ab intellectu divino habent postea ex se ipsis formaliter repugnantiam, ut in unum conveniãt, sivè uniantur, ut hyrcocervus est formaliter impossibilis, quia præsupponitur natura hyrci, quæ in esse intentionali dependet ab intellectu divino principiativè, & à voluntate in esse reali habet suam negationem hyrci, & è contra hyrcus habet suam negationem Cervi, & hinc fit, quòd impossibilia principiativè, & mediatè sunt ab intellectu composita, formaliter se ipsis dicuntur impossibilia.

Dico ergo primò, quòd Creaturæ, sint possibiles, vel impossibiles logicè, formaliter non habent ab omnipotentia Dei, potentis producere possibiles, & impossibiles non producere; sed

Creaturæ logicè, & formaliter seipsis sunt possibiles, vel impossibiles; sic Scotus in 1. distinct. 36. quęst. unica, & in 1. dist. 43. quęst. unica lit. B. cõtra Henricum quolib. 6. quæst. 3., & quolib. 8. quæst. 3.

Probatur à Scoto in 1. dist. 36. quæst. vnica, lit. M. si per impossibile nulla esset potentia activa in rerum natura, adhùc essent aliquæ res possibiles possibilitate logica, & impossibiles eadem impossibilitate, ut V. G. quòd homo esset rationalis, & quòd homo esset equus, ergo &c. pr. antecedens; nam adhùc prima propositio, quantùm est de se, non involuit repugnantiam, & secunda maximè involuit repugnantiam, ergo independenter ab omnipotentia Dei Creaturæ sunt possibiles, vel impossibiles formaliter possibilitate, vel impossibilitate logica.

Probatur 2. potentia Dei, quą dicitur omnipotens, non est formaliter intellectus divinus, cũ ex ordine potentiarum, voluntas supponit naturam illius, quia voluntas supponit intellectum, & velle, supponit intelligere, sed res cognitæ à divino intellectu, antequàm ad potentiam activam Dei referantur, habent, quòd sint cognitæ, aut, ut possibiles, aut, ut impossibiles, ergo independenter ab omnipotentia Dei dicuntur; aut possibiles, aut impossibiles; Major patet, nam, quia Deus non agit per intellectum ad extra, priùs res intelligit, quàm eas efficiat; minor est clara; nam priùs Deus per intellectum intelligit hominem esse animal rationale, quàm efficiat hominem animal rationale,

nale, actu existentem in rerum natura, ergo. Confirmatur primò, omnipotentia Dei non dat Creaturis esse, nisi Creaturas producendo in rerum natura, sed Creaturæ ante omnem productionem in rerum natura, & ad extra, habent, quòd non repugnent, vel repugnent produci ad extra, ergo Creaturæ sunt possibiles, vel impossibiles independenter ab omnipotentia; major est, certa quia omnipotentia illa, quā Deus debet agere ad extra, est qua res in esse reali Deus producit; minor probatur, nā priùs homo est ex se possibilis, ut animal rationale, & impossibilis, ut leo, lapis &c. quàm efficiatur actu, ut animal rationale, & non leo, non lapis &c. ergo &c. Confirmatur 2. ex Aristotele 1. post. tex. 3. Ubi affirmatio est causa affirmationis, ibi negatio est causa negationis, & hoc in causis præcisis; ergo si omnipotentia Dei est causa præcisa, quòd res sint possibiles, vel impossibiles, negatio ejusdem omnipotentiæ esset etiam causa præcisa, quòd res non essent possibiles, ergo. quòd Deus non faciat hominem, esset ex eò, quia Deus esset impotens, & non, quia res ex se factibilis non foret, quòd falsissimū est, ergo &c.

Obicies 1. ex Henrico; si aliquod est possibile, certè per aliquam potentiam est possibile, ergo quia in Deo est potentia producendi Creaturas, Creaturæ sunt possibiles, antecedens probatur; nam possibile, & potentia, tamquàm duo correlativa reciprocantur, cum possibile respectu potentiæ sit possibile, & potentia respectu possibi-

lis dicatur potentia, ergo &c. Respondetur, negando antecedens, ad probationem, distinguo antecedens, possibile logicum, nego antecedens, objectivum, concedo antecedens, ergo &c. Nam possibile logicum est potentiale absolutè; & dicitur sic independenter à quacunque potentia productiva ad extra; potentiale verò objectivum, dicitur potentiale relativè, & hoc utique est in ordine ad potentiam Dei, potentis producere, nos non loquimur de potentialitate objectiva, sed logica.

Obicies 2., si potentialia non essent præcisè potentialia per ordinem ad omnipotentiam Dei, ergo essent potentialia per ordinem ad potentiam passivam innitam in ipsis etiam possibilibus; sed hoc est falsum, ergo. Tum quia, sic sequeretur possibile habere aliquòd esse reale ab æterno, scilicèt ad potentiam passivam. Tum, quia, sic sequeretur, quòd potentia passiva antecederet activam, & sic non esset verum illud axioma, quòd cuilibet potentiæ passivæ corrispondet sua potentia activa, ergo. Respondetur, distinguendo Consequens, in ordine ad potentiam passivam logicam, concedo consequentiam, physicam, nego consequentiam, potentia enim passiva physica est aliquod reale, cum sit potentia subjectiva; non verò logica, quæ non est, nisi quædam non repugnantia terminorum, quare non repugnat, quòd potentia passiva logica antecedat potentiam activam, & consequenter, non repugnat, quòd huic potentiæ logicæ non corrispondeat potentia activa, unde illud

axio-

axioma verificatur de potentia passiva physica, & subjectiva.

Obicies 3. authoritate Magistri sent., qui intendens probare Vniversum à Deo potuisse fieri meliùs, docet in 1. dist. 44., quòd meliùs fieret si daretur ei à Deo capacitas ad illud recipiendum, modo sic arguo; ideò aliquod à Deo est factibile, quia datur capacitas à Deo, ut fieri possit, ergo, quòd non est factibile, ideò factibile non est, quia capacitas sibi, ut fieret à Deo non datur, ergo possibilitas desumitur à Deo potente dare capacitatem, ut res sit, ergo ratio prima possibilitatis, & impossibilitatis, desumenda est ex omnipotentia Dei, ergo &c. Respondetur cum Scoto in primo dist. 43. quæst. unica §. ad primum argumentum, ubi habet hæc formalia verba; illa ratio Magistri tenet, supponendo, quòd universum possit esse majoris perfectionis capax, quia tunc meliùs fieret si daretur sibi illa capacitas, quàm si sit sine illa capacitate, ut si esset capax multorum aliorum; absolutè autem nō tenet ratio Magistri, negato isto, scilicèt, quòd potuit meliùs fieri, &c. Hæc Scotus; ex quibus clarè deducitur, quòd authoritas Magistri tenet conditionatè, & ex suppositione, quòd universum sit ex se capax majoris perfectionis logicè, qua capacitate supposita fieret melius, si ipsi à Deo daretur proximè illa capacitas objectivè, non verò tenet absolutè authoritas illa, cum universum fortè negat esse capax majoris perfectionis, saltem spectatis partibus suis essentialibus,

cum sibi ex sua ratione formali repugnet major perfectio essentialis; vel dicendum, quòd authoritas illa Magistri intelligenda est de capacitate objectiva, quæ supponit logicam capacitatem.

Dico 2. Quòd loquendo de possibilitate objectiva, Creaturæ sunt possibiles in ordine ad omnipotentiam Dei, taliter, quòd si per impossibile in Deo non esset omnipotentia, non dicerentur objectivè possibiles, sed solùm materialiter, & fundamentaliter; Ita Scotus in primo dist. 43. quæst. unica; ubi loquens de logica possibilitate, docet, quòd ad possibilitatem logicam, vel impossibilitatem, sequitur possibilitas, seù impossibilitas objectiva; Conclusio habet duas partes.

Probatur prima pars; Nihil dicitur formaliter tale, nisi per propriam formam sibi formaliter inexistentem; sed forma, quæ rem aliquam constituit formaliter in potentia objectiva est respectus ad potentiam activam agentis, ut in 2. notabili diximus, ergo Creaturæ dicũtur in potentia objectiva in ordine ad potentiam activam ipsius Dei, taliter, quòd si per impossibile in Deo non esset potentia activa producendi Creaturas, Creaturæ non essent possibiles objectivè formaliter.

Probatur 2. pars; Nam præcisa potentia activa, adhùc Creaturę essent possibiles formaliter logicè, sed supra possibile formaliter logicum fundatur possibile objectivum, cum, ex dictis, potentia objectiva suum addat respectum supra potentiam logicam, ad activam potentiam agentis

ter;

terminata, ergo remoto tali respectu ad agens, remanet integrum fundamentum potentię objectivæ; quòd esset illud possibile logicum.

Obicies 1. Ex D. Thoma, 1. parte quęst. 25. art. 3., qui, ut interpretratur à Vasquez, & à Suarez, videtur substentare, res possibiles, & impossibiles dici formaliter, & seipsis absolutè tales, & non ab aliquo respectu ad ipsum Deum; Unde sic arguunt; sicut aliquod impossibile est, quia formaliter contradictorium involuit; ita aliquod est possibile, quia nullam contradictionem involuit; sed res omninò seipsis dicuntur impossibiles, V. G., quòd homo sit irrationalis, est impossibile ex propriis terminis, ergo etiam res possibiles sunt, quia repugnantiam ex propriis rationibus non dicunt ergo, &c. Respondetur, distinguendo majorem, in genere causæ formalis, concedo, in genere causæ efficientis, nego, sed distinguo minorem, in genere causæ formalis, concedo, efficientis, nego; nam ex Scoto in primo dist. 43. quæst. unica infra D. formaliter dicuntur res possibiles, vel impossibiles, suis rationibus formalibus, principiativè verò ab intellectu divino, non cognoscente, aut cognoscente rerum repugnantiam; hinc Scotus habet, impossibile, simpliciter includit incompossibilia, quæ ex rationibus suis formalibus sunt incompossibilia, & ab eo sunt principiativè incompossibilia, à quo principiativè habent suas rationes formales; est igitur ibi ille processus, quòd sicut Deus suo intellectu pro-

ducit possibile in esse possibili, ita producit duo entia formaliter utrumque in esse possibili, & illa producta seipsis formaliter sunt incompossibilia, ut non possunt simul esse unum, neque aliquod tertium ex eis. Hanc autem incompossibilitatem, quàm habent formaliter, habent ex se, & principiativè à Deo quodamodo, qui produxit ea, & istam incompossibilitatem istorum, sequitur impossibilitas totius figmenti includentis ea; & ex ista impossibilitate figmenti in se, & ex incompossibilitate partium suarum, sequitur impossibilitas ejus respectu cujuscunque agentis, & hæc Scotus; Quàm doctrinam, sic explico, & magis elucido; Deus ab æterno non cognoscendo repugnantiam hyrci, dum intelligit verum esse hyrci non repugnare, dat illi esse possibile, sic etiam facit, dum non repugnantiam Cervi cognoscit, ergo possibilitas hyrci principiativè est ab intellectu divino, sed ex hoc, quòd intellectus divinus cognoscit naturam hyrci, cognoscit hyrcum non esse cervum, & ex hoc, quòd cognoscit esse verum, non esse hyrcum; hinc postea producendo sua volutate (quæ est ejus omnipotentia) hyrcum, ipsum producit cum negatione cervi, & producendo cervum, producit ipsum cum negatione hyrci, igitur hyrcocervus formaliter est seipso hyrcocervus principiativè verò est à producente hyrcum, & cervum.

Obicies 2. Si Creaturæ sunt possibiles possibilitate objectiva per ordinem ad omnipotentiam

tiam divinam, ergo hyrco cervus, chymera, &c. sunt impossibilia objectivè per ordinem ad omnipotentiam divinam, ergo, quòd chymera sit impossibilis, hoc non provenit ratione sui, sed ratione defectus ipsius Omnipotentis Dei, non potentis illam producere, quòd falsissimum est; prima consequentia probatur, nam si Creaturæ sunt possibiles possibilitate objectiva, per hoc, quòd Deus potest illas producere, ergo chymera, hyrcocervus, &c. sunt impossibiles per hoc, quòd Deus non potest illas producere. Respondetur, distinguendo consequens, principiativè, concedo, formaliter, nego; omne enim impossibile supponit duo possibilia; hyrcocervus, enim est complexus ex hyrco, & cervo, qui sunt termini reales, & possibiles, &, quia, tàm hyrcus, quàm cervus, ex quibus pendet hyrcocervus, dependent in eorum essentiis ab ipso Deo, hinc fit, quòd mediatè, & principiativè impossibiilitas hyrcocervi, etiam à Deo pendet, cum causa causæ, videtur esse causa causati.

QUÆSTIO IV.

An Creaturæ habuerunt esse diminutum à seipsis, vel ab intellectu divino.

SCiendum cum Scoto in primo dist. 36. quæst. unica, quòd esse diminutum, idem est, ac esse cognitum, sivè esse secundùm quid, quæritur modo,

do, an Creaturæ ex seipsis habuerunt ab æterno hoc esse secundùm quid, sivè hoc esse diminutum, & cognitum, vel potius habuerunt ab intellectu divino, & quia certum est, quòd omne esse cognitum à cognitione derivat, hinc etiam fit, quòd esse Creaturæ, tamquàm à forma denominante, fit à cognitione intellectus divini; Idcircò, quòd specialius quæritur; An Creaturæ in actu primo ex se ipsis habeant hoc esse cognitum, hoc est, an formaliter ex se ipsis cognoscibiles, & intelligibiles sint, independenter à quocunque actu intellectus divini.

Dico, quòd Creaturæ ab æterno non habent, quòd ex se ipsis sint formaliter intelligibiles; Ita Scotus in 2.dist.1.quæst.1. lit.A., & quolib.14.art.2. Lichetus ibidem Vulpes tom.1.primæ partis disp.28.art.3., & Scotistæ omnes, contra Patrem Poncium, tom.3. disput.18. concl.5. substinentem esse diminutum non produci per actum divini intellectus.

Probatur 1. Authoritate Scoti, qui in 2.dist. 1.quæst.1.lit.A. habet hæc verba; sequitur secundum instans naturæ, in quo comparatur intellectus, & voluntas divina ad aliud objectum secundarium, & quia in illo instanti objectum illud non est ex se actu intelligibile, sed fit actu intelligibile per intellectum, ideò non habet esse in memoria divina, ut memoria est, sed producitur actu Intelligentiæ in tali esse objecti, sicuti in nobis secundæ intentiones producuntur per intellectum,

& non

& non sunt in memoria, ut memoria est, hæc Scotus, sed illa verba (objectum illud non est ex se actu intelligibile, denotant, quòd Creaturæ ab æterno non habent, quòd ex seipsis sint formalites intelligibiles, ergo. &c.

Probatur authoritate D. Augustini supra Genesim cap. 18. dicentis, quòd Creaturæ erant, & non erant, erant in Dei scientia, & non erant in sui natura; sed si fuissent intelligibiles ex seipsis fuissent in suis naturis; nam intelligentia fundatur supra propriam naturam, & entitatem, ergo cum non fuerint in suis naturis, neque fuerunt in seipsis formaliter intelligibiles.

Probat 3. ratione. Essentia divina ita est primum ens divini intellectus, ut etiam respectu illius sit primum intelligibile, sed si Cræaturæ fuissent ab æterno intelligibiles formaliter ex seipsis, essentia divina non fuisset primò intelligibilis, cum etiam Creaturæ fuissent primò intelligibiles, ergo, &c.

Obicies primò; Esse intelligibile præcedit esse intellectum, ergo Creaturæ primò ex seipsis sunt intelligibiles; & postea ab intellectu divino sunt intellectæ. Respondetur, distinguendo antecedens, esse intelligibile, quòd est passio entis, concedo antecedens, quòd est quasi principium entis, nego antecedens; nam esse intelligibile Creaturæ, quòd recipiunt ab intellectu divino, quatenus intelligenti, non est passio entis, cum ipsæ Creaturæ non supponantur habere aliquod esse, nec essen-

tiæ,

tiæ, nec existentiæ, sed est quasi principium entis, cùm sit principium ipsarum Creaturarum, quæ post, quàm cognitæ sunt dicuntur esse possibiles. Instas, antecedenter ad omnem cognitionem, Creaturæ sunt possibiles, ergo, non dicuntur possibiles post, quàm cognitæ sunt. Respondetur, negando antecedens; Antecedenter enim ad cognitionem divinam, nec dicebantur positivè possibiles, nec positivè impossibiles, sed tantùm fundamentaliter non repugnantes.

Obicies 2. Ex Poncio; Objectum scientiæ speculativæ non fit per illam, sed prius supponitur ipsi scientiæ speculativæ; sed scientia, qua cognovit Deus Creaturas ab æterno, est speculativa, ergo, intellectus divinus non dat Creaturis *illud* esse, quatenus ipsas cognovit. Respondetur, cum Patre Vulpes citato, distinguendo majorem; Objectum primarium, concedo majorem, secundarium, ut sunt Creaturæ, nego majorem. *Instas.* Scotus in primo dist. 36 quæst. unica admittit scientiam speculativam in intellectu divino de aliis à se, ergo intellectus divinus non facit, sed supponit objectum secundarium. Respondetur, concedendo antecedens, & negando consequentiam, & cum dicitur non facit intentionaliter, nego, non facit realiter ad extra, concedo; nam quòd intellectus divinus sit speculativus, non sequitur, quòd ipse non sit causa productiva ad intra, sed solùm ad extra, sicuti est voluntas.

Obicies 3. Prius natura terminatur scientia di-

divina ad objectum primarium, scilicèt ad essentiam divinam, quàm ad secundarium, scilicèt ad Creaturas, sed in illo priori, naturæ habent esse potentiale, saltem remotum, ergo etiam esse intelligibile; Respondetur, concedendo majorem, & distinguendo minorem; habent esse potentiale positivè, nego minorem, negativè, concedo minorem, sed distinguo consequens, habent esse intelligibile, positivè nego; negativè, concedo, in illo enim priori, quo Creaturæ non sunt, non habent esse positivè intelligibiles; Verùm quia non repugnant esse, dicuntur habere intelligibilitatem negativè, idest, non dicunt repugnantiam ad intelligi.

Obicies 4. Si per impossibile Deus careret intellectu, non sequeretur Creaturas non esse possibiles, vel impossibiles, cum dicerentur possibiles objectivè, in ordine ad divinam omnipotentiam, ergo Creaturæ ex seipsis habent intelligibilitatem, quæ consequitur ad illud esse possibile, vel impossibile. Respondetur, cum Patre Vulpes citato distinguendo antecedens, logicè, nego antecedens, objectivè, concedo antecedens; nam casus, qui supponitur est impossibilis, quòd, scilicèt habeat voluntatem, & non habeat intellectum, tamẽ illo admisso, sequitur aliud impossibile, quòd Creaturæ essẽt possibiles possibilitate objectiva, sine possibilitate logica: Instas, est prorsus impossibile, quòd Creaturæ forent possibiles objectivè, non verò logicè ergo, &c. Respondetur, ut dixi,

dixi, quòd ex uno impossibile, sequitur aliud etiam impossibile; Etenim impossibile est Deum esse omnipotentem, & non esse scientem, & tamen hunc casum, admittit Vasquez, ad probandum suum intentum, ergo, etiam hic est dandus, eò magis, quòd non sequitur per locum intrinsecum, non esse possibile objectivè, quòd non est possibile logicè, sicut per Vasquez, non sequitur, Deum non esse omnipotentem, si non esset omnia scientem.

Obicies ultimò; Quando Deus producit Creaturas in esse cognito, sivè intelligibili, vel eas prius intelligit, vel non; si primum, ergo Creaturæ prius intelliguntur, & per consequens sunt prius intelligibiles, quàm producantur, si secundùm, ergo merè naturaliter eas producit; non secùs, ac ignis, ignem producit, quòd repugnat in agente per cognitionem, ergo &c. Respondetur, quòd Deus in eodem instanti, in quo intelligit Creaturas producit, & è contra, in eodem instanti in quo illas producit, secundùm esse diminutum, illas intelligit; quare, nobis imaginandum non est, quòd in hac re duo intercedant actus, scilicèt, alter producendi, & alter intelligendi Creaturas, ac proinde cognoscere; quòd Deus prius intelligat, quàm producat, seù prius producat, quàm intelligat; sed nobis persuadendum, est esse unum actum formalissimè, quo verè, intelligendo, secundum quid producit, & quòd secundùm quid producit, verè intelligit.

QVÆ-

QUÆSTIO V.

An hoc esse diminutum sit ens reale, vel rationis, vel potius medium.

SCiendum, quòd aliud est illud esse, quòd res accipit in anima, ut cognoscitur; & aliud est illud esse, quòd per cognitionem attingitur, tamquàm rei cognitæ non repugnans; nam primum est simpliciter ens rationis, secundùm verò est ens reale potentiale; hinc distinguendum est, illud esse cognitum, quòd res formaliter recipiunt ab intellectu divino cognoscente; ab illo esse cognito, quòd attingitur per cognitionem Dei, & verè cognoscitur eis non repugnare, pænes quòd esse dicuntur in potentia objectiva ipsius Dei, à quo produci possunt; Primum, non esse, absolutè dicitur ens rationis, cum tantum sit extrinseca denominatio, quàm accipit actu res, dum cognoscitur; secundùm dicitur ens reale, quatenus, licèt actu non sit, tamen non repugnat esse.

Sciendum 2., quòd hæ duæ propositiones de rebus, ab æterno cognitis à Deo possunt fieri, scilicèt Creaturæ cognitæ à Deo ab æterno ratione ejus essentiæ, quo formaliter sunt in seipsis, entia rationis appellantur; Creaturæ verò cognitæ ab æterno, ratione ejus, quòd attigitur à scientia Dei, & cognoscitur eis non repugnare sunt entia realia potentialia, quare Creaturæ à Deo cognitæ pos-

possunt dici entia rationis sub uno respectu, & entia realia sub alio respectu, non ita quidem, quòd existentes aliquo modo in seipsis participēt utrūque esse; sed, quatenus acceptæ uno modo, hoc est, dum attinguntur à scientia Dei dicuntur entia realia potentialia; spectatæ verò reduplicativè, quatenus stant sub illa actuali denominatione diminutè entia rationis appellari possunt, his benè intellectis.

Dico, quòd esse cognitum, quòd Creaturæ habent ab æterno in mente divina, non est quid medium, inter ens reale, & rationis, neque per indifferentiam, neque per extremorum participationem; est contra Poncium; colligitur ex Scoto in 1. dist. 29. quæst. unica §. ad istam quæstionem, & dist. 36. quæst. unica, & in 4. dist. 11. quæst. 2.

Probatur à Scoto in primo dist. 29. quæst. unica citato; ubi probat; Principium non dici univocè de principio essentialiter, & notionaliter sumpto, quia principium essentialiter sumptum, dicit relationem rationis, quia non est relatio realis Dei ad Creaturam; principium verò notionaliter acceptum dicit relationem realem, & quia relationi reali, & rationis, non est commune aliquod idem, cum relatio realis sit ens simpliciter, & relatio rationis sit ens secundùm quid, & enti simpliciter, & enti secundùm quid, non est aliquod commune univocum, ideo cōcludit Scotus, quod hoc nomen, principium, non sit quid commune univocum principio notionaliter, & essentialiter acce-

accepto; modo sic applico ad propositum; Principium non est quid commune, sivè medium inter principium notionaliter, & essentialiter sumptum, quia unum dicit relationem rationis, alterum verò realem, ergo in sententia Scoti, hoc esse cognitum non potest esse quid commune, & medium inter ens reale, & rationis.

Probatur 2. Scotus in primo dist. 36. quæst. unica, docet, esse cognitum Creaturarum esse ejusdem rationis cum esse exemplato, & repræsentato; & litera G., docet esse ejusdem rationis cum esse repræsentato Cæsaris in statua, si foret annihilatus, sed esse Homeri, pro ut est in opinione, & esse Cesaris, pro ut est statua, non est quid medium inter ens reale, & rationis, ergo &c. Minor probatur nam esse Homeri, pro ut est in opinione, & esse Cæsaris, pro ut est in statua, sunt pura entia rationis; nam nihil reale Homeri est in opinione, & nihil reale Cæsaris est in statua ergo &c. Confirmatur, nam Scotus dividit ens, in anima, & in ens extra animam, & ens extra animam, postea dividit in ens reale actuale, & in ens reale possibile, ergo remanet, quòd ens in anima non sit reale, sed rationis, ergo cum esse cognitum sit in anima, erit ens rationis, & non medium. Confirmatur 2. nam, ex eodem Scoto in 1. dist. 36. quæst. unica lit. M. habetur Creaturas, secundùm esse cognitum dici non entia, veluti sunt Chymeræ, licèt non afferat, negationem entis eis eodem modo competere; sed Chymeræ, ita sunt non entia, ut nihil de ente reali

participent, ergo Creaturæ, ut cognitæ, ita sunt non entia, ut nihil de ente reali participent.

Probatur 3. Implicat dari aliquod ens, quod formaliter habeat aliquod reale, & rationis aliquod, vel, quòd indifferenter sit inter ens reale, & rationis, ergo implicat, quòd esse cognitum Creaturarum sit medium, vel per participationem, vel per indifferentiam, inter ens reale, & rationis; antecedens, quo ad secundam partem probatur; nam ei, quòd verè est, & ei, quòd fictè est, sivè non verè est, nihil potest dari commune univocum; sed ens reale verè est ens, & rationis verè non est ens, ergo hoc esse cognitum non potest esse quid medium inter ens reale, & rationis.

Obicies 1. Scotus in 1. dist. 36. quæst. unica, lit. A., docet, quòd purum ens rationis, nec producitur, nec produci potest à parte rei; sed Creaturæ Cognitæ, verè possunt produci à parte rei, ergo non possunt dici sub quocumque respectu entia rationis; Respondetur concedendo majorē, & distinguendo minorem, possunt produci secundùm illud esse, quòd per scientiam Dei cognoscuntur illis non repugnare, concedo minorem, secundùm illud esse cognitum reduplicativè, nego minorem, nam secundum hoc esse cognitum reduplicativè acceptum, sunt ejusdem rationis, cum Chymeris. Instas esse cognitum Creaturarum fundatur super possibile; esse cognitum Chymeræ super impossibile, ergo talia esse cognita non sunt ejusdem rationis: Respondetur, negando primam

par-

partem antecedentis, cum primum esse positivè possibile, quòd habent Creaturæ sit à cognitione divini intellectus, ut dictum est. Instat Poncius, esse potentiale Creaturarum fundatur in ipsum Deum, ergo etiam esse impossibile fundatur in ipsum Deum, non potentem producere, quòd est falsum: Respondetur, concedendo totum principiativè, & in genere causæ efficientis, nec non posse producere impossibile arguit defectum; nam, ideo Deus non potest facere Hyrcocervum, quia potest facere Hyrcum, & Cervum, ut se mutuo excludant, immò si posset facere Hyrcocervum, non posset facere Hyrcum, & Cervum, quia ex suis prædicatis essentialibus excludunt hunc compositum (Hyrcocervus) & sic, quia Hircus, & Cervus sunt termini omnipotentiæ divinæ, habent rationem possibilis objectivè, ideò Hyrcocervus habet rationem impossibilis objectivè, quare per potentiam faciendi Hircocervum, non accederet novus terminus potentiæ divinæ, sed redderentur priores termini. Instas Cur Deus non potest facere, ut Hircus non excludat Cervum, & è contra, vel enim est ex parte termini, & repugnantia præcederet omnipotentiam, vel esset ex parte ipsius omnipotentiæ, & sic defectus in ipsa. Respondetur ideò Deum non posse facere, ut Hyrcus non excludat Cervum, quia potest facere Hyrcum, & Cervum, uterque, enim cum sint essentialiter ens completum, excludunt illud incompletum partis per veram compositionem unius, cum alio. Quare,

re, sicut Hyrcus, si non excluderet identitatem cum cervo, Hyrcus non esset Hyrcus, ita si non excluderet compositionem cum Cervo, & cum quolibet alio ente completo, non esset ens completum,& sic remanet dicendum,quòd quia Deus fecit ista tamquàm entia completa, scilicèt Hyrcum,& Cervum,ideò non potest facere,tamquàm unum per se Hyrcum, & cervum.

Obicies 2. Scotus in primo dist. 36. quæst. unica,distinguit ens ratum,seù firmum in id,quòd habet actu tale esse essentiæ, & existentiæ, & in illud, quòd primo distinguitur à figmentis, cui, scilicèt verum essentiæ, & existentiæ non repugnat, ac proinde docet Creaturas hoc posteriori modo habuisse esse ratum ab æterno; stante tali doctrina sic Thomistæ arguunt; Esse cognitum Creaturarum,quòd Creaturæ habent in mente divina ab æterno non est simpliciter ens reale per Scotum, quia non actu habent esse ratum, & firmum,nec esse cognitum est simpliciter ens rationis, quia sic non distinguerentur Creaturæ ab esse,quòd habent Chymeræ, & figmenta, ergo erit quid medium inter ens reale, & rationis. Respondetur admittendo, quòd docet doctor subtilissimus, & distinguendo antecedens, esse cognitum, quòd Creaturæ habent in mente divina, non est ens reale simpliciter, concedo antecedens, esse Creaturarum, quòd attingitur ab intellectu divino illis non repugnare, nego antecedens, nam ut dixi; aliud est loqui de Creaturis cognitis ab æter-

æterno ab ipso Deo, & aliud est loqui de esse cognito Creaturarum, sivè de esse Creaturarum accepto sub cognitione; loquendo, enim de Creaturis cognitis, verum est Scotum docuisse posse dici ex una parte entia realia potentialia, quatenus, scilicèt, verum esse eis non repugnat; & ex alia parte entia rationis, quatenus, scilicèt actualiter solùm dependent ab intellectu; At vero loquendo de esse cognito, ut cognito reduplicativè, Scotus docuit esse ens secundum quid, sivè diminutum, & ejusdem rationis cum esse, quòd habent Chymeræ; Verùm ex hac repugnantia, non non sequitur, quòd possit dari aliquod in se, quòd sit, & non sit, nec ens reale, nec ens rationis, quatenus, scilicèt sunt actualiter sub cognitione divina.

Obicies 3. Enti rationis, verum esse repugnat, sed Creaturis cognitis verum esse reale non repugnat, ergo, &c. Respondetur, concedendo majorem, & distinguendo minorem, specificativè acceptis, concedo minorem; reduplicativè nego minorem, licèt enim Creaturæ cognitæ specificativè possint esse, & dici possint entia realia potentialia, reduplicativè, tamen, quatenus stant sub actuali cognitione, quæ est particula diminuens esse reale, etiam rationis appellautur.

QUÆSTIO VI.

An existentia entis distinguatur ab essentia entis.

SCiendum, cum Scoto in 2. dist. 12. quæst. prima, quòd existentia creata, aliud non dicit, nisi extra sistentiam, & existere, extra causam sistere, nam, quòd existit sistit extra nihil sui, cum antequàm existeret, nihil extra erat, ut cum Scoto in primo dist. 36. probavimus; hic tantum quærimus de existentia transcendenti, pro ut est communis Deo, & Creaturis, ideò.

Sciendum 2. Quòd existentia est illa, ratione cujus res constituitur extra nihil, sic enim, tàm Deus, quàm Creatura per ipsam existentiam constituuntur in rerum natura, hinc essentia, ut communis Deo, & Creaturis exprimi debet per possibil itatem rei, & non repugnantiam ad existendum, in rerum natura extra nihil, modo Deus ipse est possibilis logicè ex Scoto in primo dist. 7. quæst. unica, quatenus constituitur ex prædicatis inter se non repugnantibus, quamvis non sit possibilis objectivè, quia nequit esse terminus alicujus actionis agentis.

Sciendum 3. Quòd circa hoc quæsitum tres extant famosæ sententiæ, prima est Thomistarum, asserentium distingui realiter; secunda Neutralium, asserentium distingui ratione ratiocina-

tæ per intellectum, cum fundamento in re; tertia Scotistarum, asserentium, distingui distinctione formali, mediante inter distinctionem rigorosè realem, & distinctionem rationis; quapropter, supposito, quòd essentia, & existentia possunt quatuor modis ad invicem comparari; primò, quatenus habent esse reale, & subjectivū; secundò, pro ut una habet esse reale, puta existentia, & altera, scilicèt essentia esse objectivū; tertiò, quatenus existentia est realis, & essentia est simpliciter essentia, nec existens, nec non existens, scilicèt, quatenus definitio abstrahit ab existentia, & non existentia rerum, hoc supposito, diversis conclusionibus totam quæstionem disponimus.

Dico primò, quòd essentia realis, & existentia realis, non distinguntur realiter, ita Scotus in primo dist. 36. quæst. unica, & in 2. dist. 1. quæst. 2. §. quantùm ad istum articulum, & in 3. dist. 6. quæst. 2., & in 4. dist. 16. quæst. 1., & Scotistæ omnes contra Thomistas.

Probatur 1. Ex doctrina Scoti in 2. dist. 12. quæst. 2. Absolutum, prius, & distinctum realiter ab alio absoluto, potest Deus conservare, sine suo posteriori; sed essentia est quid absolutum, & prius prioritate naturæ ipsa existentia, & tamen Deus non potest essentiam realiter conservare, sine existentia, ergo essentia non distinguitur realiter ab existentia, major est certa, minor patet; nam Deus, nequit à parte rei producere essentiam, sine existentia, quia omne realiter produ-

ctum, necessariò existit, ergo, &c. Confirmatur; quandocunque aliqua duo sunt realiter distincta, si alterum ab altero separatur, illud, quòd remanet est reale, cum habeat propriam realitatem ab alio distinctam; sed essentia recedente existentia per annihilationem, non remanet realis, cum nihil sit reale, nisi actualiter existat, ergo essentia, & existentia non sunt realiter distincta.

Probatur 2. Ideò Thomistæ dicunt, quòd essentia rei distinguitur realiter ab existentia, quia essentia est indifferens ad existere, & non existere; nam essentia lapidis est in potentia, ut sit, & non sit, & ideò, dicunt, quòd, quādo essentia existit, habet aliquid, per quod existat realiter à se distinctum, quòd non habuit, quando non existebat; sed hoc fundamentum est falsum, ergo, &c. Minor probatur, nam etiam ipsa existentia est indifferens, ut sit, & non sit, immò in sententia illorum, qui ponunt essentias ab æterno, lapis est indifferens, quantùm ad existentiam, non quantùm ad essentiam, ergo existentia ipsa deberet habere aliam existentiam, per quam existeret, si valeret, illud principium Thomistarum, sed hoc est absurdum, ergo, &c. Respondent Thomistæ, disparem esse rationem de essentia, & existentia; nam essentia non est ratio formalis existendi, & ideò, ut sit existens requiritur aliud à se distinctum, realiter, existentia verò est ratio formalis existendi, & ideò non requirit aliam existentiam, sicut unio, non requirit aliam unionem, ut uniatur, sed

se

se ipsa unitur extremis, sicut, etiam relatio, quæ est ratio formalis referendi, seipsa, & non alia relatione refertur: Contra, si posset unio esse indifferens ad uniendum extrema, & relatio posset esse indifferens ad referre sua etrema, nec unio haberet magis rationem formalem uniendi, quàm extrema, nec relatio magis rationem referendi, quàm extrema, ergo semper currit argumentum, quòd si indifferens est essentia, & existentia ad existendum, existentia non minus erit ratio formalis existendi, quàm essentia.

Obicies 1. Ex Thomistis; Participans, realiter distinguitur à participato; sed essentia est participans existentiam, ergo realiter, &c. Minor probatur; nam essentia realis, ratione existentiæ realis est ergo, &c. Respondetur, distinguendo majorem, in genere causæ efficientis, concedo majorem, in genere causæ formalis, nego majorem, sed distinguo minorem, formaliter concedo; effectivè, nego, nam essentia dicitur participans respectu causæ efficientis, à qua suum esse reale, & existens effectivè habet; undè tàm essentia, quàm existentia entis, & dependentis est participans, & causa efficiens, scilicèt Deus, dicitur causa imparticipans, ex quo sequitur, inter Deum, & Creaturam esse distinctionem realem, non verò inter essentiam, & existentiam, à qua essentia formæ, formaliter, & denominativè in genere causæ formalis dicitur existens ergo, &c.

Obicies, ex uno recentiori Thomista. Quòd ha-

habet receptum in essentia, debet habere esse realiter distinctum ab essentia, sed omnis Creatura habet esse receptum in essentia, ergo, &c. Major probatur, nam nihil potest realiter recipi *in seipso*, ergo receptum debet esse realiter distinctum à recipiente; Minor probatur, quælibet Creatura habet suum esse, scilicèt existentiam finitam, & limitatam, sed nisi haberet ipsam receptam in essentia non esset finita, & limitata, ergo, &c. Minor probatur, nam quilibet actus à potentia sua, tamquàm à suo opposito habet, quòd limitetur, ergo si existentia, quæ est actus universalissimus, & perfectissimus totius entis, non habet potentiam in qua limitetur, remanebit illimitata, & infinita ergo, &c. Respondetur, concedendo majorem, & negando minorem; ad probationem, concedo majorem, & nego minorem, ad cujus probationem, distinguo antecedens; habet, quòd simpliciter limitetur, nego antecedens; habet, quòd solùm, secundùm quid limitetur, concedo antecedens; nam, quòd existentia sit limitata, & finita, habet à Deo, à quo dependet in esse, fieri, & conservari, loquendo de limitatione, in genere causæ efficientis; loquendo verò de limitatione in genere causæ formalis. habet à seipsa, quia sua natura est entitas hæc, ideò, & sua natura est tantæ, vel tantæ, & non majoris perfectionis; Hinc dico, quòd esse, seù existere receptum hoc, habetur à Deo, vel à causa efficienti; sic etiam infinitum, & illimitatum esse, est, quod non dicat dependentiam in genere

nere causæ efficientis ab alio; At esse, sivè existere in receptum, dum non recipitur in alio non est existere illimitatũ, & infinitum, sicut, nec realitas est quid illimitatum, ex eò, quòd nõ sit quid receptum, quare ad id, quòd dicitur de limitatione actus à potentia, quòd utique actus habet aliqualem limitationem à potentia, non verò limitationem simpliciter, patet de forma ignis, quæ licèt limitetur à natura ignis ad esse in tali individuo, tamen non limitatur ab illa, sicut habet ab illa non tribuere operationes formæ aquæ, aut operationes formæ hominis competenter; sed hanc limitationem habet à seipsa in genere causæ formali, & à Deo in genere causæ efficientis.

Obicies; Illa non sunt idem realiter, quorum unum potest corrumpi, altero remanente, ex Aristotele 4. metaphysicæ; sed essentia potest remanere corrupta existentia, ergo, &c. Minor probatur, nam existencia rosæ in hyeme corrumpitur, sicut existentia nivis in Estate, & tamen, nec essentia rosæ, nec essentia nivis corrumpitur, aliter, non daretur scientia de Methcorologicis, & physica, non esset perfecta scientia, quòd est falsum, ergo, &c. Respondetur, concedendo majorem, & negando minorem, ad probationem distinguo antecedens; nec essentia rosæ, nec essentia nivis corrumpuntur, quantùm ad esse objectivum, concedo antecedens; quantùm ad esse subjectivum, nego antecedens; ut enim de rosa, & de nive possit dari scientia, sufficit, quod ista sint, quantum

quocunque sibi superaddito, adhùc esset actualis, ergo existentia nullo modo distinguitur ab essentia. Respondetur distinguendo antecedens, præciso quocunque superaddito realiter, concedo antecedens, formaliter, nego antecedens &c. essentia enim Angeli dicitur realis, quando per existentiam ponitur extra causas; præcisa, ergo existentia, quæ est formaliter superaddita essentiæ; essentia Angeli non ampliùs esset realis, ergo &c.

Dico 4. quòd essentia, & existentia realis, distinguntur ex natura rei formaliter. Ita Scotus in 2. dist. 1. quæst. 2. §. quantum ad istud argumentum, & in 3. dist. 6. quæst. 1. est contra Neutericos, & aliquos Scotistas non admittentes talem distinctionem formalem, inter essentiã, & existentiã.

Probatur 1. authoritate Scoti in 3. distin. 6. quæst. 1., ubi docet, in Christo esse plures existentias, sicut in Christo sunt plures essentiæ; scilicèt natura divina increata, & natura humana creata; sed ut advertit Faber Faventinus 29. metaphysicæ, si essentia, & existentia, distinguerentur solùm per intellectum, non esset facienda à Scoto tàm prolissa disputatio, quærens, an natura humana assumpta à Verbo habeat eandem existentiam, &c. Ergo signum est, quòd distinguntur &c.

Probatur 2. Quandocunque sunt aliqua duo, quorum unum variatur ex parte rei, aliud non variatur, illa ex natura rei sunt distincta, & differunt plusquam ratione; sed sic est in casu, ergo &c. Minor probatur, quia essentiæ, & quidditates

tates

tates rerum diversificantur, sicut res ipsæ diversæ sunt inter se; alia enim est quidditas, & essentia hominis, alia Leonis, asini &c. Sed existentia hominis, & Leonis est eadem, quia eorum existentia, est esse extra nihil, seù in rerum natura; sed hæc competit eodem modo entibus positivis, ergo existentia non variatur, nec mutatur in rebus, essentiæ verò, & quidditates rerum positivè variantur, quia alia est quidditas, & essentia hominis realis, quæ per definitionem explicatur, & alia essentia equi, quæ per definitionem explicatur, ergo &c.

Probatur 3. quæcunque se habent, ut actus prior, & actus posterior, distinguntur à parte rei, & non solùm per intellectum, sic est in casu; cum omnis res concipiatur habere essentiam, & postea existentiam, loquendo de prioritate naturæ, ergo essentia, & existentia à parte rei, & non solùm per intellectum distinguntur.

Probatur 4. subjectum, & propria passio distinguntur ex natura rei, & non solùm per intellectum; sed essentia se habet, ut subjectum, & existentia, ut passio, ergo &c. Major supponitur; minor probatur; nam essentia, sivè quidditas rei est entitas, sivè ens; sed inter cæteras passiones ipsius entis sunt potentia, & actus entitativus, ergo cum existentia sit actus entitativus; sequitur, quòd sit passio essentiæ, & sic, quòd ab ea formaliter distinguitur.

Obicies 1. ex Trombetta in sua metaphysica

quæst.

quæst.26.illa, quæ sunt omninò idem, non distinguuntur formaliter;sed esse essentiæ, & esse existentiæ sunt hujusmodi, ergo &c. Minor probatur, quia homo non dicitur esse alterius rationis formalis ut est in potentia,ac ut est in actu, sed actus non addit ad potentiam,nisi existentiam,ergo &c. Confirmatur, quòd distinguitur formaliter ab uno, si addatur illi constituit aliquod formaliter distinctum, sicut patet inductione in omnibus habentibus distinctas formalitates, sed existentia addita essentiæ non constituit aliquod formaliter distinctum, & alterius rationis ab essentia, ergo essentia non distinguitur formaliter ab existentia. Respondetur, concedendo majorem, & negando minorem, ad probationem distinguo majorem, non dicitur esse alterius rationis objectivè, nego majorem; subjectivè, concedo majorem; licèt enim homo in potentia, cum non habeat esse subjectivum, non dicatur esse alterius rationis subjectivè à seipso,quatenus est in actu; dicitur tamen esse alterius rationis objectivè, nam tunc concipitur, ut indifferens ad existentiam, quando postea est in actu,non concipitur, ut indifferens. Respondetur 2. ad Trombetam, quòd non sumus in casu, nos enim loquitur de essentia reali actuali,& de existentia reali actuali, non verò de essentia in potentia objectiva, quæ non est ens, nullamque dicit entitatem à parte rei,& idcircò non videtur esse alterius rationis,sivè entitatis, cum in illo statu rationem, sivè entitatem non habeat; At verò

essen-

essentia realis actualis, cum habeat suam entitatem, ut ratio, quæ est extra nihil, distinguitur formaliter ab existentia, cujus entitas est ratio qua essentia est extra nihil: Ad confirmationem distinguo etiam majorem objectivè, sivè subjectivè, concedo majorem, subjectivè solum, nego majorem; sed distinguo minorem, in esse subjectivè, concedo, objectivè nego, licèt enim existentia actualis hominis non addat ipsi, pro ut est in potentia aliquod subjectivum formaliter distinctum, cum in potentia sit animal rationale, & in actu sit etiam animal rationale; addit tamen aliquòd objectivum formaliter ab ipsa essentia hominis distinctum, quòd est esse ipsiusmet existentiæ, quæ se habet, ut ratio qua, & essentia hominis, ut ratio quæ, ideò benè dixi ad Trombetam, quòd non sumus in casu.

Obicies 2. Scotus in 3. dist. 6. quæst. 1. §. respondeo, docet, quòd essentia, & existentia distinguntur solùm ratione, ergo non distinguntur formaliter, antecedens patet, adducendo verba Scoti, quæ sunt ista; respondeo, quòd in ista quæstione certum est, de esse existentiæ, quòd differt ab essentia in modo concipiendi, quæ sunt in Christo tot talia esse, quot essentiæ, hæc Scotus, ergo &c. Respondeo cum Licheto in 3. dist. 6. quæst. 1. distinguendo antecedens; accepto esse formaliter pro forma, quæ ponit essentiam extra nihil, nego antecedens, accepto esse pro essentia, concedo; nam Lichetus habet hæc verba, quòd essentia dicitur

ab esse, sicut sapientia à sapere;& tunc tale esse, & essentia, tantùm ratione differunt,quia tantùm in modo concipiendi , quia esse accipitur in concreto, essentia verò in abstracto , ut patet de homine, & humanitate,Deo, & Deitate &c. Quæ inter se sola ratione differunt ; hæc Lichetus, & *nihil clarius*,cæterùm, quia alia argumenta pendent ex distinctione formali, de hac distinctione formali , & de illis argumentis; Deo dante in libris Porphirii de distinctione, & identitate, in disputatione de universali metaphysico.

Collige, quòd essentia, non præcedit prioritate durationis existentiam, tum, quia illa , interquæ cadit talis ordo distinguntur realiter ; Tum, quia , quòd est prius duratione alio est singulare, & existens;sed essentia,ut essentia de se non existit, sed abstrahit ab existentia , scilicèt ab existere , & non existere,cum sit indifferens,igitur &c.

Collige 2., quòd existentia , non originatur ab essentia; nam essentia,præcisa ab existentia,non habet esse reale; sed existentia habet esse reale,ergo cum nullum ens reale originetur ab alio , quòd non est ens reale, sequitur, quòd existentia non originatur ab essentia, sed tàm essentia,quàm existentia originatur à Deo.

Collige 3. essentiam præcedere existentiam, ordine naturæ, nam ordo naturæ est inter illa, quorum unum supponit reliquum,sed existentia supponit essentiam , ergo &c.

Collige 4. essentiam præcedere etiam exi-

sten-

stentiam ordine perfectionis, ex Scoto in 2. dist. 3. quæst. 3. ubi differentias existentiarum, ex differentiis existentiarum colligit, & patet; nam ideò homo, simpliciter, & ut sic est perfectior lepore, quia quidditas hominis est perfectior quidditate leporis, & non, quia existentia hominis est perfectior existentia leporis, cum utraque habeat facere essentiam, & quidditatem extra nihil, ergo &c. Item semper res est nobilior suo modo, sed essentia est res, & existentia est modus, ergo &c.

QUÆSTIO VII.

An res possint existere per alienam existentiam.

SCiendum, cum Scoto in 3. dist. 6. quæst. 1. in principio, quòd datur, triplex esse, scilicèt esse essentiæ, esse subsistentiæ, & esse existentiæ actualis; esse essentiæ, est idem, ac essentia, differunt solùm in modo concipiendi, ut homo, & humanitas, ex dictis quæst. præcedenti in responsione ad secundum cum Licheto in 3. dist. 6. quæst. 1. Esse subsistentiæ est esse personale, seù esse incommunicabile, ut quo, & ut quòd; esse existentiæ, est esse actuale, quòd habet entitas, sivè essentia realis, dum ponitur extra nihil, & extra suas causas.

Sciendum 2., quòd esse essentiæ, verum, & reale, non potest ab ejus existentia realiter separari, & distingui, ex dictis cum Scoto quæst. præcedenti, conclusione prima, patet, quia essentia realis

in tali ratione simpliciter, & per se primò constituitur, & ponitur per existentiam, ergo cum existentia sit constitutivum formale realitatis essentiæ, repugnat ab illa realiter distingui; antecedens est certum, cum ante existentiam, essentia nullum habeat esse reale actuale, sed tantùm objectivum, & tunc primò dicitur realis, cum primò existit, sequela etiam patet; nam constitutivum formale simpliciter alicujus rei, præsertim in esse metaphysico, repugnat realiter separari ab eò, quòd constituit, ut patet de rationali, & animali, respectu hominis.

Dico ergo, quòd res non possunt existere per alienam existentiam; ista Scotus in 3. dist. 6. quæst. 1. ubi docet naturam humanam in verbo existere propria existentia; sic Scotistæ omines, & ex Thomistis. Durandus in 2. dist 6 quæst. 1. & ex neutericis Suarez tom. 1. metaphysicæ disput. 13. sess 5. Vasquez part. 1. quæst. 17. contra Thomistas, oppositum tenentes.

Probatur primò, essentia realis, sivè res non distinguitur ab existentia, ut probatum est supra, ergo res nequit existere per alienam existentiam; consequentia sequitur necessario.

Probatur 2., existentia est illa qua unaquæque res habet formaliter, ut sit entitas actualis in rerum natura, & extra nihil, seù extra suas causas, sed nulla res habet, nec habere potest, quòd sit actualis entitas, & actualem entitatem extra suam causam habeat, ergo, nulla res potest existere extra

per

per alienam existentiam; Minor probatur; nam si res non haberet suam actualitatem per aliquod sibi intrinsecum,& proprium;sed per aliud extrinsecum, ergo per se intrinsecè, & formaliter nihil erit, ergo &c.

Probatur 3. Theologicè; Angelus, sivè bonus,sivè malus virtute naturali, intuitivè intueri potest humanitatem Christi, ac totam entitatem actualem ejus, cum sit intra spheram sui adæquati objecti, ergo intuitivè videri potest, id, quo humanitas constituitur in esse entitatis actualis(nam fieri non potest, neque intelligi, ut aliquis videat album, & non albedinem); sed Angelus virtute naturali non potest videre verbum, seù divinitatem unitam humanitati, ergo signum evidens est, humanitatem illam assumptam à verbo non fuisse constitutam in esse actualis entitatis per entitatem increatam, sed per existētiam propriā creatā.

Obicies 1. potest aliqua res subsistere per subsistentiam extrinsecam patet de humanitate assumpta à verbo, ergo potest etiam existere per alienam existentiam; Respondetur, concedendo antecedens,& negando consequentiam;nam subsistentia potest dici enti reali quid extrinsecum, cum præsupponat illud in suo esse constitutum, & ideò fit, quòd possit per suam, & alienam subsistentiam subsistere,existentia verò est quid intrinsecum enti reali,cum ipsum constituat, & ideo repugnat, quòd ens reale existat intrinsecè,& non per suam existentiam.

Obicies 2. De facto humanitas Christi existit existentia Verbi divini, ergo non implicat, quòd res possit existere per alienam existentiam; antecedens probatur, ex D. Damesceno, lib. 3. de fide, cap. 22. ubi habentur hæc verba; humanitas Christi, existit existentia verbi, ergo &c. Respondetur negando antecedens, ad probationem, dico, cum Suarez, quòd illa verba adducta in argumento, non reperiuntur in Damasceno; sed tantum ait ibi, carnem in verbo extitisse, ac personalem cum eo habuisse identitatem, quòd verum est; nam, sivè propriam, sivè alienam habuerit existentiam, semper verificatur, humanitatem in verbo extitisse, hoc est, illi unitam fuisse. Instas. Damascenus, loquendo de humanitate, quòd existit existentia verbi, ut indicant illa verba, immò potius in ipso extitisse, ergo &c. Respondetur, negando antecedens; nam Damascenus dicit, humanitatem extitisse in verbo, non autem extitisse existentia verbi; sicut si nos dicimus accidens existere in subjecto, non per hoc insinuare volumus, quòd accidens existat existentia subjecti; nam existere in aliquo, non est existere per existentiam illius; sed est habere existentiam substentatam ab eo; unde potius ex hoc, quòd humanitas Christi Domini existat in verbo, sequitur ipsam habere propriam existentiam, & addere tantùm habitudinē dependentiæ ad suppositum, à quo substantatur, quàm propria carere existentia; si enim non existeret in eo instanti in aliquo, deberet esse in ver-

bo,

bo, igitur, à verbo non substentaretur ens reale, sed ens potentiale, quòd falsum est. quia humanitas sine sua existentia est ens diminutum, & potentiale ens reale, ut supra visum est. Instas Sophronius in Concilio Generali 6. Synodo act. 11. & 13. loquens de humanitate Christi ait; in illo itaque (idest in verbo), & non in semetipsa habuit existentiam unam, hæc Sophronius, ergo necessario existit in verbo, & existentia verbi divini; Respondetur cum Suarez, Hurtado, Arriaga, & aliis, quòd non formaliter adducuntur à Medina, & ab Alvarez verba Sophronii, quæ sunt ista; in illo, & etiam in se ipsa habuit existentiam veram, quòd admittimus; non verò loquutus, est quòd humanitas Christi habuit propriam existentiam, non in se subsistentem, sed in verbo; vel dicendum cum Mastrio tom. 3. disputatione 1. quæst. 4. art. 2. num. 219., quòd Sophronius non loquitur de toto Christo, quasi dixerit in Christo non esse, nisi unicam existentiam; sed loquitur de sola humanitate, quàm dicit non nisi unicam existentiam, quòd planè certissimum est.

Obicies 3. Si humanitas Christi existeret propria existentia, & non existentia Verbi, Beata Virgo non posset dici Mater Dei, consequens est contra Concilium Ephesinum, cap. 1. ergo, &c. Sequela probatur; nam tota Christi humanitas, secundùm animam, & secundùm corpus præexistit, ita, quòd anima, priùs natura fuit creata, & tota natura humana prius concepta, quàm assume-

retur à Verbo, ergo priùs natura, quàm Deus esset homo, & homo esset Deus, intelligitur absolutum, & completum totum officium Beatæ Virginis concipientis, & generantis, ergo, ejus actio non attingit ipsum Christum Deum, & hominem, sed solùm ejus humanitatem, cum propria existentia, ergo, Beata Virgo appellatur Mater Humanitatis, & non Dei, quod est falsum. Respondetur, negando majorem, ad probationem, concesso antecedenti, negatur consequentia; nam Beata Virgo dicitur Mater Dei, eò quia in eodem instanti temporis, in quo produxit humanitatem in rerum natura existentem, fuit humanitas Verbo unita, quàm, quòd fuit prius natura existens, quàm Verbo unita, hoc parum refert, dummodo non fuerit prius tempore in rerum natura, & postea Verbo unita. Instas, concessa propria existentia ipsi naturæ humanæ, quæ est prior natura ipsa assumptione Verbi; Beata Virgo nullam habuisset actionem circa Deitatem, ergo, nequit dici Mater Dei; consequentia probatur, nam Beata Virgo nullam habuit actionem circa divinitatem, ergo, aliam non habuit, nisi circa humanitatem, sed ista dicit suam entitatem, & existentiam, antequàm sit à Deo assumpta ergo, &c. Respondetur, negando consequentiam, ad probationem, concedo majorem, & distinguo minorem, loquendo de prioritate naturæ, concedo minorem; temporis, nego minorem; nam Beata Virgo potest dici habere actionem circa Deum, quatenus pro-

du-

duxit naturam humanam existentem in illo instanti, in quo unitur Deo; sivè posset dici Mater Dei, quatenus produxit humanitatem, ut terminatam à Verbo divino, sed de hoc alibi.

QUÆSTIO VIII.

An existentia sit de quidditate Dei.

SCiendum, quòd hæc quæstio agitari solet in Theologia, quia tamen hic loquimur de existentia, aliqua circa ipsam dicemus, & supposito, quòd in doctrina Scoti sit problema id, quòd quæritur, cum in primo dist. 2. quæst. 2. videatur dicere existentiam esse de quidditate Dei; Deum esse; esse propositionem per se notam; & in primo dist. 8. quæst. 3., ad argumentum principale; videatur dicere non esse de quidditate, cum doceat, infinitatem, quæ est modus præcedere existentiam, ideo breviter.

Dico, quòd existentia non est de quidditate Dei, sivè ipsius divinæ essentiæ, sic Scotus in primo dist. 8. quæst. 3. ad argumentum principale, & in 4. dist. 12. quæst. 2., & quolib. 6., sic Trombeta 5. metaphysicæ quæst. 6., & in suis formalitatibus Bargius in primo dist. 2. quæst. 2., & alii antiquiores Scotistæ, est contra modernos Scotistas.

Probatur 1. Authoritate; Scotus in primo dist. 8. quæst. 3. citato, docet infinitatem præcedere existentiam, sed infinitas est modus, & modus non

non præcedit id,quòd est de quidditate Dei, ergo existentia non est de quidditate divinæ essentiæ.

Probatur 2. Scotus in 4.dist.12.quæst.2.docet, infinitatem esse medium ad ostendendam existentiam in divinis; sed medium præcedit id respectu cujus est medium, cum habeat rationem causæ,ergo infinitas præcedit existentiam, ergo si infinitas,quæ est intimior Deo,non est de quidditate Dei, sed potius modus intrinsecus ipsius Dei, à fortiori existentia non erit de quidditate Dei, sed potius modus intrinsecus ipsius Dei; Verùm, quia loca ista possunt interpretari de existentia relativa, non vero absoluta; ideo.

Probatur ratione. Quandocunq; duo in suis conceptibus simplicissimis,& abstractissimis,non se formaliter includunt, sic, quòd unum non sit de essentia alterius, illa in nullo uno univocantur formaliter; sed essentia,& existentia in suis conceptibus simplicissimis,& adstractissimis, non se invicem formaliter includunt, ergo, &c. *Major* probatur, quia si conceptus isti non se formaliter includunt, ubicumque isti conceptus manent, secundùm proprias rationes, unum non includit formaliter alium, quia propria ratione manente formali unius, manet eadem identitas,vel diversitas ad alium conceptum; Minor probatur; tum, quia,secundùm esse formale essentia dicit id,quòd est extra nihil; tum, quia Boetius super prædicamenta vult,quòd intantum differt essentia ab existentia, quia prædicamenta fiunt de esse essentiæ

& non

& non de esse existentiæ, alioquin rosa in hyeme, non esset in prædicamento.

Probatur 4. Existentia pro ut dicit id, ratione cujus res constituitur extra nihil est communis, & univoca Deo, & Creaturis, cum participent existentiã, secundum idem nomen, & eandem rationem nomini accommodatam; sed existentia in Creatura non est de essentia, seù quidditate Creaturæ, ergo existentia in Deo non est de quidditate Dei; Major patet, nam tàm Deus dicitur existens, quàm Creatura dicitur existens, item tàm Deus constituitur extra nihil per existentiam, quàm Creatura, ergo, cum Deus, & Creatura in ratione existentiæ conveniant, signum est, existentiam esse univocam Deo, & Creaturis, consequenter.

Obicies pro aliis Scotistis, oppositum sentientibus; Scotus in primo dist. 2. quæst. 2. docet, existentiam Dei immediatissimè compatere essentiæ Dei, & quòd propositio in qua prædicatur, esse, de Deo non est secundi modi, & quòd ad ipsam reducuntur, & resolvuntur cæteræ propositiones de Deo, ergo, cum non pertineat ad secundùm modum, & ad ipsam cæteræ propositiones resolvuntur, non erit modus intrinsecus, sed de quidditate Dei. Tum, quia, quolib. 6. §. restat nunc videre, ait; quòd sicut infinitas intensiva dicit, modum intrinsecum essentiæ, ut essentia; ita æternitas, ut æternitas dicit modum intrinsecum existentiæ, ut existentia, sed si existentia non esset

de

de quidditate Dei non haberet modum, cum ipsa esset modus, ergo, &c. Respondetur ad primum locum Scoti, cum Trombetta, in suis formalitatibus, & cum Bargio, ubi supra, quòd facta comparatione ad prædicata quidditativa, ut sunt proprietates, seù attributa, quæ competunt ipsi Deo, utique existentia competit immediatissimè, cum præsupponatur ad ista attibuta, & in hoc sensu existentia præcedit infinitatem; At verò facta comparatione ad prædicata quidditativa, ut sunt ens, substantia, spiritus, &c. existentia non competit immediatissimè ipsi Deo, cum talia prædicata sint intimiora essentiæ divinæ, quam existentia; Quare, cum dicitur, quòd propositio, in qua prædicatur existentia de Deo, non est secundi modi, dico hoc verum est; sed non licèt inferre ratione formæ, quæ pertinet ad primum, cum detur, tertius, & quartus modus prædicandi; Verùm, quia existentia Dei, non pertinet, nec ad tertium, nec ad quartum, videtur, quòd si non pertinet ad secundum, pertineat ad primum modum dicendi per se, quia non pertinet ad primum gradum perseitatis primi modi dicendi per se; sed potius ad tertium gradum; idcirco dicitur existentia non esse de quidditate Dei, idest non positivè pertinere ad primum gradum perseitatis primi modi dicendi per se; & cum dicitur, ad illam propositionem (Deus est) reliquæ resolvuntur, dico, hoc verum esse de propositionibus exprimentibus prædicata qualitativa, nam quidditatativa pertinent

nent ad primum modum dicendi per se, & ad primum gradum perseitatis; Ad secundum locum Scoti, quolib. 6., dico, quòd aliquod ad diversa comparatum, diversa sortitur nomina, nam corpus comparatum ad animam rationalem sortitur nomen materiæ; comparatum ad materiam primam sortitur nomen formæ; sic etiam existentia comparata ad essentiam potest dici modus intrinsecus; & non quidditativus, comparata verò ad æternitatem, potest dici quidditas ipsius Dei, & ideo non repugnat, quòd habeat æternitatem pro modo intrinseco, &c. Instas; Hæc propositio (Deus est) ex Scoto in primo dist. 2. quæst. 2., est per se nota; sed si existentia non pertineret ad primum modum, & ad primum perseitatis gradum, non esset per se nota, cum per prædicata priora posset demonstrari ergo, &c. Respondetur, cum Bargio citato, distinguo majorem; est per se nota simpliciter, nego majorem, in aliquo genere, concedo, & sic distincta minori, negatur consequentia; nam Bargius habet hæc formalia verba; illa propositio, Deus est, est per se nota, non simpliciter, sed tantùm respectu prædicatorum enunciatorum passionis, vel quasi passionis, hæc ille, & subdit, vel possumus dicere, quòd est per se nota, si teneatur illa opinio, quòd existentia sit de quidditate Dei, & non tenendo aliam viam hæc Bargius; quare in sententia Bargii interpraetantis hunc locum Scoti, hæc propositio, Deus est, est per se nota in ordine ad attributa, misericordiam, ju-

stitiam,

ſtitiam, &c. Non verò in ordine ad prædicata quidditativa, ſcilicèt, ens, ſubſtantia, ſpiritus, &c.

Obicies 2. Si exiſtentia non eſſet de quidditate Dei, poſſet Deus intelligi habere ſuam eſſentiam, ſine exiſtentia, cum poſſit intelligi prius, ſine poſteriori, & eſſentia videtur prior exiſtentia; ſed hoc eſt falſum, nam eſſentia, ſine exiſtentia, nihil eſt, ergo, &c. Reſpondetur diſtinguendo majorem; ſi nullo modo pertineret ad primum modum dicendi per ſe, concedo majorem; ſi aliquo modo pertineret ad primum modum, nego majorem; nam diximus, quòd exiſtentia non eſt de quidditate Dei, in hoc ſenſu, quatenus non pertinet ad primum perſeitatis gradum primi modi, ad quem ipſa exiſtentia, ut modus intrinſecùs pertinere videtur. Reſpondetur 2., diſtinguo majorem; poſſet formaliter intelligi intellectione formali, concedo majorem; realiter intellectione reali, negando majorem, & ſic diſtincta minori, negatur conſequentia.

Obicies 3. Deus eſt ens per eſſentiam, ex Scoto in primo diſt. 8. quæſt. 3., & ut habetur exodi 3., ego ſum, qui ſum; ſed ſi exiſtentia non eſſet de quidditate Dei, non eſſet ens per eſſentiam, ergo, &c. Minor probatur; nam ens per eſſentiam ex Scoto, ubi ſupra, eſt ipſum eſſe infinitum, & non aliquod, cui tantùm conveniat ipſum eſſe, & ideò, ex ſe eſt hoc, eſt, & ex ſe infinitum, hæc Scotus; ſed ſi exiſtentia non eſſet de quidditate Dei, Deus non eſſet ipſum eſſe infinitum; ſed eſſet cui

cui competeret esse infinitum ergo, &c. Respondetur, concedendo majorem, negando minorem, ad probationem, distinguo majorem, cum Bargio in primo dist. 8. quæst. 3. Deus est ens per essentiam, quia existit per se, scilicèt sua quidditate, nego majorem, quia existit ex se, ideft non per aliam formam positivè distinctam, concedo majorem, sed nego minorem, cum sua consequentia; nam substinendo esse modum, dico consequenter distingui formaliter negativè ab eo, cujus est modus, non verò formaliter positivè, ut dictum est supra disputatione 3. quæst. 3.

QUÆSTIO IX.

An ex essentia, & existentia fiat compositio.

SCiendum cum Scoto in primo dist. 8. quæst. 1. quòd compositio est duplex, scilicèt propria, & impropria; compositio propriè dicta, est illa, quæ fit ex rebus realiter distinctis, se habentibus per modum actus, & potentiæ; compositio minus propriè est illa, quæ non fit ex rebus realiter distinctis; sed realitate potentiali, & actuali identificata realiter in eadem re, & distinctis solùm formaliter; prima compositio, quæ physica communiter appellatur, tripliciter fieri potest; primò ex partibus essentialibus materiæ, & formæ; secundò ex partibus quantitativis; tertiò ex substantia, & accidente; secunda compositio,

quæ

quæ metaphysica communiter appellatur, quatruplex est; prima est ex realitate generis, & differentiæ; secunda ex natura communi, & differentia individuali; tertia ex natura, cum sua proprietate; quarta, ex realitate rei, & suo modo intrinseco, & supposito etiam, quòd essentia potest considerari, & in potentia objectiva, & pro ut est in potentia subjectiva.

Dico primò, quòd loquendo de essentia, pro ut est in potentia objectiva, & existentia nulla fit compositio metaphysica vera; sic Scotus in primo dist. 36. quæst. unica §. contra ista in fine, est contra Henricum, & Thomistas.

Probatur essentia in esse objectivo nullam realitatem realem dicit, cum actualiter sit nihil, ergo existentia nullam compositionem metaphysicam cum ea facere potest.

Dices Scotus in primo dist. 8. quæst. 2. docet nullam Creaturam esse simpliciter simplicem, eò, quia dicit entitatem cum privatione, alicujus gradus entitatis, scilicèt est composita ex perfectione, quàm actu habet, & ex perfectione, quàm habere potest, sed perfectio, quàm habere potest est in potentia objectiva, ergo, ex essentia in esse objectivo, & existentia debet fieri aliqua compositio, consequenter &c. Respondetur, concedendo majorem, & minorem, & distinguendo consequens, fit aliqua compositio vera ex extremis positivis nego consequentiam, largo modo, & ex extremis, quorum unum est positivum, & alterum privativum,

tivum, concedo consequentiam; Scotus enim, & nos cum ipso negamus, ex existentia, & essentia in esse objectivo fieri aliquam compositionem, tamquàm ex extremis positivis, contra Henricum, qui putabat, essentiam ab æterno esse quid, & positivum, ergo &c.

Dicimus 2., quòd ex essentia, & ejus existentia fit aliqua compositio, saltem modalis; Colligitur ex Scoto in 1.dist.8. quæst. 2., & 3., estque Fabri 9. metaphysicæ in fine.

Probatur. Ad compositionem metaphysicam modalem sufficit, quòd unum concipiatur, & obiciatur nobis, tamquam effectus, aliud, tamquàm efficiens; sed in casu essentia concipitur, ut effecta ab existentia, & existentia concipitur, ut efficiens essentiam, ergo &c.

Probatur 2. In essentia actuali duo nobis obiciuntur, scilicèt ipsa essentia, quæ est existens, & ipsa existentia, qua formaliter constituitur existens, ergo obicitur nobis, ut quid compositum, & non simplex, ergo &c.

Obicies 1. Ad compositionem, requiritur, quòd extrema mutuò se excludant; sed essentia, & existentia non possunt se mutuò excludere, ergo &c. Minor probatur; nam si se mutuò excluderent, non essent amplius entia, ergo. Respondetur, distinguendo majorem, ut se excludant in eo genere in quo componunt, concedo majorem, simpliciter, nego majorem; sed distinguo minorem, non se excludunt modaliter formaliter, nego mi-

 no-

norem, realiter, concedo minorem, ergo negatur consequentia, cum exclusione enim formali, stat inclusio realis, & ideò non fit, quòd existentia non sit ens, & essentia non sit existens, ergo &c.

Obicies 2. Si essentia, & existentia facerent compositionem, ergo cum in Deo sit essentia, & existentia, Deus esset aliquo modo compositus, quòd est falsum, ergo &c. Respondetur, ut dictum est disput. 3. quæst. 1., quòd benè facerent compositionem, quando non cosiderarentur, ut infinita, ut sunt in Deo. Respondetur 2., in sententia illorum, qui dicunt existentiam esse de quidditate Dei, distinguendo antecedens, faciunt compositionem in eo, in quo sunt formaliter distincta, concedo antecedens, in quo non sunt formaliter distincta, nego antecedens; nam supposito, quòd existentia sit de quidditate Dei, non distinguitur ab essentia; sed melior est prima responsio.

QUÆSTIO X.

Quibus rebus competat propria existentia.

SCiendum, quòd aliæ res sunt absolutæ, & aliæ relativæ, aliæ completæ, & aliæ incompletæ, aliæ substantiales, & aliæ accidentales, aliæ singulares, & aliæ communes; aliæ, quæ dicuntur verè res, & aliæ, quæ dicuntur realitates, modi, & passiones rerum; Quæritur in præsenti, an singulis istis rebus singulæ correspondeant existentiæ, an verò

verò res partiales tantùm verò existant existentia totius; naturæ communes existentia singularium; modi,& passiones existentiis suorum modificatorum,relationes existentiis sui fundamenti, & termini, &c.

Dico primò, quòd singulis rebus, singulæ correspondent existentiæ,eo modo, quo partiales essentiæ, sivè formalitates ipsis conveniunt: sic Scotus in 2.dist.12.quæst.2., & in 3.dist.6. quæst. 1.,& in 4.dist.11. quæst.3. §. ad rationes, & quolib.3.contra Thomistas,& Neutericos, negantes à parte rei naturam communẽ,& consequenter &c.

Probatur;res quæ habent esse extra causas, sivè extra nihil, habent existentias, cujus munus est facere rem extra causas, sivè extra nihil, ergo omnes res,quæ habent esse proprium extra causas, sivè extra nihil, proprias habent existentias; sed omnes res supra enumeratæ habent proprium esse extra nihil, cum sint à parte rei, & distinctæ ad invicem,ergo omnes res supra enumeratæ habent propriam existentiam. Verùm, quia specialiter difficultas esse potest de naturis communibus, tàm substantialibus,quàm accidentalibus,de realitatibus,modis,& proprietatibus,idcirco sub diversis conclusionibus,quęsitum hoc evacuabitur.

Dico 2., quòd naturæ communes, tàm substantiales, quàm accidentales habent proprias existentias;est Scoti in 2.dist.3.quæst.3. ubi docet naturam communem habere existentiam in individuis &c.

Probatur, naturæ communes sunt entitates reales positivè distinctæ ab entitatibus singularium, ergo cum existentia sit modus, sivè passio entis realis positivi, sequitur naturas communes propriis gaudere existentiis; antecedens probatur, nam magis distinguitur à parte rei, hic *homo*, & hic æqvus, quàm, hic homo, & hic homo, sed talis major distinctio non potest attendi, nisi penes naturam specificam, & communem, ergo signum est naturas communes esse entitates reales, & positivè distinctas ab entitatibus, ergo naturæ communes habent diversas existentias ab existẽtiis singularium; consequentia probatur; tum, quia existentia est passio modalis consequens naturam entis realis positivi, undè ad diversam entitatem realem, sequitur diversitas existentiæ realis. Tum, quia existentia non est nisi actus essentiæ, ergo cum naturæ communes, ut distinctæ à singularibus sint actuales, sequitur proprias habere existentias; confirmatur, nam supposita *distinctione* formali graduum superiorum ab inferioribus, actu in Petro datur gradus animalis, & gradus rationalis, ergo verè isti gradus communes habent proprias existentias, cum actu habeant entitates formaliter distinctas.

Obicies; si in Petro sunt plures existentiæ reales, ergo Petrus non esset unus ens reale, consequentia probatur, existentia realis facit ens reale, ergo plures existentiæ reales, plura entia realia; sed Petrus, V.G. haberet plures existentias reales, ergo

ergo &c. Respondetur, distinguendo primum consequens, essent plures existentiæ reales formaliter, concedo, realiter, nego; nam plures existentiæ rerum faciunt plures res, sivè plura entia, quæ non identificantur realiter, non verò, quæ distinguntur formaliter, & identificantur realiter, ut sunt existentiæ illarum rerum, quæ formaliter distinguntur, & realiter identificantur.

Obicies 2., ex duobus entibus in actu, non fit unum per se, ergo si essent plures existentiæ in Petro formaliter, Petrus non esset unum per se, ergo &c. Respondetur, distinguendo antecedens, ex pluribus entibus in actu completis, non fit vnum per se, concedo antecedens, incompletis, nego antecedens; nam istæ existentiæ, & c. metaphysicè essent completæ, physicè tamen essent incompletæ, ut considerantur ad faciendum hunc hominem singularem; Respondetur 2. concedendo antecedens, & negando consequentiam; nam in casu se haberent, ut entitates formaliter distinctæ, non verò, ut entia incompleta, quare, à Scotistis, isti gradus solent appellari realitates, non res. Respondetur 3., distinguendo antecedens, ex duobus entibus in actu, concurrentibus solùm per modum actus, concedo antecedens, unum per modum actus, & alterum per modum potentiæ, nego antecedens, ergo &c. Nam essentia naturæ communis concurrit per modum rei determinabilis, & sic per modum potentiæ, existentia rei singularis per modum determinantis, & per modū actus, ergo &c.

Dico 3., quòd relationes, tàm Creatæ, quàm increatæ habent proprias existentias distinctas ab existentiis fundamenti, & termini: est Scoti in 1. dist.35.quæst.unica, & quolib.4. art. 3. contra P. Vulpem, disp.6.de Trin.art.ultimo.

Probatur. Tàm in Creatis, quàm in divinis, relationes habent distinctum esse actuale ab eorũ fundamentis, & terminis, ergo habent quoque distinctas existentias; antecedens est certum, quia ex Scoto in 2.dist.1.quæst.5., & in 3.dist.1.quæst.1., & in 4.dist.12.quæst.1. relationes dicunt quid superadditum fundamento, & termino; consequentia patet; tum, quia existentiæ identificantur realiter cum essentiis; tum, quia proportionari debent suis essentiis, ergo cum essentiæ relationum sint reales, sivè, ut quo, etiam existentiæ non possunt esse, nisi relativæ, ut quo, ergo non possunt existere existentiis, quibus existunt fundamenta, & termini, quæ sint entia absoluta; absoluta est etiam eorum existentia &c.

Probatur 2., specialiter de relationibus; Personæ divinæ actu distinguuntur ad invicem, sed non distinguuntur pænes existentiam absolutam divinæ essentiæ, cum hæc sit communis, ergo distinguuntur pænes proprias, & peculiares existentias, tum, quia, si personæ divinæ non existerent existentiis relativis, sed existentia absoluta, non existerent relativè, nam ex Scoto in 2.dist.3.quæst. 6 qualis est existentia in se, tale existere dat cuicunque existenti per ipsam &c.

Di-

Dices, relationes nō sunt formaliter, & quidditativè ens, sed aliquitates entis, ergo carent propria existentia. Respondetur, concedendo antecedens, & negando consequentiam; nam eo modo, quo sunt entia, eo modo habent suam existentiā; undè enti completo, perfecto, & totali correspondet existentia completa, & totalis, enti autem imperfecto, & partiali correspondet existentia imperfecta, & partialis.

Dico 4. quòd modi, proprietates, attributa &c. Quatenus seinvicem sunt formaliter distincta, habent etiam suo modo proprias existentias, colligitur ex Scoto ubi supra lit. C.

Probatur modi, proprietates, & attributa, licet existant radicaliter, atque totaliter existentia illorum subjectorum, quorum sunt modi, adhùc distinguuntur formaliter ab illis, ergo sunt actu, ergo habêt proprias existētias, antecedēs probatur; nam modi &c. Habent actu entitates, quæ non sunt entitates rerum, quas modificant, & afficiunt, ergo juxta entitates habent propriam existētiam.

Obicies, ex Scoto in 3. dist. 6. quæst. 1. pars integralis, V G. pes habet entitatem realem distinctam ab entitate totius, & tamen non existit existentia propria, ergo licèt modi, &c. habeant entitates distinctas ab entitatibus rerum, quorum sunt modi, tamen existere debent existentia rerum, & non propria, &c. Respondetur, cum eodem Scoto, distinguo antecedens, non existit mediante existentia propria, & totali, concedo ante-

cedens,non existit immediatè,nego; nam dici potest, quòd quælibet pars in toto existat existentia totius, & per existentiam propriam, diverso tamen modo; nam per existentiam totius existit mediatè, & inadæquatè; per existentiam verò propriam existit adæquatè, & immediatè; Hinc Scotus ibi habet, hæc formalia verba; Existentia pedis,non est alia,ab illa,qua existit,sed tamen est aliqua existentia partialis in illa, qua existit.

Dices modi, &c. semper sunt in eorum subjectis, ergo illorum existentiis existunt. Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam; nam accidens de facto semper est in subjecto substantiali, & tamen propria existentia existit,undè Scotus,ibi, ait; Existentia pedis mei, non est existentia mei, licèt sit in me, quia ego non sum pes,hæc Scotus, ergo, quando aliquod habet entitatem actualem distinctam ab aliquo, non existit existentia illius.

Dices,modi, &c., non sunt termini rigorosæ entitatis, cum non sint formaliter entia, ergo non possunt habere proprias existentias; Respondetur, distinguo antecedens; non immediatè, & ut quòd,concedo, mediatè, & ut quo, nego antecedens; nam quando habent essentiam habent existentiam.

QUÆSTIO XI.

An subsistentia sit quid positivum; an pura negatio.

Sciendum, quòd nomine subsistentiæ Scotus intelligit motum substantialem, per quem natura est independens ab alio, tamquàm à subjecto inhæsionis, sicut per inhærentiam intelligit motum quendam, per quem accidens dicitur inhærere suo subjecto.

Sciendum, quòd tàm subsistentia, quàm inhærentia possunt sumi dupliciter, scilicèt radicaliter, & formaliter; subsistentia sumpta radicaliter, est ipsa substantia apta subsistere, & inhærentia sumpta radicaliter est ipsum accidens aptum inhærere. Subsistentia verò sumpta formaliter, sicut etiam, & ipsa inhærentia, aliud non sunt nisi ipsum exercitium subsistendi, & inhærendi, undè, quando ens dividitur in ens per se, & in ens in alio, perseitas, & inhaleitas, debent accipi radicaliter, non formaliter, ita, quòd sensus divisionis erit, ens dividitur in entitatem substantialem, exigitivam subsistentiæ, & in entitatem accidentalem exigitivam inhærentiæ.

Sciendum 3. Quòd sensus quæsiti est, an, quòd substantia non sit in alio, tamquàm in subjecto, lii non esse in alio, tamquàm in subjecto sit pura negatio in substantia; an verò sit aliquod posi-

positivum, ratione cujus ipsa substantia dicatur non esse in alio, tamquàm in subjecto, eo modo, quo albedo est aliquod positivum in pariete, ratione cujus paries est albus.

Sciendum 4. Cum Scoto in 1. dist. 2. quæst. 2., quòd, sicut communicabile duplex est, ut quo, & ut quòd; communicabile, ut quo, est quo aliquod est tale, seù est illud, quòd est ratio essendi alteri, & sic formæ essentiales, & accidentales dicuntur esse communicabiles, ut quo; nam animatum, anima est animatum, & homo humanitate est homo, album, albedine; est album; communicabile, ut quòd, est illud, quòd prædicans de aliquo, prædicatur, tamquàm superius de suo inferiori, ut animal respectu hominis; Homo respectu Petri, Pauli, &c., sic pariter, & incommunicabile duplex est, scilicèt, ut quo, &, ut quòd, incommunicabile, ut quo est illud, quòd non potest esse ratio essendi alteri, quia non potest ipsum informare, & sic quodlibet suppositum, sivè divinum, sivè Angelicum, sivè humanum, sivè quodlibet substantiale est hujusmodi, incommunicabile, ut quòd, est illud, quòd non potest de pluribus prædicari, & sic est quodlibet suppositum.

Sciendum 5. Quòd subsistentia propriissimè sumpta, sic definitur, est negatio dependentiæ ab alio, tamquàm à subjecto, & convenit substantiæ completæ, & si substantia est intellectualis appellatur personalitas si verò substantia non est intellectualis, appellatur suppositalitas, undè valdè notandi

tandi

tandi sunt isti termini in doctrina Scoti, scilicet dependentia, & communicabilitas, quia idem sunt; nam ambo conjunctionem, & communicationem ad aliud important; sic etiam, & isti duo termini, independentia, & incommunicabilitas, pænitus idem sunt, cum significent negationem talis conjunctionis, & communicationis; Quapropter in hac celebri quæstione problematicè procedo.

Dico primò, quòd subsistentia, quæ est, vel personæ, vel suppositi, non superaddit ad naturam singularem duplicem tantùm negationem duplicis dependentiæ actualis, & aptitudinalis, per quàm in esse personali, & suppositi constituatur, sed aliquod positivum formaliter, connotativè verò, & consecutivè, duplicem negationem in natura creata, in increata verò triplicem negationem. Ita Scotus infra citandus.

Probatur 1. Ex Scoto in primo dist 23., 25., 26., & 28., & in 3. dist. 1. quæst. 1., & quolib. 19. habetur, quòd personalitas, seù subsistentia divina est entitas positiva, ergo pariter personalitas, seù subsistentia creata, constituitur per positivum; & non per solam negationem; consequentia sequitur, cum eadem ratio currit in utraque personalitate, seù subsistentia. Respondet Bargius in primo dist. 33. quæst. unica, negando consequentiam; nam, ideò subsistentia, seù personalitas divina, præter negationem dicit positivum, quia illa cum sit triplex negatio dependentiæ actualis, aptitudinalis,

nalis,

nalis, & potentialis, est negatio simpliciter; quæ semper supponit positivum; negatio verò in subsistentia creata, cum sit tantùm duplex, actualis, & aptitudinalis, est negatio secundùm quid; adeoq;est de se incommunicabilis, independenter à positivo; contra, si id de quo magis videtur in esse, & non inest, ergo, & de quo minus, per locum Topicum; sed magis videtur in esse, quòd negatio triplex dicta à Bargio, simpliciter sit per se incommunicabis, quàm duplex, dicta secundùm quid, ab eodem, ergo, si prior non est per se incommunicabilis, sed dependenter à positivo, multò magis inerit negationi secundùm quid.

Probatur 2. Subsistentia, seù ratio suppositi, vel personæ in natura creata, est maxima perfectio; sed simplex negatio, nequit esse perfectio, cum in se nihil sit, ergo, natura, non sit suppositum, vel persona per solam negationem; Major patet ex Aristotele, vocante primam substantiam completam, maximè substantiam, consequenter est perfectior substantia; sed illa est persona, ergo ratio personæ non constituitur in suo esse per illam duplicem negationem dependentiæ, scilicèt actualis, & aptitudinalis; Minor patet; nam supradixi in expofit. text. in 3. metaphysicæ conclu. 10., quòd negatio nullam dicit perfectionem ergo, &c. Respondet Aureolus, quòd ratio subsistentiæ consistens formaliter in negatione, est maxima perfectio, ratione fundamenti, scilicèt naturæ singularis, in qua est; contra, quia natura singularis,

tunc

tunc non est maximè perfecta; Etenim in illo statu adhùc dependet, & postulat compleri in genere subsistentiæ, ergo, seipsa, ut sic non potest esse maximè substantia, sed fit talis formaliter; & fundamētaliter per illud, quo cōpletur in genere personæ, nemo enim dare potest, quòd in se nō habet.

Obicies 1. Omnis entitas positiva creata est in potentia obedientiali ad Deum, ergo, nulla datur entitas in natura, quæ non sit assumptibilis à Verbo divino, sed cum natura humana, præter ipsam, non fuit positivum aliquod assumptum, ergo, non datur positivum præter naturam; Antecedens patet, cum omnis res creata sit participata, dependens, & perfecta subjecto Deo Creatori; consequentia deducitur, quia non aliunde à Theologis probatur possibilitas Misterii Incarnationis, ex parte naturæ assumptæ; nisi ratione potentiæ obedientialis, quàm habet ad Deum; Respondetur, distinguendo antecedens; omnis entitas positiva creata est in potentia obedientiali ad Deum, vel per Creationem, vel per conservationem, & annihilationem, quatenùs Deus his modis potest facere de qualibet re positiva quidquid vult, concedo antecedens; est in potentia obedientiali per assumptionem in unitate suppositi, nego antecedens, cum sua consequentia; Quia tale positivum personæ, non est sub hac ratione in potentia obedientiali ad Deum, repugnantia orta ab intrinseco ipsius, eo, quia ei formaliter repugnat assumi; Contra; ex D. Damasceno, libro

1. de

1. de fide, cap. 6. Deus assumpsit in homine totum, quòd plantaverat, sed omne positivum plantavit in homine, ergo, &c. Respondetur, distinguendo authoritatem Damasceni, assumpsit totum, quòd plantaverat in homine, faciens ad perfectionem formalem; vel realem naturæ, concedo, ad perfectionem personalem, nego; Personalitas enim, licèt effectivè sit à Deo in homine plantata, non tamen pertinet ad dictam perfectionem, sed potius ad personalem, & affert exemplum Damascenus, quia, cum de fide sit Verbum assumpsisse naturam, & non personam, signum est ipsium non assumpsisse totum, quòd plantaverat in homine, sed solùm, quòd faciebat ad perfectionem, & integritatem naturæ.

Obicies 2. Si hoc dici posset, sequeretur primò, quòd natura humana Christi careret aliqua perfectione illi maximè connaturali, qualis foret ista realitas positiva, & sic Christus non esset perfectus, & integer homo, nec similis nobis in humanitate per omnia, excepta sorde peccati, ut volunt Concilia, & Sancti Patres; sequeretur 2. quòd illa natura in Christo, ex quo esset privata tali entitate positiva ad quàm naturaliter inclinatur, tamquàm ad propriam, & ultimam perfectionem, sequeretur inquam, quòd violenter talis natura maneret in Verbo, non secus ac lapis, ex quo naturaliter tendit deorsum, non nisi violenter detinetur sursum. Respondetur, distinguendo antecedens, careret aliqua perfectione sibi connatura-

li,

li, pertinente ad ejus perfectionem formalem, vel realem, nego antecedens, pertinente ad perfectionem personalem, concedo antecedens; hoc tamen nihil detrahit ipsi naturæ, quin perfectissimè maneat in Verbo, quia vice illius affecta est subsistentia increata, longè nobilior, quàm sua propria, & cum dicitur, ergo, Christus non est similis nobis in humanitate per omnia, pertinentia ad rationem personæ, concedo, pertinentia ad rationem naturæ, nego; secunda sequela, negatur, ex duplici capite, primo, quia ad talem personalitatem extrinsecam divinam, natura humana extò non dicat naturalem inclinationem, dicit tamen non repugnantiam, ratione potentiæ obedientialis, quàm tota natura habet ad Deum suum principium, ut possit Deus de illa facere quidquid vult in possibilibus, & sic licèt personalitas divina inesset illi præter naturam, non tamen contra naturam, cum sit in eodem genere subsistentiæ; secundò responderi potest cum Licheto, quòd citra præjudicium Scoti, dici, & substentari posset, naturam humanam esse pariter inclinatam ad subsistentiam divinam, tamquàm ad perfectissimam in genere subsistentiæ, & sic non sequitur, quòd ex quo privatur subsistentia propria, manere in Verbo violenter, cum natura ex se quærat subsistentiam, & quo magis est perfectior subsistentia, eò magis ad illam inclinatur naturaliter, cum inclinatio est ad bonum. Instabis, si naturà humana naturaliter inclinaretur ad suppositum
di-

divinum, ergo, tale suppositum esset illi connaturale, adeòque tolleretur miraculum, quo dicitur omnipotentiam divinam unisse naturam creatam personalitati divinæ. Respondetur, negando utramque sequelam, quia, quamvis natura creata haberet talem aptitudinem,& inclinationem,non tamen esset illi connaturalis divina personalitas; sicut eadem natura ex quo naturaliter inclinatur ad claram visionem Dei,non sequitur, quòd dicta visio possit illi fieri connaturalis, quia non egrederetur à principiis ejus naturalibus, sicut est illud, quòd est alicui connaturale, ex Scoto quæst. 1. prologi; verùm esset illi præter naturam, nec tollitur miraculum; immò magis confirmatur, & ostenditur in eo, quòd talis potentia naturalis passiva, quæ à nullo agente naturali poterat reduci ad actum,reducta sit à Deo immediatè.

Obicies, si persona præter negationem diceret aliquam entitatem positivam; hæc vel esset substantia, vel accidens; non primum, cum substantia ex Aristotele primo de anima, sufficienter dividatur,in materiam, formam, & compositum; non secundùm, cum repugnet substantiæ poni in ultima actualitate per accidens, ergo personalitas creata præter negationem, nullum positivum dicere potest. Respondetur; talem entitatem positivam non esse formaliter substantiam,nec formaliter contineri sub aliquo dictorum membrorum; sed dici modum substãtialem realem totius compositi; nec mirum si Aristoteles de ea mentionem non fecerit,quia non novit. Di-

Dico 2., quòd sententia tenens, subsistentiam non addere supra naturam quid positivum, sed solam duplicem negationem; est universalis inter Scotistas,& hanc magis probat Scotus in 3. dist. 1. quæst. prima,& quolib. 19., & in aliis locis citatus; est contra Thomistas.

Probatur primò; non sunt multiplicanda entia sine necessitate, sed adæquatè, & sufficienter potest compleri natura substantialis creata in genere subsistentiæ, idest suppositi, vel personæ, per illam duplicem negationem immediatè sequentē naturam, hoc ipso, quòd non prævenitur extrinsecè, ergo per illam negationem subsistit; Minor probatur, hæc est differentia inter negationem secundùm quid, & negationem simpliciter; quòd negatio simpliciter, cum sit triplex negatio, actualis, aptitudinalis, & potentialis, non solùm dicit physicam impossibilitatem; sed, & logicam, semper supponit positivum, quæ negatio simpliciter tribuitur naturæ divinę solùm, cum tàm physicè, quàm, logicè repugnat ipsam alienò supposito communicari; negatio verò, secundùm quid, cum sit duplex, actualis, & aptitudinalis, dicit tantùm physicam impossibilitatem, non logicam, & ideò immediatè inest rei absque alio positivo præsupposito, ergo ut ponatur differentia inter negationem simpliciter, & negationem secundùm quid, dicendum, quod negatio simpliciter supponat positivum, negatio verò secundùm quid nullum positivum supponat, sed adæquatè compleat na-

turam singularem in genere suppositi, vel personæ.

Probatur 2., quotiescunque dantur aliqua duo, ita inter se se habentia, quòd uno posito, ponatur, & reliquum, & illo remoto, removeatur, & ipsum, necessariò dicendum est, illud esse causam istius; sed ista duplex negatio, & suppositum, vel persona, sic se habent, ergo necessariò dicendum, quòd illa negatio sit causa suppositi; minor probatur; nam positis talibus negationibus, ut quò, aut quòd negatio actualis, & aptitudinalis dependentiæ in aliqua natura substantiali, statim habemus suppositum creatum; & ipsis amotis, vel una illarum per positionem affirmationis oppositæ, in aliqua substantiali natura, statim tollitur ratio suppositi creati, ergo subsistentia in negatione consistit.

Obicies primò; accidens dependet ultimatè ad suppositum substantiæ, ergo constituitur in esse suppositi per aliquam entitatem positivam; consequentia probatur; quia terminus dependentiæ realis positivè, debet etiam esse realis positivus, alias effectus excederet suam causam, ergo. Respondetur, cum Scoto, quolib. 19. quod ultimatè terminare duo dicit, scilicèt terminare absolutè, & terminare sic, quòd nihil ulteriùs terminet; terminare primo modo est utique per entitatem positivam; non verò secundo modo, sed benè potest esse aliqua negatio, unde suppositum substantiæ immediatè, & absolutè terminat dependentiā accidentis per suam naturam substantialem singula-

gularem, quòd verò terminet ultimatè convenit sibi per illam duplicem negationem, qua in esse suppositi constituitur.

Obicies. Natura non inclinatur ad illam duplicem negationem; sed tantùm ad per se standum, ad quòd per se stare consequitur duplex negatio, ergo natura antecedenter ad negationem est suppositum, vel persona, consequentia patet, quia antecedenter ad illam duplicem negationem natura est per se existens. Respondetur, quòd in illo priori concipitur natura tantùm existens, non autem, ut per se existens; sed potiùs ut sic est in statu potentiali,& indifferenti, ad existendum in alio,& in se, vel per se, & ideò cum concipitur per se, & in se existens, necessariò imbibit etiam in eodem instanti duplicem illam negationem.


Ad rationes allatas, pro positivo subsistinendo hanc secundam conclusionem, ut in via Scoti magis veram pro negativo, potest ad illas responderi,& ad primam, nego paritatem; nam dispar est casus hic, & ibi; nam personalitas increata constituitur per positivum, cum intrinsecè dicat, & physicam, & logicam repugnantiam ad posse alteri communicari, ut quo; personalitas verò creata, licèt dicat physicam repugnantiam, non tamen logicam impossibilitatem ad communicari extrinsecè,& ideò, ut distinguatur, à negatione simpliciter, potest se sola constituere naturam in ratione subsistentiæ,& personæ, absque alio positivo super addito. Ad replicam. Quòd magis vide-

sur &c. Dico, quòd negatio triplex, dicta simpliciter insit suo subjecto per positivum, quia *illa secum* fert logicam impossibilitatem, quæ est repugnantia ex natura rei; & per consequens necessariò debet inesse ratione positivi, cui logicè implicet communicari, & dependere ad aliud; Ad secundam probationem dico, quòd est vera major, sumpta negatione præcisa, & absolutè; non verò, ut superaddita substantiæ singulari, quæ negatio non est ens rationis, sed ens reale pertinens ad primam intentionem, eò quòd insequitur ex natura rei naturam singularem existentem, hoc ipso quòd non prævenitur extrinsecè; sortes, enim, sicut verè, & realiter est homo, sic etiam realiter est non lapis, ut clare exposui supra 4. metaphysicæ conclusione, 9. & 10. Et cum instatur, quòd prima substantia dicitur maxima substantia; dico, quòd totum est verum, non precisè, ut dicit naturam singularem; sed, quia sub est illi duplici negationi.

Collige, ne laboremus in æquivoco, quòd particulare, singulare, individuum, suppositum, & persona, differunt inter se, & se habent, sicut superius, & inferius, seù, ut magis commune, & minus commune; patet, quia omne singulare est particulare, non verò è contra, nam individuum vagum est particulare, non tamen singulare; omne individuum est singulare, non è contra, nam materia, & forma sunt singulares, non tamen individua, omne suppositum est individuum, & non è converso; nam anima, & corpus separata sunt indivi-

dividua, non tamen supposita; omnis persona est suppositum, non è contra, patet de supposito bruti, quòd nullo modo potest dici persona.

Collige ergo 2. quòd singulare est illud, quòd est actualiter implurificabile. Individuum est illud, quòd non potest dividi in plura, quorum quodlibet sit ipsum. Suppositum est ens completum, incommunicabile, ut quo & ut quòd in natura substantiali. Persona est ens incommunicabile, ut quo, &, ut quòd in natura intellectuali per se subsistenti &c. Pro complemento hujus disp. deberem hic agere de substantia, & accidente, sed, quia multa dixi sup. 7. metaphysicæ, ideo sit,



DISPVTATIO SEXTA

De paſſionibus entis.

ARiſtoteles 4. metaphyſicæ text. 1. Loquens de metaphyſica, habet hæc verba;eſt ſcientia quædam, quæ ſpeculatur ens, pro ut ens eſt, & quæ per ſe ei inſunt; ſed quæ per ſe ei inſunt, ſunt paſſiones, ut omnes expoſitores exponunt, non paſſiones rationis, quia, quæ per ſe inſunt alicui non poſſunt eſſe entia, rationis, & fictiones intellectus, vel aliqua concepta per modum paſſionis,& entis poſitivi, igitur debent eſſe verè reales, & poſitivæ ſit ergo.

QUÆSTIO I.

An ens habeat reales,veras, & poſitivas paſſiones.

SCiendum cùm Scoto in 2.diſt.16. quæſt.unica §,ideo, dico; quòd aliqua ſunt contenta in ali-

aliquo unitivè, quasi posteriora, quia quasi passiones continentis; nec sunt res aliæ ab ipso continente; isto modo ens continet multas passiones, quæ non sunt res aliæ ab ipso ente, ut probat Aristoteles 4. metaphysicæ, distinguntur tamen ab invicem formaliter, & quidditativè, & etiam ab ente, formaliter dico reali, & quidditativè, aliter metaphysica concludens tales passiones, de ente illas considerans non esset scientia realis, hæc Scotus, quæ doctrina declarata est supra 4. metaphysicæ concl. 7. 11. 12. 13.

Dico, quòd ens habet reales, veras, & positivas passiones; ita Scotus in 2. dist. 16. quæst. unica; est contra Aureolum in 1. dist. 2. quæst. 2. art. 1., & contra Javellum, & alios Thomistas.

Probatur si passiones entis non essent reales, tunc metaphysica concludens illas de ente demonstrativè non esset realis, sed hoc est falsum, & repugnans Aristoteli, in 4. metaphysicæ, ergo; item metaphysica est scientia realis, & positiva, ergo debet concludere passiones reales, & positivas. Præterea dantur aliquæ rationes communes, & transcendentes, quæ de ente in secundo modo dicendi per se prædicantur, ut sunt unum, verum, bonum; sed quæ prædicantur per se in secundo modo, sunt passiones ergo; item; quòd est perfectionis in quacunque scientia, denegandum non est in metaphysica. Tum, quia omnis scientia realis versatur circa passiones veras, reales, & positivas, sui objecti, metaphysica est scientia realis ergo &c.

Probatur 2. Illæ sunt passiones, veræ, reales, & positivæ, respectu alicujus subjecti, quæ habent conditiones requisitas ad hoc, ut dicantur, veræ, reales, & positivæ passiones; sed hujusmodi sunt passiones entis, ergo &c. Minor probatur, nam quatuor sunt conditiones requisitæ ad veras passiones reales, prima, quòd sit quid reale; secunda, quòd adæquatè competat suo subjecto, & cum illo convertatur; tertia, quòd non sint de intrinseca ratione subjecti sui, neque è contra; quarta, quæ sequitur ex hac tertia, quòd aliquo modo ex natura rei, ab eò, cujus est proprietas distinguantur, sed passiones entis sunt quid reale, quia sunt extra fictionem intellectus, & suo modo ipsum ens complent, ergo habent primam conditionem; habent secundam conditionem, quia unum, verum, bonum, cum ente convertuntur; habent tertiam, quia ens non includitur quidditativè in suis passionibus, ut dictum est *disp.* 3. quæst. 7. habent quartam, nam cum sint extra rationem intrinsecam sui subjecti, sequitur, quòd aliquo modo ab illo distinguantur; ergo &c. Hæc omnia explanata sunt 4. metaphysicæ in conc. 7. 11. 12. 13.

Obicies 1. Ex Javello, & aliis Thomistis. Ad veram passionem, requiruntur quatuor prædictæ conditiones, sed nulla potest dari passio, seù proprietas respectu entis, quæ habeat has quatuor conditiones ergo, &c. Minor probatur; prima conditio est, quòd debeat esse quid reale, sed non potest esse quid reale, nisi intrinsecè, & essentialiter

sit

sit ens reale, ergo debet includere in suo conceptu ens reale; sed si includeret in suo conceptu ens, deficerent cæteræ conditiones, ergo, &c., deficeret secunda, quia includeret ens, & non esset illud ens, ergo, erit inferius ad ens, & sic non erit cum ente convertibilis, quæ est, secunda conditio; deficeret tertia, quæ erat, quòd non esset de intrinseca ratione subjecti, & è contra, nam si sic includeret ens reale, esset de intrinseca ratione illius; deficeret quarta, quia, quòd est essentialiter ens, nequit ex natura rei ab ente distingui, ergo à primo ad ultimum, ens non habet veras, & reales passiones. *Respondetur*, concedendo majorem, & negando minorem, ad probationem, concedo majorem, & distinguo minorem; non potest esse quid reale, nisi intrinsecè, & essentialiter sit ens reale, idest si formaliter non sit ens reale, nego minorem, nisi identicè, concedo minorem, nam ut dixi supra disputatione 3., aliquod potest esse realiter, vel ens reale, tripliciter, vel quia includit formaliter conceptum entis realis, vel, quia essentialiter identificatur cum ipso ente reali, aut cum aliquo, quòd essentialiter est ens reale; modo passiones sunt quædam proprietates reales, per identitatem realem cum ente, non quasi illud includant in suo conceptu, ut passiones sunt; sed per solam simplicem identitatem realem, qualis intercedere solet inter subjectum, & passionem.

Obicies, ens inquantùm ens abstrahit à ratione causæ, & causati, ergo, ut sic non potest habere

bere veras proprietates; consequentia probatur, nam si haberet veras proprietates, ens esset vera causa illarum ergo, &c. Respondetur, distinguendo antecedens, abstrahit à ratione causæ, si loquamur de causa physica, concedo; si de causa metaphysica, nego, nam, quòd ens habeat suas passiones, solùm inferri potest, quòd sit causa metaphysica, non verò physica.

Obicies 3. Ens ut sic abstrahit ab essentia substantiali, & accidentali, simplici, & composita, actuali, & potentiali, perfecta, & imperfecta, perficiente, & perfectibili, ergo, repugnat, quòd habeat veras, reales proprietates; consequentia probatur, quia proprietates pertinent ad complementum, & perfectionem essentiæ, cum sint veluti perfectiones secundariæ illius, ergo, &c. Respondetur, concedendo antecedens, & negando consequentiam, ad probationem distinguo antecedens, pertinent in genere physico, nego antecedens, metaphysico concedo antecedens; Ens enim abstrahit à perfectione, & imperfectione physica, non autem metaphysica ergo, &c.

QUÆSTIO II.

Quæ, quot, & quomodo sint passiones demonstrabiles de ente.

Sciendum, cum Scoto in prologo metaphysicæ, & quæstione 3. prologi ad tertium primæ

mæ quæstionis, quòd passiones entis sunt demonstrabiles, ex eò, quia, ut docet Antonius Andreas; & Trombetta; si non essent demonstrabiles, tria sequerentur absurda, primùm, quòd in metaphysica nulla daretur demonstratio, cum in demonstratione solent passiones ostendi de subjecto suo, proprio, & adæquato, secundùm, sequitur ex primo, quòd non esset scientia nobilior physica, quæ probat, & passiones demonstrat de suo subjecto à priori; tertium, quòd non solùm non esset nobilior, sed omnibus scientiis vilior, quia perfectionis est, quòd in quacunque scientia, ex Aristotele primo posteriorum, de ipsa demonstrentur passiones de suo proprio, & adæquato subjecto, si igitur hoc aliæ scientiæ habent, & non metaphysica, sequitur ipsam esse aliis scientiis viliorem, hoc supposito, sensus quæsiti est, quæ passiones ostendi possunt de ente, cum passiones ostendi soleant de subjecto per definitionem subjecti, & ens cum sit simpliciter simplex, non habet definitionem.

Dico primò, quòd loquendo de passionibus simplicibus entis sunt tres, unum, verum, bonum, nec plures, nec pauciores, ita omnes Scotistæ cum Scoto citato, & in 2. dist. 16. quæst. unica, quem sequuntur etiam Neoterici, contra Thomistas, sequentes D. Thomam prima parte quæst. 11. art. 1., ubi enumerat sex, scilicèt ens, res, aliquid, unum, verum, bonum.

Probatur, Unum, verum, bonum, consequun-

quuntur ens necessariò, & cum eo reciprocantur, & ab ipso ente, & inter se rationibus formalibus differunt, ergo, &c. Item, omne ens in se, ad se spectans, est integrum, & indivisum, ergo, unum; habet aliquid in se, ratione cujus potest dici conforme, vel suis principiis, vel intellectui, ergo, habet aliquid, quòd dicatur verum; Item potest fundare respectum ad voluntatem, vel ad aliud, cui est conveniens, & sic habet, quòd sit bonum, ergo, omne ens est unum, verum, bonum, &c.

Probatur 2., quòd non sint plures; nam res, & aliquid sunt idem cum ente, ergo non sunt passiones entis; Antecedens probatur, quia res communis dicta, ex Scoto quolibeto 3., est illa, quæ habet, vel habere potest esse extra animam, sicut etiam est ens, ergo, &c. Item aliquid, est, quòd habet entitatem aliquam, sivè est entitas aliqua, aliquid enim, & nihil opponuntur, ergo, si nihil, est non ens, sequitur, quòd aliquid sit ens, ergo, &c.

Dico 2., quòd tales passiones entis possunt demonstrari de ente, tàm demonstratione deducente ad impossibile, mediante illo principio primo (impossibile est, idem simul esse, & non esse), quàm demonstratione ostensiva à priori, per conceptum quidditativum ipsius entis; sic Scotus quæst. 3. prologi, docente præcipuam rationem subjecti esse, quòd per ejus quodquid est, passiones de ipso demonstrentur; Conclusio habet duas partes.

Probatur 1. Quòd separat ens à non ente, facit

facit illud in se indivisum & à quocunque, quòd non est ens divisum, & sic esset unũ; nã unitas est indivisio à se,& divisio à quocunque alio; sed ratio entis in se primò ens à non ente dividit, cum in seipsa reddat indivisionem, quia idem nequit simul esse,& non esse, ergo,facit unum, & indivisum in se, &c.

Probatur 2. pars; In demonstratione ostensiva solet accipi pro medio definitio subjecti, vel aliquod æquivalens definitioni; sed ens, licèt non habeat rigorosam definitionem, habet tamen aliquid æquivalens definitioni,ergo ut de eò passiones demonstrentur potest accipi pro medio hoc æquivalens definitioni;sed sic demonstrantur passiones de ente, ergo &c. Probatur, hoc nostrum fundamentum; si enim probare volumus unitatẽ dici de ente, possumus accipere conceptum quidditivum ipsius entis pro medio demonstrandi talem passionem, & dicere sic, illud cui non repugnat esse unum &c. Sed enti non repugnat esse &c., ergo unitas demonstratur de ente.

Obicies 1. Passio dupliciter potest demonstrari, à priori de suo subjecto, scilicèt per definitionem subjecti;vel si sunt plures passiones ab ipso ordinatæ fluentes,possit una demonstrari per aliã; sed in casu,neutro modo possunt demonstrari, ergo &c.Major patet;minor probatur,quo ad utrãque partem; non possunt demonstrari per conceptum quidditativum, quia demonstratio debet esse ex notioribus; sed tunc non esset ex notioribus,

bus, si assumeretur conceptus quidditativus, ergo &c. Nec possunt probari ad invicem, cum immediatè fluant ab ente ergo &c. Respondetur; vel per definitionem subjecti, sivè æquivalenter, sivè formaliter, concedo majorem; formaliter tantùm, nego majorem, ad probationem, concedo, quòd demonstratio debet esse ex notioribus; sed nego, quòd in tali casu non esset ex notioribus, si assumeretur conceptus quidditativus entis, ad demonstrandas ejus passiones; nam isti termini; ens est, cui non repugnat esse, sunt clariores ipso termino, ens ergo &c.

Obicies 2. Si omnes passiones entis de ipso demonstrarentur per ens, idest conceptum quidditativum, tunc demonstratio non esset ex propriis, sed hoc est falsum ergo &c. Minor probatur; nam si assumeretur pro medio, quòd ens est unum, verum, bonum, tunc non probaretur unaquæque passio ex causa propria; sed communi, ergo &c. Respondetur, negando majorem, cum sua probatione; nam cum dicitur, demonstratio est ex propriis, ita intelligi debet, ut principia sint causæ per se immediatæ proximæ, & necessariæ passionis, & conclusionis, & non autem mediata, & remota, quia tunc non essent principia; quare si contingat ab eodem subjecto immediatè plures pendere passiones, nullum est inconveniens, quòd omnes, & singulæ demonstrentur per illam causam, cum sit omnium causa proxima, & immediata, & per hoc non sequitur, quòd illud medium sit commune, & non proprium, ergo &c. Obi-

Obicies 3. Scotus in primo dist.39. quæst.2. & in 2.dist. 12. quæst. 1., docet, affectiones entis esse de ente indemonstrabiles, quia ens non habet definitionem, sed conceptum simpliciter simplicem, ergo &c. Respondetur, quòd Scotus, ibi loquitur de demonstratione strictissimè accepta, & in rigore, cujus medium debet esse rigorosa definitio subjecti, non autem de demonstratione largo modo accepta, cujus medium potest esse aliquod æquivalens definitioni &c.

QUÆSTIO III.

An inter passiones entis detur ordo.

SCiendum, cum Aversa, quæstione 2. metaphysicæ sect. 5., quòd passiones entis, pluribus modis explicari possunt, & hinc variis modis possunt ordinari, & unam esse priorem, & posteriorem alia, juxta diversas passionum considerationes; nam si unitas sumatur, pro ut dicit indivisionem entis in se; veritas verò, & bonitas, pro ut dicunt relationes rationis ad intellectum, & voluntatem, sic quodamodo prior est unitas, quia importat conceptum objectivum, & realem; illæ verò conceptum rationis, & si sumatur unitas, ut addit distinctionem entis unius ab alio, quo pacto accipitur comparativè, sic non est necessariò prior aliis, quia adhùc prius cogitari possunt in ente relationes uniformitatis, & convenientiæ, per

quas

quas explicantur, veritas, & bonitas, quàm cogitetur distinctio ab omnibus aliis entibus, ergo &c. Deinde, si alio modo sumantur, veritas, & bonitas; taliter, quòd verum idem sit, ac ens non fictum, & apparēs, & bonum, idem sit, ac integrum, & perfectum, & in hoc sensu, veritas, & bonitas præcedunt unitatem; nam proximè ad conceptū entis realis intelliguntur, quàm entis ficti, & prius valet dicere in hoc sensu, hoc est verum aurum, quàm hoc est unum aurum, & pariformiter, prius valet dicere, quòd res sit in suo esse constituta, & perfecta, quàm sit indivisa; similiter plura dicuntur comparando veritatem ad bonitatem; si veritas sumatur pro denominatione intelligibilitatis, & bonitas pro denominatione appetibilitatis, sivè veritas pro relatione ad intellectum, & bonitas pro relatione ad voluntatem, sic manifestè prior est veritas, quàm bonitas; & si sumatur bonitas objectivè pro perfectione rei in se, sic bonitas est prior veritate rei; hoc supposito, *quæritur*, an unitas, veritas, & bonitas, immediatè procedāt ab ente, taliter, quòd, una non sit mediante alia; an verò procedant mediatè, ita, ut, una sit mediante alia, V. G. unitas ab ente, & mediante unitate esset postea veritas &c., undè ad concilianda aliqua loca Scoti.

Sciendum est 2., quòd dissidium semper fuit inter Scotistas, an Scotus posuerit ordinem inter passiones entis; nam ex una parte, Antonius Andreas, & alii Scotistæ tenent de mente Scoti, paf-

passiones entis ordinatas esse, inquantùm, una demonstrat aliam, quia Doctor, quæst. 3. prologi habet. Oportebat cujuslibet subjecti esse principia, per ejus demonstratas passiones; Ex alia parte Tartaretus in primo dist. 3. quæst. unica art. 2. cum aliis Scotis, negat talem ordinem passionum, quare, ne Scotus sibi ipsi videatur contrarius, quia isti pro sua opinione adducunt Scotum in primo dist. 39. quæst. 4., & 5. §., quantùm ad primum, ubi Doctor subtilissimus habet hæc verba. Difficile est videre ordinem passionum entis; ideò,

Sciendum cum Bargio in primò dist. 39. quæst. unica, ex doctrina tamen ipsius Scoti, in primo dist. 28. quæst. 2. lit. M., & in 2. dist. prima quæst. 1., & quolibeto 2., quòd inter aliqua plura duplex potest excogitari ordo, vel causalis, vel essentialis, vel ratione effectuum, & accidentalis; ordo causalis est inter illa, quæ fluunt à causa; idest mediante causalitate alterius; ordo effectuum est inter illa, quæ licèt procedant immediatè à causa, unum tamen procedit prius alio, undè dicunt secundi Scotistæ, quòd, quando Scotus, docet inter passiones entis esse ordinem, debet intelligi de ordine effectuum, & negant intelligi de ordine causali; his notatis.

Dico, quòd si passiones considerantur, secundùm id, quòd dicunt à parte rei; inter illas non datur ordo, nec causæ, nec effectuum, sed omnes emanare dicuntur immediatè ab ente; ita Scotus in primo dist. 39. quæst. 5. §. quantum ad

primum; estque Mastrii disputat. 4. metaphysicæ quæst. 3., contra Suarez.

Probatur, si daretur talis ordo passionum, inter naturas ipsarum deberet spectari; sed natura ipsarum, pro statu isto non innotescit conceptu proprio; sed, vel disjunctivè circumscribitur, vel negativè per habitudinem rationis, ac denominationem extrinsecam, quæ non exprimunt nobis naturam, & identitatem earum passionum, ut sunt in ente, ergo, non possumus asserere, quòd detur talis ordo inter passiones, si considerentur, secundùm id, quòd dicunt à parte rei.

Obicies 1. Absolutum, & respectivum admittunt ordinem; nam prius est absolutum, postea respectivum; sed unitas est quid absolutum; veritas. & bonitas quid respectivum, ergo, dicunt ordinem: Respondetur, concedendo majorem, & distinguendo minorem, veritas, & bonitas sunt quid respectivum; si considerentur secundùm id, quòd explicatur à nobis, concedo minorem, si considerentur secundùm id, quòd dicunt à parte rei, nego minorem, nam etiam unitas, si sumatur, pro ut dicit distinctionem ab alio, est quid relativum, cum non possit concipi, nisi in ordine ad id, à quo dividitur, & distinguitur.

Obicies 2. Si verum, & bonum inter se conferantur, verum præcedit bonum, cum veritas fundetur in bonitate, ergo, &c. Antecedens probatur sanitas enim dicitur bona, supposito, quòd sit vera, & non ficta, ergo, verum præcedit bonum, & con-

consequenter passiones entis dicunt ordinem: Respondetur, ut supra distinguendo antecedens si considerantur, secundùm id, quòd important à parte rei, nego antecedens, secundùm id, quòd à nobis explicatur, transeat antecedens, ergo, &c. nam passiones ad invicem se præferunt, quia si verum explicatur per negationem entis ficti, & apparentis; sic videtur præcedere unum, nam prius valet dicere, hoc est verum, quàm unum verum; si enim hoc modo non esset verum aurum, in hoc sensu esset apparens, & fictum, nec verum, nec unum esset; sic similiter si bonum sumatur, pro eo, quòd est in se absolutè integrum, & perfectum; sic bonum videtur præcedere verum, & unum, nam prius est rem esse in suo esse constitutam, & perfectam, quàm esse indistinctam in plura, & esse veram; ideò enim vera censetur, quia nihil entitatis deest in suo genere proprio; si enim aliquid tale auro deest, aurum verum non esset, & si sanitati aliquid deest in suo genere requisitum, non erit vera sanitas ergo, &c.

Dico 2. Quòd potest admitti, & variari ordo passionum, secundùm variam nostram explicationem, est Scoti citati, ubi videtur admittere ordinem inter passiones, &c.

Probatur, Inter absolutum, & respectivum datur ordo; sed passiones possunt explicari per absolutum, & respectivum ergo, &c. Minor probatur; nam, si unitas per indivisionem in se, explicatur per quid absolutum; si verum, & bonum

explicentur per relationes conformitatis ad intelleắum,& voluntatem, explicantur per quid relativum,ergo,&c. Confirmatur,possunt omnes passiones aliquando ad invicem explicari, una per absolutum, & altera per relativum, seù per respeắivum, ergo, potest ordo variari, taliter, quòd, passio,quæ præcedebat, secundùm unam explicationem,sequatur, & quæ sequebatur, præcedat ergo, &c.

QUÆSTIO IV.

An unitas sit vera, & adæquata passio entis.

SCiendum, unitatem esse passionem entis, prout jam exposui supra in 4. metaphysicæ concl. 11., 12., 13., & 14., glosando illa verga Aristotelis 4. metaphysicæ, ens, & unum idem sunt,& 10. metaphysicæ text.5., inquit, dicuntur tamen æqualiter ens, & unum, contra Platonicos dicentes, unum non esse veram passionem entis, dicebant enim, quòd, licèt omne ens sit unum, non tamen,è contra; nam Deus, apud Platonem erat unum, non tamen erat ens, materia prima erat una,non tamen erat ens,&c.

Dico ergo, unitatem esse passionem entis adæquatam; ita Scotus in 2.dist.16. quæst.unica, & alibi.

Probatur; Illa est propria passio subjecti in omni

omni genere,quæ competit omni subjecto, soli,& semper,sed unitas competit omni enti, soli enti,& semper,ergo,&c. Major patet, ex Aristotele, cap. de proprio; Minor probatur; nam omne ens reale,est,vel compositum, vel simplex, si secundùm habet unitatem simplicitatis, ratione cujus non solùm est actu indivisum, sed indivisibile, si primum habet unitatem compositionis, cum ex actu,& potentia fiat per se unum, ergo,&c.

Obicies 1. Illa est propria, & adæquata passio alicujus,quæ convertitur cum illo; sed unitas non convertitur cum ente, ergo, &c. Minor probatur, nam,ex Aristotele,10. metaphysicæ cap.1. Unum, & multa dividunt ens; sed membra divisionis,non convertuntur, & adæquantur cum diviso ergo, &c. Respondetur, cum Antonio Andrea,distinguendo minorem; si unitas accipiatur communitèr,largè,& simpliciter,nego minorem, si accipiatur strictè, determinatè, & secundùm quid,concedo minorem; nam unum, & multa, quando dividunt ens, accipiuntur determinatè, strictè, & hoc modo non est passio entis simplex, & sic solùm convertibilis cum ente sub disjunctione, quàm ipsa disjuncta, &c., unum, enim communiter acceptum.dicitur illud,quòd actuali divisione caret,& multitudo,è contra, quæ scilicèt habet actualem divisionem.

Obicies 2. In illo priori intelligitur subjectum præcedere suam passionem, tunc adhùc ens est unum,cum sit unum, & non sit multiplex, ergo,

 go,

go, unitas non est passio adæquata entis, cum in illo priori non sit distincta; Respondetur, distinguendo antecedens; est unum radicalitèr, & fundamentalitèr, concedo antecedens; formaliter, sivè actualiter, nego antecedens; nam etiam de homine, quatenus natura præcedit risibile, potest quæri, an sit risibilis, an non, & certum est, quòd debemus respondere esse risibilem fundamentaliter, quatenus intelligitur essentia, quæ est fundamentum, & radix exigitiva risibilitatis, non verò formaliter, cum sic solùm denominetur per ipsam aptitudinem formalem ad ridendum ergo, &c. Instas, in illo priori ens est formaliter in se indivisum, ergo, formaliter est unum. Respondetur, negando antecedens; formaliter enim in illo priori præscindit; tantùm enim sic dicitur radicaliter, sivè fundamentaliter in se indivisum, ergo, &c.

Obicies 3. Fieri potest, quòd varietur unitas, invariata entitate, taliter, quòd talis entitas non sit una, cum varietur unitas, manente entitate, ergo unitas non potest esse passio adæquata entis; Antecedens probatur, quia si accipiatur quantitas bipalmaris, & separetur aliqua pars illius, ut quantitas palmaris, hæc pars, dum est conjuncta, non est unum ens, sed pars unius entis; dum verò est separata est unum ens, & tamen, sivè separata, sivè conjuncta, habet semper eandem entitatem ergo, &c. Respondetur, distinguendo antecedens, loquendo de entitate entitativa, nego antecedens,

quan-

quantitativa, concedo antecedens, ergo negatur consequentia; nam ex Scoto in 2. dist.3. quæst.4. lit. G., & A., alia est unitas entis, quæ est passio entis, & alia est unitas quantitativa, quæ consistit in terminatione quantitatis unius per propria indivisibilia, vel in præcisione ab alia completa, cui sit conjuncta; quare falsum est, quòd quantitas bipalmaris, dum sit conjuncta, non sit una, unitate entis, sicuti est, quando est separata; in utroque enim statu, cum retineat entitatem, retinet quoque eandem unitatem entitativam; solùm verum est, quòd dum est conjuncta, non est una, unitate quantitativa, cum non sit unum quantum, quia admittit indivisibilia continuativa, & acquirit terminativa, & ubi per illa dicebatur unita alteri comparti, per ista dicitur una, & unita; ergo, &c.

Obicies 4. Si unitas esset passio adæquata entis, sequitur, quòd ex quo aliquod esset magis ens, esset magis etiam unum, & quòd plus entitatis possidet, etiam plus bonitatis, & unitatis habet, sed oppositum contingit in casu; nam, dum quantitas dividitur, aliquid entitatis ammittit, scilicèt illam partem, quæ ab ipsa separatur, non tamen est quid minus una, sed potius magis una, quia retinet minorem partem ad divisionem, ergo, &c. Respondetur, concedendo majorem, & negando minorem, ad probationem, distinguo antecedens; dum quantitas dividitur ammittit aliquid entitatis trascendentis, & metaphysicæ,

nego antecedens,quantitativæ, & prædicamentalis,concedo antecedens,ergo, &c. Nam cum dividitur quantum,non minuitur, vel augetur unitas entitativa,quia unaqueque pars eam retinet, sicut antea,quando erat conjuncta; sed tantùm destruitur unitas quantitativa integræ quantitatis præexistentis, & fiunt duæ lineæ quantitatis minoris, quarum quælibet potest dici magis una, quàm prior, cujus erant partes, quatenus in minores partes ejusdem quantitatis est divisibilis, quàm illa, ergo, &c.

QUÆSTIO V.

An unitas superaddat enti solùm negationem divisionis, vel potius quid positivum aliquo pacto ab ipso distinctum.

SCiendum, quòd tota ratio difficultandi est; quia conceptus unitatis solet explicari per negationem divisionis, dicendo, quòd unitas sit illa, quæ dicit indivisionem in se, & divisionem à quocunque alio, juxtà illud Aristotelis 5. metaphysicæ text. 15. *Universaliter namque, quæcunque non habent divisionem, quatenus non habent, eatenus unum dicuntur.* V.G., si pro ut homo non habet divisionem, unus est homo,quòd si pro,ut animal, unum animal,pro ut magnitudo,una magnitudo, hæc Aristoteles, ex quibus verbis moti sunt multi asserere,quòd unitas non addat supra ens, nisi solam negationem divisionis, verùm explicatio unitatis

tis tradita ab Aristotele, est à posteriori, scilicet per manifestiora, cum ultimæ differentiæ nobis lateant, non sequitur, quòd si aliquod per negativum explicatur, nihil positivum importat, quia incorporea, & immortalia solent explicari per negationem corporis, & mortalitatis, & tamen tales negationes indicant perfectiones positivas, quas important.

Dico, quòd unitas formaliter addit aliquod positivum enti, concomitanter verò negationem divisionis; ita Scotus in primo dist.31. quæst.unica lit. E., & in 2.dist.3.quæst.2.§.concedo igitur, & quolibeto 6. lit. A., quem sequuntur Antonius Andreas, Faber, & cæteri Scotistæ, contra Aversam, quæst. 4. sess. 2. sequentem D. Thomam prima parte quæst.15.art.1., estque contra omnes Thomistas, &, ex Neutericis modernis, contra Falolum prima parte quæst.5.art.1. dub.5. Arriagam disp. 1.metaphysicæ sess. 3., & alios Neutericos, conc.habet duas partes.

Probatur prima pars, ex doctrina Scoti 4. metaphysicæ quæst. 2. §. quantum ad primum; Quòd secundùm suam rationem formalem importat perfectionem simpliciter, & suscipit magis, & minus, illud de formali dicit aliquod positivum, sed sic est unitas, ergo, &c. Major patet, quia omnis perfectio, ut sic in aliquo positivo fundatur; privativum namque, & negativum, ut sic nullam dicunt perfectionem, nec suscipiunt magis, & minus, nisi ratione formæ negatæ; Minor

pro-

probatur,quia unum in quolibet ente, melius est ipsum, quàm non ipsum, ergo, unum dicit perfectionem simpliciter; Antecedens probatur, nam per hoc summa unitas tribuitur summo enti; Item suscipit magis, quia datur minor unitas, major, & summa; Major enim est unitas *per simplicitatem*, quàm per compositionem, & inter majoritatem simplicitatis, adhùc major est unitas Dei, quàm Angeli, ergo, unitas dicit, quid positivum.

Probatur 2. Ex doctrina Scoti in primo dist. 31. quæst. unica, & quolib. *6*. sic; unitas est proxima ratio fundandi relationes reales, identitatis, æqualitatis, & similitudinis, sivè sint prædicamentales, sivè trascendentales, ex 5. *metaphysicæ*. cap. 15., ergo aliquam positivam formalitatem importare debet; Antecedens probatur, quia nequit relatio, quæ est fundata habere majus *esse*, quàm suum fundamentum, sivè ratio fundandi, à quà accipit suum esse, ergo, &c. Item unitas, tàm in fieri, quàm in facto esse, est principium numeri; sed numerus est quid positivum, ergo, & unitas. Confirmatur, multitudo opposita unitati, est quid positivum, ergo, unitas est quid positivum, antecedens patet; nam Trinitas personarum est quid positivum, aliàs esset destruere Trinitatem, & dissipare numerum Apostolorum. Consequentia probatur, multitudo est effectus compositus ex unitatibus; sed ex negatione, tamquàm ex principio constitutivo intrinseco non potest resul-

resultare quid positivum,ergo,similitudo, quatenus est quid positivum resultat ex unitatibus, ergo unitas dicit quid positivum.

Probatur 2. pars, scilicet, quòd unitas non dicat formaliter quid negativum; ex Scoto in 1. dist.2.quæst.2.,& in 2.dist.3.quæst.2.,& in 3. dist. 1.quæst.1 §.contra secundam viam,& quolib.19. lit. AA.; sic; nulla negatio competens alicui necessario,& inseparabiliter inest per se,& primò illi nisi præsupponat semper aliquod positivum; sed negatio divisionis necessariò,& indivisibiliter competit unitati, ergo non potest illi competere primò, & per se, nisi præsupponat aliquod positivū, ratione cujus illi necessariò, & inseparabiliter insit;major explicatur; nihil potest repugnare alicui per solam negationem,vel privationem,siquidem homini, ideò repugnat irrationalitas, quia habet non solùm negationem, irrationalitatis, sed positivum, cui repugnat irrationalitas; sed divisio repugnat unitati, ergo non per solam negationem, ergo præsupponit positivum.

Obicies 1., illud per se, & formaliter dicit unum, quòd per se formaliter ingreditur in ejus definitionem; sed negatio per se, & formaliter ingreditur in definitione unius,ergo non dicit quid positivum; minor probatur, quia unum dicitur esse indivisum in se, & divisum à quocunque alio, ergo &c. Respondetur primò concedendo majorem, &, negando minorem; nam unum potius sic describitur, quàm definitur, vel tantum definitur

per

per extrinseca, non verò per intrinseca. Respondetur 2. distinguendo majorem, quòd ingreditur indefinitionem datam à priori, & per intrinseca, concedo majorem, à posteriori, & per extrinseca, nego majorem; sed distinguo minorem, ingreditur indefinitionem unius, datam per intrinseca, & à priori, nego minorem; per extrinseca, & à posteriori, concedo minorem; nam negatio, quàm unum importat, est quid posterius ad positivum, Instas, Aristoteles definit unum per negationem, & non per positivum, ergo &c. Respondetur, concedendo antecedens, & nego consequentiam; nam Aristoteles definit unitatem per negationem, tamquàm per realitatem magis nobis notã, ergo &c.

Obicies 2. sufficienter percipitur ab intellectu unitas per negationem indivisi à se, & divisi à quocunque alio, ergo non dicit aliquod positivũ; Respondetur, distinguendo antecedens ab intellectu confusè percipiente, concedo antecedens, distinctè percipiente, & distinguente, nego antecedens; nam licèt intellectus per illam negationem inbecillis sistat, & non ulterius progrediatur, intellectus tamen acutior ibi non sistit; sed ultra trãsit in intelligendo, cur tales negationes inseparabiles ad invicem ipsi unitati competant, & non quiescit, quousque reperiat aliquam rationem positivam, ratione cujus dicatur, quòd illæ enti competant &c.

Obicies 3., quòd est maximè simplex, est maximè unum; sed simplicitas non dicit, nisi nega-

tio-

tionem compositionis, ergo unitas dicere debet solam negationem divisionis; major probatur; nam, quòd esset maximè simplex non dicit plura; sed, quòd negat plura, est unum, ergo &c. Respondetur; negando majorem, ad probationem, distinguo antecedens, maximè simplex, non dicit plura, per modum actus, & potentiæ, concedo antecedens, per modum actus, nego antecedens; Deus enim est maximè simplex, dicit tamen à parte rei plures perfectiones distinctas. Respondetur 2. transeundo majorem, & negando minorem, nam simplicitas non consistit solùm in negatione compositionis; nam Deus simplex, nihil aliud esset, quàm non compositus, quòd est falsum, cum sit purus, & summus actus, & hoc est illud positiuum, quòd dicit, ergo &c.

Obicies 4., ex Aureolo quolibeto 4., illa est ratio formalis, qua posita, illud ponitur, omni alio circumscripto, & qua remota, etiam alio posito, removetur; sed posita ratione positiva in ente, & circumscripta negatione divisionis, sivè privatione multiplicationis, non ponitur unitas, sed potius habitus oppositus unitati, & è contra, posita negatione, & circumscripta omni alia ratione positiva, intelligitur unitas, ergo importat solumodo negativum. Respondetur, distinguendo majorem, loquendo de positione formali, concedo majorem, concomitanter, nego majorem, sed distinguo minorem, non ponitur unitas, sed multitudo, concomitanter, concedo minorem, formaliter, nego

go minorem; nam ex sola remotione, seù circumscriptione divisionis non ponitur formaliter multitudo, sed concomitanter, quatenus removendo indivisionem, vel privationem multitudinis, removetur consequenter formalitas positiva exclusiva immediatæ multitudinis, quàm *indispensabiliter* concomitatur indivisio,unde,ex remotione indivisionis, valet per locum à comunibus inferre positionem multitudinis, sicut ex negatione frigiditatis in aqua valet inferre positionem caliditatis, non quidem formaliter, quasi frigus esset sola negatio caliditatis, sed concomitanter, quatenus cum frigore est necessariò connexa negatio caloris,igitur &c.

Obicies 5., unitas, & multitudo opponuntur privativè, sed multitudo dicit quid positivũ, ergo unitas negativum.Respondetur, distinguendo majorem,quantùm ad id, quòd unitas importat,concomitanter,concedo majorem, de suo formali significato,nego majorem, sed distinguo minorem, concomitater, concedo; formaliter nego; unitas enim, ultra positivum, dicit negationem divisionis,& multitudinis,& per hoc habet,quòd concomitanter, & privativè opponatur multitudini, quæ formaliter dicit quid positivum. Collige,quòd licèt unitas de formali significato non dicat quid positivum, ut etiam ex professo exposui, & probavi supra 4. metaphysicæ concl. 14., concomitanter tamen signat, & involuit negationem consequentem ad illud positivum, quòd formali-

maliter dicit; sicuti alia opposita habent annexam privationem, seù negationem sui oppositi, ut patet de calore habentem negationem frigoris, ergo, &c.

QUÆSTIO VI.

An hoc positivum, quòd dicit unum supra ens sit ex natura rei superadditum, vel per intellectum.

SCiendum, quòd ex dictis supra 4. metaphysicæ concl. 7. propria passio eadem realiter est cum suo subjecto, & licèt subjectum habeat rationem causæ respectu passionis, idquæ accidit, ex eo, quòd subjectum non est causa physica, seù propinqua, & immediata ad actum causandi, ideò sequitur, quòd est formalitas positiva à parte rei superaddita, & idem realiter cum suo subjecto.

Dico ergo, quòd positivum, quòd dicit unũ supra ens, ex natura rei, est distinctum ab ente; sic Scotus, ubicunquæ loquitur de propria passione, in ordine ad suum subjectum, quæst. 33. univers. & in 1. dist. 3. quæst. 5. ad 2. pro 2. opinione, & in 2. dist. 12. quæst. 2. ad 1. & dist. 16. quęst. 1. 5. sed quia, & dist. 25. quæst. unica, & omnes Scotistæ contra Thomistas, substinentes illud positivum distingui per intellectum.

Probatur, positivum, quòd addit unum supra ens est passio entis; sed probatum est, passionem formaliter distingui ex natura rei ab ente, ergo

go positivum, quòd dicit unum est à parte rei supra ens, & non per intellectum, minor patet; nàm passio, jam supponit substantiam, & essentiam cõstitutam, à qua dimanat, ergo si passio, est id, quo ex natura rei supra subjectum addit unitas, & solùm ex natura rei distinguitur, non est positivum additum per intellectum, sed positivum distinctũ à parte rei.

Obicies 1. Hoc positivum, quòd dicit unum supra ens, & ab ipso ex natura rei distinguitur, vel esset ens, vel non ens; non secundùm, quia illud additum non esset quid positivum, ergo primum, ergo non est quid superadditum. Respondetur, distinguendo antecedens; formaliter, nego antecedens, identicè, concedo antecedens; nam, licèt illud positivum formale habeat, & positivam inclinationem ad essendum, non tamen hanc formalem inclinationem habet formaliter in se; sed per identitatem in alio, ut pluties dictum est. Instas, illud positivum formaliter est extra nihil, ergo formaliter est ens; Respondetur, distinguendo antecedens, est per se ultimatè, seù melius immediatè, &, ut quòd, nego, antecedens; est formaliter per aliquod extra nihil, & concedo; nam ex doctrina Scoti in 1. distin. 3. quæst. 3. §. quantùm ad secundùm; ad hoc, ut aliquod dicatur formaliter, ens debet esse formaliter, & per se extra nihil non autem identicè tantùm. ergo &c.

Obicies 2., ens, & aliquid formaliter convertuntur, ergo, si hoc positivum addit aliquid supra

pra ens,addit ens, supra ens, ergo &c. Respondetur, distinguendo antecedens,convertuntur, conversione simplici, nego antecedens, per accidens, concedo antecedens, aliquid enim latius manifestari potest ipso ente formaliter accepto, nam per ens formaliter acceptum intelligimus illud, quòd directè,& per se est extra nihil;per aliquid verò intelligimus illud,quòd est extra nihil, vel per se,vel per aliud, vel directè,vel indirectè.

Obicies 3., si ens esset unum per aliquid superadditum sibi ex natura rei,cum illud super additum esset unum, fieret unum per aliud superadditum, & sic in infinitum, ergo &c. Respondetur, negando sequelam; nam illud superadditum, esset se ipso unum,sicut differentia individualis, se ipsa est individua &c.

QUÆSTIO VII.

An veritas dicat quid positivum formaliter ab ente distinctum.

SCiendum, cum Mastrio disp.10.logicæ quæst. 2., quòd triplex est veritas,prima in essendo, & transcendentalis ,quæ est passio entis, & convenit omnibus rebus,etiam cognitioni falsæ,nam, & ipsa est ens reale,de qua veritate hic agimus;secunda dicitur in significando,& propriè convenit vocibus.& signis, ut logici dicunt, Tertia dicitur in repræsentando,seù in cognoscendo,& convenit

conceptui intellectus, & secundùm Aristotelem tantùm reperitur in secunda operatione intellectus, pro ut explicavi, cum Scoto 6. metaphysicæ ante primam conclusionem in explicatione textus; difficultas, ergo est de veritate transcendentali, de qua.

Dico, quòd veritas transcendentalis, ut passio entis addit supra ens respectum realem, non vero rationis. Ita Scotus in 2. dist. 16. quæst. unica; est contra recentiores, & nonullos etiam ex nostratibus.

Probatur. Quelibet res, sivè creata, sive increata sua natura, secluso opere intellectus, comparantis, & fingentis, est illi conformativa per manifestationem, assimilationem, & identificationem intentionalem (passio est idem realiter cum suo subjecto, ut dictum est), & non est aliqua ratio, vel formalitas absoluta, ergo hujusmodi respectus in illa re est realis, & ex natura rei, non verò rationis. Confirmatur; si veritas in iis, quæ procedunt à Deo, vel ad intra, secundùm adæquationem in eadem natura singularissima, vel ad extra, secundùm immitationem in gradu determinato, participat divinam naturam, formaliter, & inconformitatem ad ipsum Deum, ergo, ipsa veritas consistit in respectu, & relatione reali, ergo &c. Itē extrema sunt realia, ergo necessariò insurgit ex natura extremorum, ergo veritas transcendentalis necessariò dicit respectum realem, & non rationis ergo &c.

Obi-

Obicies pro Molina 1.part.quæst.16.sell.12., Tunc relatio non est realis, quando illud ad quòd terminat,non est reale;sed ratio terminandi respectum veritatis est divinum exemplar,quòd Scotus rem cognitam appellat, ergo habet esse diminutum,& rationis tantum. Respondetur,quòd ratio terminandi est divina essentia; verùm in gradu terminato, in quo realiter participatur ab ipsa Creatura, secundùm ejus exemplar acceptum, secundùm,quòd est relatio, vita Creatrix, & formalis conceptus intellectus divini.

QUÆSTIO VIII.

An bonitas dicat quid positivum formaliter ab ente distinctum.

SCiendum,cum Scoto in 2.dist.7. quæst. unica §.ad solutionem,quòd bonitas tripliciter sumi potest,primò pro bonitate universali, secundò pro bonitate morali,& tertiò pro comparatione ultimi finis supernaturalis acquirendi, quæ bonitas appellatur à Scoto charitativa,ut patet quolibeto 7.lit.K., in præsenti disputamus tantùm de bonitate primo modo accepta,scilicèt universali; bonum namque,ex philosopho 4.metaphysicæ,est illud, quòd omnia appetunt, quæ bonitas rursus adhùc est duplex, altera primaria, quàm notat Scotus quolib. 18. §. de primò, & in 4. distin.49. quæst. 1. lit. X. Altera dicitur secundaria; rursus

bonitas primaria, etiam solet appellari essentialis, vel bonum essentiale, vel bonum, quòd in se est bonum; secundaria etiam appellatur bonitas accidentalis; siquidem esse ens prius est bonum in se, & deinde est alteri bonum, quòd est bonum alteri, ideo est illi bonum, quia est perfectio illius, vel in esse naturæ, vel in esse moris, quamvis de hoc bono, non loquamur, sed de bono universali, & secundario; & sic bonitas secundaria tripliciter considerari potest; primò pro perfectione illa, quæ inest rei in actu secundo cum operatur, præsertim verò dum conjungitur suo fini, vel objecto, quam Scotus beatificam bonitatem appellat in natura totali; secundò pro perfectione, quàm addit rei, ut bonitas scientiæ in intellectu, & bonitas virtutum moralium in voluntate; Tertiò sumitur pro convenientia aptitudinali comparatione appetitus agentis, quem movere apta est, ratione cujus res dicitur in se appetibilis ex sua natura, vel per modùm finis, vel per modùm medii ordinati ad finē accomodatum; & sic bonitas pro ut est passio entis transcendentalis, tantùm hoc tertio modo sumitur, sic enim dicit proprietatem quidditativæ bonitatis, secundùm gradum determinatum, ut notat Scotus in 4. dist. 49. quæst. 1. lit. A. & X. & delectabilitas, & appetibilitas ad potentiam delectantem, & appetentem ordinantur; ratio Scoti est hæc, esse delectabilitatis, quòd est bonitas, non potest non esse delectabilis, quatenus possit non delectari; & tandem assignat Scotus ordinem in appeti-

peti-

petibilibus in genere entis,ad quòd necessariò deveniendum est ad unum appetibile infinitum, quòd in illo ordine entis sit simpliciter supræmum,& tale erit infinitè perfectum.

Sciendum 2., quòd hæc quæstio, quo ad alteram partem, non potest perfectè intelligi, nisi præsupponatur aliqualis notitia de distinctione, quę ex professo,Deo dante,erit in libris Porphirii, in prima disputatione,de universali metaphysico; Dico ergo pro nunc, quòd distinctio, est quando unum non est aliud, & sic Petrus est distinctus à Paulo, V. G., quia Petrus non est Paulus,& nota, quòd distinctio in primis est duplex; alia est ex natura rei, & alia rationis; prima est, quando aliqua distinguuntur à parte rei citra opus intellectus,undè distinctio cadens inter Petrum,& Paulum est ex natura rei, quia à parte rei Petrus non est Paulus. Distinctio verò rationis, est quando duo distinguuntur solùm per opus intellectus, ut cum dico,Petrus est Petrus, jam à parte rei, idem Petrus, qui est subjectum, est etiam prædicatum, distinguitur tamen Petrus à se ipso, solùm per intellectum, quia intellectus concipit Petrum in ratione subjecti, & prædicati, ex quo sequitur, quòd distinctio, qua Petrus distinguitur à se ipso est distinctio rationis.

Sciendum 3., quòd distinctio ex natura rei est duplex,alia realis,& alia formalis; prima est illa quæ cadit inter rem, & rem;vbi per rem, intelligitur id,quòd est actu separatum ab alio, vel potest

test separari; vel est proportionabiliter separabile, ex Scoto in 2.dist.2.quæst.2. §. contra istud, consequenter deduco, quòd inter Petrum, & Paulum cadit distinctio realis, quia Petrus est actu separatus à Paulo; Item distinctio cadens inter animam, & corpus est realis, quia, extò anima non sit separata à corpore, est tamen separabilis; Item distinctio cadens inter totum, & partes unitas est realis, quia, extò totum non sit actu separatum à partibus, nec possit separari, tamen est proportionabiliter separabile, quia stante, quòd partes unitæ respectu totius, se habeant, ut causæ respectu causati, & omnis causa quantùm est ex se, est separabilis à suo effectu, sequitur, quòd totum est proportionabiliter separabile à partibus unitis. Distinctio verò formalis est illas, quæ cadit inter plores formalitates ejusdem rei, ubi per formalitates, intelliguntur illæ rationes objectivæ radicatæ in eadem re, V. G., Petrus dicitur res, quia per se existit, tamen in Petro sunt diversæ rationes, quæ dicuntur formalitates, & gradus metaphysici, in Petro enim est ratio substantiæ, ratio corporis, ratio viventis, ratio animalis, ratio rationalis &c. Et distinctio cadens inter istos gradus, dicitur distinctio ex natura rei formalis; habetur itaque, quòd distinctio realis sit inter rem, & rem, distinctio verò formalis, inter formalitates ejusdem rei, vel inter unam formalitatem, & ejus rem, nota tamen, quòd quando formalitates sunt diversæ naturæ, vel rerum diversarum, intercedit etiam distinctio

rea;

realis;his positis,quæritur an bonitas trascendentalis importet unam formalitatem positivam, ex natura rei formaliter distinctam ab ente.

Dico primò,quòd bonitas transcendentalis, ut convertibilis cum ente, importat quandam formalitatem positivam, non absolutam; sed respectivam appetibilitatis, vel per se, vel per aliud, ex natura rei formaliter distinctam ab ipso ente. Ita Scotus citatus,præcipuè quolib. 18. est contra Vasquez,& Suarez, & quasi omnes recenfiores: sic etiam Scotus in 1.dist.3. quæst. 3.

Probatur,ens sicuti se habet ad veritatem,ita se habet ad bonitatem transcendentalem; sed quodlibet ens est formaliter verum, per respectum conformitatis ad intellectum cognoscentem, ex dictis supra;ergo, sic etiam dicitur formaliter bonum, bonitate hac transcendentali per respectum appetibilitatis ad appetentem, quatenus est illi ex sua natura appetibile,& delectabile, vel per se, vel propter aliud.

Obicies, pro Vasquez, qui ait, bonitatem hanc dicere tantùm bonitatem absolutam, non relativam; Res est essentialiter bona ex sua entitate primaria bonitate, ergo per illam dicitur absolutè appetibilis, ergo bonitas est entitas absoluta, & non relativa; antecedens patet, nam passio est ejusdem naturæ, cum suo subjecto, ergo si subjectum est essentialiter absolutum, passio subjecti debet esse essentialiter absoluta, consequentia sequitur. Respondetur, simpliciter, negando consequen-

quentiam, quia appetibile formaliter, non est aliquod absolutum, sed respectivum; essentialiter, enim appetibile, includit respectum ad appetentem, sine quo respectu, res tantùm fundamentaliter dicitur appetibilis, idest concipitur, secundùm fundamentum illius respectus, ergo &c. *Instat* Vasquez, disputatione 19. sess. 23. cap. 2. si bonitas esset illa ratio appetibilitatis, sequeretur Deum nō esse in se formaliter bonum, sed tantùm ex ordine ad Creaturas, ergo ab istis Creaturis penderet ipsius bonitas, quòd est falsissimum; Respondetur, negando sequælam; nam Deus dicitur absolutè bonus formaliter, bonitate primaria, & etiam dicitur bonus bonitate ista secundaria, sed non quidem per aliquem respectum ad Creaturas, vel ad extra, ut dicunt Theologi; Instas, idem est bonum perfectum, ac integrum, sed ratio perfecti, & integri, non est absoluta, ut patet, ergo &c. Respondetur, distinguendo majorem; idem est bonum perfectum, ac integrum; loquendo de bonitate quidditativa, & primaria, concedo; secundaria, nego, & concessa minori, negatur consequentia; nos verò loquimur de bonitate secundaria, non primaria, ergo &c.

Dico 2., quòd hæc bonitas transcendentalis, dicit respectum realem, quamvis aptitudinalem; Ita Scotus in 1. dist. 3. quæst. 3., & quolib. 18. contra Suarez disput. 10. metaphysicæ sess. 1. num. 5., & 6. tom. 1. suæ metaphysicæ.

Probatur, bonitas verè numeratur inter pas-

sio-

siones entis, cum non possit esse passio, accepta pro bonitate quidditativa; nam si passio est à parte rei conveniens subjecto, à parte rei debet esse distincta à subjecto, ergo sequitur necessariò illam consistere in tali respectu aptitudinali, reali delectabilitatis, vel appetibilitatis ad potentiam appetentem, ergo &c.

Obicies, pro Suarez; si hęc relatio esset à parte rei, vel diceret formaliter perfectionem, vel non; si secundum, ergo quo pacto potest esse bonitas alicujus rei, si nullam dicit perfectionem; si primùm, ergo dicit bonitatem positivam in alia relatione convenientiæ, & appetibilitatis, & sic daretur processus in infinitum; Respondetur, quòd bonitas transcendentalis potest sumi dupliciter, primò identicè, & si dicit primariam bonitatem; secundò formaliter, & sic dicit bonitatem secundariam, non in recto, quasi illa sit, quæ formaliter dicitur bona; sed in obliquo, quia est ratio, qua res, quæ est ejus subjectum dicatur formaliter bona, quatenus appetibilis, vel delectabilis; nunc in forma ad argumentum distinguo antecedens, vel diceret formaliter perfectionem, vel non; diceret perfectionem, ut quo, concedo, ut quòd, nego; bonitas enim est ratio, qua res, cujus est bonitas, appetitur.

Obicies ultimò, Deus ab æterno est bonus, bonitate transcendenti, quæ communis est tribus personis, est que ibi nulla realis relatio communis tertia, nec ad intra, cum tantùm ponantur relationes

nes originis, ut patet, nec ad extra, ergo res non, dicitur bona per relationem realem, consequenter &c. Respondetur, negando sequelam ; nam in divinis, non tantùm dantur relationes originis reales, verùm etiam, & relationes actuales communes tribus personis, ut patet de relationibus *identitatis*, similitudinis, & æqualitatis, ut docet Scotus in primo distin. 31. quæstione unica, ergo &c. Laus Deo.



FINIS.

